PHYSICÆ
SIVE
PHILOSOPHIÆ NATVRALIS
Tractatus Tertius

Ad tertium, & reliquos libros Physicorum Aristotelis.

In quo disputatur de quatuor passionibus communibus corporis naturalis. motu scilicet, quantitate, loco, & tempore, illisque connexis, videlicet de mutationibus, & quietibus, de indiuisibilibus, & infinito, de vacuo, & spatio imaginario, de instantibus, æternitate, & æuo.

Auctore
P. GREGORIO FERRARIO
E SOCIETATE IESV.

CVM PRIVILEGIIS.

MEDIOLANI,
Apud Io. Bapt. Cerrium. M. DC. XXX.

INDEX
TRACTATVS TERTII.

In quo continentur præcipua, quæ de passionibus corporis naturalis disputata sunt. pag. paginam significat. m. medium. f. finem 1. primam columnam. 2. secundam denotant.

† *Aeter-*

Suc-

S

T

Deo Opt. Max. omnium bonorum fonti non deficienti laus, & gloria sempiterna, Virginique Matri, & omnibus cęlitibus honor sit ab omnibus Mortalibus.

INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum, qui continentur in hoc tertio Tractatu.

Quæ-

DISPVTATIO PRIMA DE MOTV.

HActenus dictũ est de corpore naturali, Et eius principijs, & causis; deinceps cũ Aristotele de eius passionibus agẽdum est: scientia enim subiecti ipsi⁹ passiones considerat, quarum & reddit causas. arbitramur enim nos scire cũ rem per causam cognoscimus. Et quoniam inter passiones corporis naturalis primum locum obtinere videtur motus, qui & in definitione naturæ tanquam præcipua ipsius passio positus est, à motu cum ipso etiam Aristotele incipiemus.

1. poster. Tex. 5.

Inuocatio.

QVies summa, & tranquillitas Deus, instrue nos seruos tuos, ne mutabilitate nostra inerrores labamur, dum de motu disputamus: Et da tranquillitatem sapientiæ, qua imitari possimus te, qui cunuia in te per sapientiam possides, actu sciens omnia, & actus immutabilis. neque enim tibi aliqua noua succurrit cogitatio, neque noua in te generatur voluntas, sed ille idem, qui semper es, mutans tempora, & non consilia. Nam quid tibi de nouo succurrat, qui intelligis non solum opera omnia, sed cogitationes nostras de longe, cui nox futuri seculi, sicut dies præsentis illuminatur, & apud quem tenebræ non sunt vllæ, sed lux, & intelligentia perpetua, etiam illorum, quæ perpetua non sunt, & in tempore fuerunt, vel futura sunt, quæque et iam futura non sunt, cum possint esse; Quia in thesauris tuæ omnipotentiæ recondita sunt? Quæ noua tibi oboriatur voluntas, vbi noua cogitatio non est, & idem bonum semper est, propter quod omnia vis, qui tu es, quo cũ participauerit, quod tu nõ es, creatura tua, nõ melior proinde eris tu, neq; felicior, sed idem tu bonum, & omne bonum, ac proinde idem felix, qui semper, & tibi ipsi felix, ac omnimoda felicitas; Quia tibi tua felicitas, & solum de tuo bono felix. Fruere ergo infinita bonitas te, sed memor eorũ, qui sperant in te, quibus cũ aliquid de tua beatitate stillaueris, nihil tibi deperibit; Quia remanebit in te quidquid exibit à te. Largire ergo de bono tuo virtutem nunc, & sapientiam nobis poscentibus te, vt per hęc dona tua venire possimus ad te.

QVÆSTIO PRIMA

De Motu quoad existentiam.

DE Motu agit hoc 3. lib. Aristoteles à tex. 1. ad 24. toto libro 5. & fere reliquis tribus sequentibus nos de eo hac prima disputatione ab an sit ipsius incipientes.

Quæsitum vnicum. Vtrum detur Motus.

PRo parte affirmatiua est communis cõsensus, & manifesta experientia, cui contradicere vel vanitas est, vel stultitia. Pro parte tamen negatiua contraria, quam tuebatur Zeno cum quibusdam aliјs sunt hę rationes.

Prima illud, cuius nulla pars est, nõ est; Sed motus nulla pars est; Quia neque est, quod est præteritum; Quia transijt; neque quod futurum est; Quia nondum est: sed neque aliquid præsens est; Quia præsens tantum datur mutatum esse; Ergo motus nulla pars est, ac proinde nullo modo est.

Secunda ratio. Quidquid est debet produci; sed motus ex 5. phys. Tex. 10. non producitur; Ergo non est motus; ficte ergo datur, quod non est.

Tertia ratio. Si motus esset posset corrũpi; sed corrumpi non potest; Ergo non est. Maior patet; Quoniam motus si quid est, nõ est ex rebus incorruptibilibus. Minor probatur. sit motus, qui duret per quadrantem, si motus datur, vel corrumpetur in quadrante, vel post quadrãtẽ; nõ in quadrãte; Quia hoc est cõtra suppositionẽ, qua ponitur esse in quadrãte motus; nõ post quadrãtẽ; Quia post quadrantẽ nõ amplius est motus; Ergo motus corrumpi non potest, atque adeo neque datur. Aliæ rationes, quæ fuerunt Zenonis, soluentur in fine Articuli.

Pro solutione.

Notandum, quod non est quærenda ratio, vbi sensus loquitur, & quotidiana experientia; vnde qui cauillis motum tollũt, non aliter confutandi videntur, quam Zenonem negantem præsertim motum localem, confutasse dicitur Cynicus ille, cũ deãbulans inquisitus quid ageret, soluimus inquit Zenonis argumenta. Hæc quamquam ita sunt; tamen motus non negatur nisi etiã contra manifestas rationes: Etenim cũ omnes virtutes actiuæ, omniaque agendi physica principia instituta sint, vt agãt, & trãsmutent aliquid, hoc autem non habeãt sine motu; Quoniam idẽ est in proposito & trãsmutare passum, & illud mouere ad suum actum, ac proinde esse motum, si motus nõ est, omnia illa frustra sunt, nec quidquam prorsus producitur in natura, quod cum sit manifeste falsum, & repugnet euidentibus.

Dicendum dari motum. Patet ex dictis, & confirmatur. Quia natura est principiũ motus, & quietis eius, in quo est: Efficiens est vnde motus in alio: Ergo necesse est dari motum. Vlterius res physicæ partim sunt in actu, partim in potentia; Ergo & dari debet medium, atque adeo aliquæ esse debent neque simpliciter in actu, nec simpliciter in potentia; sed quæ non amplius simpliciter sunt in potentia, neque adhuc simpliciter factæ sũt in actu, mouentur adhoc vt simpliciter in actu sint; Ergo datur motus, quo mouẽtur; transitus enim à potentia ad actum motus est.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod

motus

motus nulla pars est in esse permanenti, & in consistentia; quoniam motus est fluxus seu transitus; est tamē aliqua eius pars in esse fluenti, si sit successiuus; si autem sit instantaneus non est pars, sed totus motus, per modum tamen transitus, & actus imperfecti. Quare negatur minor, & ad eius probationem dicēdum, semper motus dum fit, aliquid ipsius esse præsens; non esse tamen præsens per modum permanentis, sed per modum fluentis, & transeuntis; & solū per modum permanentis, & tanquam totū simul assignādum esse mutatum esse, vt ibi dicitur. Quare negatur consequentia.

Ad secundam respondeo dicēdum, quod motus cum sit productio produci non debet; sed potius debet esse, id, quo terminus producitur, seu debet esse via ad esse. Quare ad argumentum in forma distinguitur maior: Quidquid est ex generabilibus in cōsistētia seu in statu perfecto debuit prius produci, vera est maior; Quidquid est vt ipsa productio, & transitus ad esse ex non esse debet produci negatur maior, quo sensu probauit Aristoteles 5.phys.motum non produci alio motu; tum quia terminus motus est quies & forma, non alius motus; tū quia daretur processus in infinitum; Quoniam & motus, quo alius fieret, alio etiam fieri deberet in infinitum, vt disciplinatione alia fieri deberet disciplinatio. &c.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod de motu, & alijs rebus fluentibus, seu quarum esse in fluxu consistit, & sunt via ad esse, sicut non dicitur generatio, vt patet ex philosopho, vbi supra; nec potest proprie dici corruptio, & quod corrumpantur; sed quod fluant, & fluendo sint, & desinant esse: attamen si motui corruptionem aliquo modo accommodare velimus, dicendum, quod si sermo sit de mensura corruptionis motus adæquata, in qua nimirum verum sit dicere nunc nihil est motus, cum immediatæ ante esset, hæc est instās immediate subsequens motum, seu in quo motus extrinsece desinit: si vero sermo sit de mensura corruptionis motus inadæquata, in qua verum sit dicere de aliqua parte motus, quod non est, hæc est In motu pars subsequens respectu antecedentis; Quoniam cum motus de successiuo loquendo, habeat suum esse in fluxu, perpetuoque partes priores esse desinant, & adueniant posteriores, in qualibet parte posteriori assignata verum est dicere desijsse priorem.

Oppones. si datur aliquis motus maxime motus localis; sed hic non datur; Ergo &c. Maioris sequela patet; Quia si vllus motus est euidens sensibus, hic est motus localis. Minor probatur argumentis Zenonis.

Primum 6.phys. Tex.19. in quolibet spatio sunt infinita puncta, & partes; sed infinita non possunt transiri; Ergo nullum spatiū motu pertransitur, ac proinde motus nō est: Minor probatur; Quia infinitum non pertrāsitur nisi tempore infinito; sed quodlibet tempus finitum est; Ergo non contingit in aliquo tempore moueri aliquid per aliquā magnitudinem. Respondet philosophus argumentum esse captiosum, & æquiuocum; Quoniam aliter accipit infinitum in magnitudine, aliter in tempore, in magnitudine accipit actu; in tempore potentia, cum tamen partes, & puncta in magnitudine nō sint infinita, nisi in potentia, & syncategorematice. Itaque distinguenda est maior. In spatio sunt infinita puncta, & partes in potentia vera est maior, sunt infinita actu falsa est maior. Ad minorem in forma nō possunt transiri infinita actu, vera est minor, infinita potentia actu tamen finita falsa est minor, vnde negatur consequentia. Et ad probationem minoris Respondeo infinitū actu nec finito, nec infinito tempore proprie pertransitur, sed ad summum infinito tempore adæquatur; Infinitum potentia non pertransitur, nisi tempore infinito, falsum est; Quia sufficit tempus finitum ad illud transeundum, quod tamen erit potentia infinitum; Quia infinitas partium proportionalium, & communicantium nō minus conuenit tempori, quam magnitudini, & quāto, quod infinitum dicit philosophus infinitum diuisione non extremis, & ex his soluitur.

Aliud argumentum Zenonis, quod est 6. physicorum Tex 77. tale. Nullum mobile potest peruenire ad terminum per spatium in quo mouetur, nisi prius transeat dimidium spatij, nec potest hoc trāsire nisi prius transeat aliud huius dimidium in infinitū, infiniti autem non est finis. Soluitur inquā, quia talia dimidia non sunt infinita nisi potentia, quæ in hoc argumento, & in diuisione mentali obiectiua accipiuntur quasi essent actu, vnde captiosum est argumētum,

ctâ ab eo, quod est obiectiue in mente trāſeatur ad id, quod non est in re; partes enim in re sunt finitæ actu, quæ proinde pertransiri possunt. Adde quod sicut in spatio per designationem fiunt dimidia infinita, ita fieri possunt in partibus mobilis spatium decurrentis, & motu; vnde dato antecedente, negari potest consequentia; Quia infinitum, de quo est sermo, alio infinito correspondente finiri poterit, cum sit infinitum imaginarium, quod alio imaginario infinito absolui non repugnat; & sic infinita dimidia transiri poterunt infinitis dimidijs assignatis in mobili certis infinitis dimidijs spatij æqualis mobili correspondentibus.

Tertium argumentum est Tex.75. Quod in quolibet instanti, seu nunc temporis quiescit non mouetur in illo tempore; sed id, quod moueri dicitur, puta sagitta, ī quolibet nunc temporis quiescit; Ergo nō mouetur. Probatur minor; Quia quod est in loco sibi æquali nō mouetur; sagitta in singulis, Nūc, est in loco sibi æquali; Ergo in illis nō mouetur. Respōdeo dicendū, quod quāquam in instanti non dicatur propriè esse quies, tamen hoc admisso, qđ quiescit in instanti pro eo instanti nō mouetur; negatur tamen, quod non moueatur pro toto tēpore; Quia tēpus non cōponitur ex instātibus. Ad minorē autem respōdeo esse falsam, & ad eam, & ad probationem eius dico, quod valent solum vbi, Nunc, seu instantia actu accipi possunt ex parte motus, vt nonnunquā in pūcto reflexionis; tunc enim in illo Nūc mobile aliquo pacto quiescit, & est in loco sibi æquali. Quia tamen in duratione motus accipi nō possūt talia nūc, quæ actu, vt talia sint à parte rei; ideo etiam accipi non possunt in tempore extrinseco; vnde falsum est, quod in quolibet nunc designabili sagitta, vel quid aliud, quod moueatur, re vera quiescat, & sit in loco sibi æquali per modum quietis.

Quartū argumētū T.78. si admittatur motus sequetur in eodem spatio Achillē velocissimum nūquam posse assequi testudinē tardissimā quantumcumque currat. Sequela probatur. sit spatium decem passuum, & in principio spatij sit Achilles, post duos passus in puncto .A. sit testudo: moueatur Achilles, & testudo, & Achilles decuplo velocius moueatur, dum Achilles mouetur per vnum & alterum passum nondum apprehēdit testudinē; Quia testudo mota est per duas decimas passus; rursus cū Achilles facit vnā decimā passus testudo facit decimam decimæ passus in infinitum, vnde nūquam Achilles apprehēdit testitudinem.

Respondeo dicendum, quod dum Achilles facit tertium passum & apprehendit, & superat testudinem; Quoniam cum Achilles decuplo velocius moueatur, dum mouetur per duos passus testudo non est mota nisi per duas decimas vnius passus, vnde dum efficit Achilles tres decimas tertij passus; Quia testudo non efficit nisi tres decimas decimæ apprehēditur ab Achille, & superatur septē partibus tertiæ decimæ.

Dices in qua Ergo parte determinata Achilles apprehendit testudinem Respondeo, quod in nulla parte per modū indiuisibilis, & consistentiæ; Quoniam motus motum non superat per modum indiuisibilis, cum sit continuus; nec per modum consistētis, cum sit in fluxu, intelligendo tamen diuisibile per modum indiuisibilis, apprehēdit in fine decimæ tertiæ decimæ sui tertij passus.

Hic occurrit non prætereunda responsio nōnullorū dicēnū Achillē in nulla parte spatij assequi testudinem, sed in toto spatio & assequi, & pertransire, qui aperte confutantur tum ex dictis, tum sensibili experimento, si fiat suppositio de testudine & serpente velocius currente, qui repiet, vt ad finem spatij veniat, supra testudinem: cum enim non pertranseat testudinem, nec ad terminum spatij veniat nisi supra ipsam transeundo, vtique in aliquo loco illam incipit contingere, et contingit, ac transit.

Quintum Argumentum ex Ariminensi si res mouentur, vel mouentur in loco, in quo sunt, vel in quo non sunt, non in quo non sunt; Quoniam res non habent accidentia vbi non sunt; Non in quo sunt; Quia in quo sunt quiescunt; Ergo non mouentur. Respondeo dicendum, quod quæ mouentur, vel mouentur motu circulari, vel motu recto; si mouentur motu circulari moueri possunt in loco, in quo sunt, secundum totum ad locum, in quo non sunt secundum partes; Quia in tali loco partes mobilis acquirunt nouum locum, & illis correspondent nouæ partes spatij,

licet

licet secundum totum mobile circulare sit in eodem loco; sed si mouentur motu recto, & sermo sit de loco mobili adæquato, nec proprie mouentur in loco, in quo sunt, nec in quo non sunt, sed à loco, in quo sunt ad locum, in quo non sunt; secus vero si sit sermo de loco excedenti assignabili; in eo enim dici possunt moueri, sicut dicimus aliquem moueri in cathedra &c. in loco autem sibi adæquato cur mobile non dicatur moueri duplex videtur ratio; prima; Quia in motu ratione fluxus mobile est in maiori loco; secunda Quia motus localis, sicut omnis alius motus, non penitus facit mobile in actu nisi in fine, actus autē mobilis, ad quem talis est motus, locus est, vnde in motu mobile non est in loco nisi secundum quid, siue indeterminato, sicut in calefactione subiectum simpliciter calidū non est; sed secundum quid, & in via, ac proinde cum localiter aliquid mouetur, nō potest dici, quod sit in aliquo loco sibi proprio, & adæquato, sed solum in communi, & excedente, in quo etiam moueri dicitur. Adde quod subiectum in motu locali ita fere se habet ad locum, sicut ad formam, & terminum in alijs motibus; sicut ergo nō dicitur quod calefit moueri in calore, sed ad calorem, ita & videtur dicendum de mobili ad locum non moueri in loco nisi modo dicto, sed ex loco ad locum.

QVAESTIO Secunda.

De distinctione motus à mobili, & ab actione, & passione.

VT melius habeatur quid sit motus distinguendus est ab ijs, cum quibus videtur vnum & idem esse, & primum videndum est, distinguatur ne à mobili.

Articulus primus. Vtrum motus distinguatur à subiecto, siue à mobili.

QVæstio difficultatem maxime habet in motu locali; absolute tamen, & vniuersaliter quæretur, vt constet quid dici debeat de omni motu, cum eadem in genere sit omnium ratio.

Sententiam negatiuam si accipiatur de motu locali tenet Ariminensis in 2. dist. 6. quæst. 1. artic. 2. eamque probat pluribus rationibus, quarum aliquæ potius militant contra vbi, quatenus dicitur esse forma cōstitutiua in loco, de quo infra, non contra motum, quatenus est mobilis agitatio, & forma delatiua: Aliæ non magis tollunt motum, vt quid distinctum à mobili, quam simpliciter tollunt motum, quibus fere occurrendum est, sicut Zenonis argumentis. Vlterius probatur eadem sententia primo. assignari non potest quid addat motus supra subiectum; Ergo nihil addit; Ergo idem est cum eo. Probatur antecedens in motu locali. Motus localis nihil ponit in subiecto, non substantiam, non qualitatem &c. dicente Aristotele 8 phys. T.59. Quia minime motuum id, quod mouetur, dum fertur, à substantia discedit; secundū enim solā nihil mutatur ab esse, &c. Ergo nihil addit.

Secunda ratio, motus localis nihil aliud est, quam successiua coexistentia mobilis & spatij; Sed talis coexistentia nihil ponit supra extrema cum certa negatione; Ergo motus nihil est distinctum à subiecto.

Tertia ratio, si motus localis est aliquid distinctum à mobili, maxime propter aliquod vbi intrinsecum, quod acquiratur; sed non datur tale vbi, vt postea patebit. Ergo.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. motus vel non distinguitur à suo termino intrinseco, vel solum distinguitur modaliter; sed siue hoc, siue illud sit, terminus distinguitur à subiecto; Ergo & motus. Probatur Minor; Quia terminus generationis, & nutritionis formalis, et intrinsecus est forma

sub-

substantialis, hæc autem, vt patet distinguitur à materia, in qua recipitur: terminus augmentationis est quantitas, hæc etiam distinguitur à subiecto, quod idem dicitur de qualitate, quæ est terminus alterationis; terminus igitur distinguitur à subiecto, atq; adeo motus.

Secunda ratio. Aliquando est substantia cum omnibus suis requisitis tam intrinsecis, quam extrinsecis, & non est motus; Ergo motus non potest esse idem cum subiecto. Probatur consequentia; quia quoties duo separantur realiter, & non solum distinguũtur connotatiue, illa distinguuntur realiter; sed hoc accidit in motu & subiecto; nam subiectum habet omnia requisita in ratione subiecti, & in ipso non est motus, alias est motus; Ergo motus distinguitur ab ipso.

Tertia ratio: Motus est fluxus formæ à virtute actiua mouentis in mobile; sed à virtute mouentis debet esse aliquid, & nõ mobile, siue subiectum; quia hoc præsupponitur; Ergo aliquid distinctum; Ergo motus est distinctus à mobili.

Pro solutione.

Notandum, quod non est difficultas nisi de motu locali, nam de alijs certum est, quod distinguuntur à mobili; quoniam, vt dictum est in prima ratione secundæ sententiæ, motus est idem cum termino, terminus autem in cæteris motibus manifeste distinguitur à subiecto, in quo recipitur, ac proinde & motus. Iam de motu locali considerandum est, quod idem fere est negare dari motum localem, & non ponere distinctum à subiecto; nam non est credendum ita stolidum fuisse Zenonẽ, vt putauerit res physicas non moueri, cum hoc pateat ad sensũ; sed tamen quidquid sit de hoc, nullo modo negari potest motum distingui à subiecto, & mobili: nam certum est potentiam motiuam esse facultatem naturalem cõcessam entibus naturalibus; impossibile autem est potentiam motiuam, esse propter nihil, vel exire in actum, & nihil omnino producere, maxime cum definiatur 5. metaphy. Tex. 13. principium transmutandi alterum, nihil autem trãsmutetur sine nouo actu recepto, quo mutetur; nã si dici potest aliquid transmutari ex eo solum, quod aliter se habet ad extrinsecum, & Deus dici poterit mutari, & vera mutatio esse in relatiuo. Vlterius maior vis facit maiorem motum, minor minorem, parua facit paruum motum; ergo vere mouendo facit aliquid, sed non facit subiectũ, quod iã est, nec facit terminũ extrinsecum, qui pariter est, nec indistantiã siue coexistentiam ad terminum extrinsecũ nisi per motum, quem producit in suo mobili, patet, Quia dum circa turrim mouetur aer, turris successiue coexistit diuersis partibus aeris, & tamen non mouetur; Ergo talis coexistentia non est per se terminus intrinsecus, & formalis motus; & aliquid debet esse in aere, qui mouetur, quod non est in turri, quæ non mouetur; Quod vlterius probatur; Quia inuariata penè coexistentia possunt esse plures & velocissimi motus, vt si per nauem velocissime motam, homo velocissime à prora currat ad puppim, vel in rota velocissime mota, si moueat se in illa in contrariam partem coluber. Præterea mobile vt sic, & per sua intrinseca est in potentia, & per verum actum potentiæ motiuæ fit in actu; Ergo intrinsece acquirit actum. Patet consequentia; Quia actus fieri debet in eo, quod ante ipsum proprie est in potentia, & quod ante erat priuatum; vnde motus proprie est actus entis in potẽtia. His accedit, quod si mouẽti subiectum aliquod obsistat alius maiori conatu, impedit illius actum; si minori solum retardat; Ergo vere impedit, vel retardat aliquam eius efficientiam in illo subiecto; Ergo motus est aliquis actus receptus in illo subiecto, qui non erat, dum non mouebatur, & variatur in illo, iuxta quod impeditur, vel retardatur mouentis actio, quæ cum ita sint.

Dicendum omnem motum, quicunque ille sit, re distingui à suo subiecto, quod ipsi præsupponitur, & in quo recipitur, dico quod ipsi præsupponitur. Quoniam cum terminus motus coalescit in vnum subiectũ cum materia, in qua recipitur, motus non potest secundum omnem considerationem distingui à subiecto, vt patet in nutritione, & in generatione. Cõclusio patet ex dictis, specialiter autem, vt videamus an sit coexistentia mobilis, & corporis contigui, siue complexum ex hoc & illo in motu locali sit secunda conclusio.

Dicendum igitur secundo non esse. Vt id probem statuo primo nunquam duo contradictoria dici posse de eodem secundũ idem. statuo 2. posito agente & proximo ei

subie-

subiecto disposito non esse negādum actū siue actionem, maxime cum est sermo de Deo primo agente. Statuo tertio non posse negari, quæ ostendit ratio, & sensus conuincunt, & reddi pro ratione negationis ipsūmet principium, quod tali ratione & experientia, siue sensus euidentia conuellitur. Neque enim bene dicitur si, remanēte quoad cætera mundo sicut est, Deus destruat aerem, & ignem non posse Deum mouere motu recto terram orientem versus, vel occidentem; Quia non habeat terra proximū corpus, cui per talem motū successiue coexistat. Si enim per hoc ipsum offēditur motum non esse complexum ex duobus corporibus successiuè coexistentibus, Quare pro ratione redditur, quod in quæstione est, & destruit argumentum? Non ne hoc est petere principium, & negare pro libito quidquid nobis Incommodat, quantuncunque verum & euidens sit? Si autem dicatur non posse Deū mouere terrā motu recto destructo aere, quod terra tangat cælum, & illa se tangāt, inter quæ nihil mediatur, in casu autem inter terram, & cęlum nihil mediet, cum sit destructum corpus medians. Nihil sanum dicitur; Quia superficies terræ, quæ nunc distat, Gratia exempli, centum millaribus à superficie concaua cæli destructo aere non amittit distantiam simpliciter, nec fit simpliciter cælo proxima, & immediata siue tangens; Quia ad tangens & simul requiritur, vt nihil mediet, nec mediare possit eo immoto; secus enim in casu dato cum superficies duorum circulorum inuicem contentorum coneaua scilicet, & conuexa immediatæ, & se tangentes æquales sint, vt euidenter demonstrat Mathematica, sequetur globum terræ habentem, circulariter superficiem conuexam 24 millium miliariorum æqualem esse superficiei concauæ primi cæli nobis proximi habenti circulum plusquam vicies maiorem: Quod si admittere stultum est, & illud sanum esse non potest. Itaque nulla ratio est, cur negetur in facta suppositione Deum posse mouere terram motu recto; Quia & ipsi non deest potentia, & terra est corpus mobile, & nihil est extrinsece repugnans, maxime quod nō possit Deus vincere sua omnipotentia. Dicere autem tunc terrā non motam iri; Quia non est illud extrinsecum, cum quo faciat illud successiuum complexum, principij petitio est, & ratio demonstrat contrarium, motūs tale complexū nō esse, Quod etiā euidenter demonstrat primum principium à nobis in conclusione constitutum: Si enim motus complexum est, fiet transitus à contradictorio ad cōtradictoriū sine mutatione, & verificabūtur simul contradictoria de eodē. Nā cū serpēs reptat supra lignū immobile, nō minus lignū successiue coexistit serpēti, q̄ serpēs ligno; Ergo non minus mouetur lignū quā serpens, & tamen lignū nō mouetur. Ergo mouetur, & non mouetur, Quæ sunt cōtradictoria, Quod multis alijs potest applicari, vt fluuio & alueo eius, quē certum est non moueri ad motum aquæ, cum tamen successiue coexistat aquæ, sicut aqua ipsi. Si dicatur quod alueus successiue aquæ coexistit ratione aquæ motæ circa ipsum, nō ratione sui moti circa aquam. ecce iā aliquid in aqua. quod nō est in alueo; Hoc autem quid aliud nisi motus, proximū principium huius successiuæ coexistentiæ? Demum cur homo existens in suprema superficie conuexa cæli rectus non possit attollere brachium, vel extēdere, cum habeat integram suam potentiam motiuam, & brachium sanum, nec quidquam brachium retineat? si autem potest brachium mouere vtique motu, sed tunc non est illud complexum, cum ibi non sit aliud corpus, cum quo componat, Quod æque dici potest de homine in aliquo cubiculo, cuius laqueare distet à pauimento trium hominum altitudine, si in eo fiat vacuum à Deo ibi corrumpente aerem, cur enim homo in pauimento rectus stans non possit attollere brachium, cum habeat sanum brachium, habeat potētiam motiuam, & inter ipsum & cubiculi laqueare, etsi nihil actu sit, possit tamen tātum esse aeris, quātum ante eius corruptionem præfuit, ac proinde sit vacuum, siue distantia negatiua trium hominum. Nam illa responsio, quod tunc homo tangat laqueare cubiculi, quod prius non tangebat, falsa iam probata est, & potest falsa Euidēter demonstrari à Mathematico posita suppositione, quod cubiculum, in quo fit à Deo vacuum, sit prorsus quadratum; latera enim erunt parallela, quæ æque debent distare in medio atque in extremis, sed in extremis distant altitudine trium hominum; Ergo & in medio tantundem distant: Ergo homo ibi rectus existens capite non tangit laqueare:

queare: Ergo poterit supra caput attollere brachium. Ecce vt euidenter rationes ostendunt motum nō esse illud complexū, quod ponit contraria opinio. Vlterius hæc est vera causalis, Idcirco sagitta successiue coexistit aeri, Quia per eum mouetur; ergo motus prior est natura tali coexistentia, ergo non est formaliter complexum, & coexistentia, sed consecutiue. Adde complexum potest fieri per sola extrema, vt si forte extendantur solæ partes extimæ, vel repetantur per diuinam omnipotentiam immoto subiecto, cum tamen motus, dum mobile mouetur in toto fit; Inde enim est, vt ad totum mouendum maior requiratur vis; & vt repugnantia mobilis, ac resistentia non fit primario, & directe contra coexistentiā, sed contra actum potentiæ motiuæ, quem excludens mobile consequenter impedit talem coexistentiam; & quod primario fit contra talem actum ostendunt effectus, qui inde resultant, vt lassitudo mouentis, debilitatio potentiæ motiuæ, & alia huiusmodi, Quæ si cum dictis diligenter attendantur, non video qui possit negare conclusionem, maxime cum ipse quoque sensus illā conuincat, cum sua experientia sentiat motum, vt sensibile commune, & distinguat mobile ab immobili, etiamsi tam immobile successiue coexistat mobili, quam hoc illi, sed sensus experimento non indiget conclusio, sufficit illi abunde ratio, & ipsa motus definitio; est enim motus actus entis in potentia; Ergo non est mobile neque terminus; sed neq; est coexistentia eius ad spatium; Quia hæc est hoc, & illud, nec magis est mobilis, quam termini, motus vero solius mobilis est; neque hæc dici potest actus entis in potentia. Et hæc est ratio à priori, sicut & illa petita à natura potentiæ actiuæ supra posita.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod motus localis supra mobile dicit agitationem, siue successiuam tendentiam ad locū, & nouum spatium; Auctoritas autem Aristotelis procedit de mutatione, quæ fit via ad nouum esse, & per quam mobile recedat à priori esse, qualis est in alijs motibus.

Ad secundam respondeo dicendū, quod coexistentia mobilis, & spatij est quid posterius motu, cum oriatur ex motu. Præterea talis coexistentia præcisis extrinsecis est negatio, quæ etiam esse potest in permanentia mobilis & spatij; motus autem est terminus positiuus actionis virtutis actiuæ, & solum est influxu, ac proinde non potest esse talis coexistentia propriè loquendo, & primario; sed solum dici potest esse coexistentia consecutiue.

Ad tertiam respondeo dicendum quidquid sit de vbi, de quo infra, quod motus est distinctus à mobili; maxime Quia est actus secundus potentiæ, & facultatis realis; & quia ad sensum apparet esse aliquando in mobili, aliquando non esse; neque enim sicut in relatione consequitur ad aliud, sed per se fit; neque est hoc vt illud, siue hoc & illud, sed est formaliter terminus efficientiæ potentiæ motiuæ, et posset esse sine extrinseco, vt si totus orbis vnum solum corpus esset, & moueretur circulariter.

Oppones, potest esse vera efficientia sine vllo termino de nouo à subiecto distincto, et hæc tam in rebus naturalibus, quam supernaturalibus, vt si quis alium teneat immobilem, et si Deus iubeat aquam vrere, vel producere gratiam etc. Respondeo dicendum, quod in illis, quæ pertinēt ad causam efficientem, nec inuoluunt causam formalem efficax voluntas Dei potest cuicunque enti creato dare vim ad quemcumque effectum non inuoluentem contradictionē sine noua entitate, in quo casu voluntas Dei terminatur ad creaturam, ipsiusque veretē entitatem, vt de nouo per talem terminationem fit noua virtus, in quo interuenit actio non realiter distincta, sed æquiualenter, et virtualiter, et hoc sufficit; Quia in ordine efficientis omnis creatura obedit Deo, nec ibi interuenire debet vera actio realiter distincta. Quia omnis creatura obedit Deo per illud ipsum, quod ipsa est; si enim solum inseruiret per additum, non obediret per se immediate. Ad illud autem primum respondeo dicendum posse aliquem teneri immobilem, & per veram efficientiam, & tunc interuenit vera actio, & posse teneri per impeditionem, & incompossibilitatem quasi formalem, qua se quanta penetrare non possint, quo pacto tenetur lapis immotus in pariete, & pila in circulo ferreo, & tunc nulla vera interuenit actio, & efficientia, ac proinde talis effectus tunc nihil aliud est, quam plura, & illud complexum sub tali ratione.

Art. 2.

Art. 2. Vtrum motus distinguatur ab actione, & passione.

ESt difficultas tam de distinctione formali, quã de distinctione reali. Quærimus ergo vtrum motus dicat rem aliquã, siue modum, quem non dicat actio, & passio. Secundo vtrum ita sit idem re cũ actione, & passione, vt simul idem sit conceptione, & ratione formali.

Prima sentẽtia vult distingui motum ab actione, & passione realiter, non ex per se significato, sed ex connotato; Quia connotat relationem realem ad terminũ, ad quẽ, à quo specificatur distinctam à relationibus: quas dicit actio, & passio.

Secunda sententia vult motũ nullo modo nec realiter, nec formaliter distingui ab actione, & passione.

Tertia sententia quasi media asserit non distingui realiter; sed tamen distingui formaliter, & conceptione cum fundamento in re.

Pro prima sententia est hæc ratio. Actio connotat relationem agentis in ipso fundatam, passio relationem patientis; sed motus dicit relationem ad terminũ; Ergo motus distinguitur realiter ab actione, & passione ratione relationis connotatæ. Patet cõsequẽtia; Quia relationes ad diuersã, debent esse diuersæ, ac proinde distinctæ.

Pro secunda sententia sunt hæ rationes. Prima ex Aristotele, qui secundo phys. Tex. 29. describens causam efficientem dicit eam esse principium, vnde motus; Ergo Aristoteles putat motum, vt motum exire ab agente; sed hoc ipsum est formaliter actio; Quia actio nihil aliud est, quam actus exiens ab agente; Ergo actio idem omnino est cum motu; sed motus etiam est actus mobilis, quæ est formaliter passio; Quia actus passiui vt sic est passio; ergo motus idem omnino est, cũ passione. Confirmatur ex 5 phys. Tex. 10. vbi probat Aristoteles ad actionem, & passionem non dari motum sic. Ad motum per se non datur motus; Ergo ad actionem, & passionem non datur motus: Quæ ratio, vt apparet, non valet nisi idem omnino sit motus cum actione, & passione. Nam & tertminus idem est realiter cum motu, & tamen ad ipsum datur motus propter distinctionem formalem.

Pro tertia sententia sunt hæ rationes: Prima ex philosopho, qui hic vult actionẽ, & passionem identificari vni motui, sicut accliue, & decliue est vna via; Et Athenis Thebas, & Thebis Athenas vna via est realiter, diuersa tamen conceptione, vt est via Athenis Thebas, & vt est via Thebis Athenas, & Tex. 22. hæc habet. Omnino vero dicere est, quod nec doctio cum disciplina, nec actio cũ passione idem proprie est, sed cui insunt hæc, motus; nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse ratione diuersum est.

Secunda ratio, actio est aliquis motus, & item aliquis motus est passio, cum per eam aliter, & aliter se habeat passũ; sed si actio, & passio re distinguntur à motu dabitur in eodem subiecto triplex motus; nam non erit maior ratio, cur distinguatur actio, & passio à motu, quam inter se, ac proinde triplici motu, siue forma mouebitur passum. Ex alia parte, quod motus distinguatur formaliter ab actione, & passione probatur sic. Motus æque communis est actioni & passioni; sed quod commune duobus est inter se diuersis formaliter, nõ põt esse idẽ formaliter cũ illis; Ergo motus non est idẽ formaliter cum actione, & passione. Prob. Minor, Quia quæ sunt eadem vni tertio sũt eadẽ ĩter se ea rõne, qua sũt eadẽ in vno tertio: Ergo si actio, & passio idẽ essent formaliter cum motu idẽ essent formaliter inter se; sed inter se sunt formaliter diuersæ, vt apparet ex diuersis denominationibus, & prædicamentis, quæ constituunt; Ergo nõ possunt esse idem formaliter cum motu.

Pro solutione.

Notandum, quod quando lignum calefit ab igne, ibi non sunt necessaria nisi hæc ignis calefaciens, lignum calefactum, & ipsa calefactio. Patet. Quia per hæc saluantur omnia, quæ dici possunt de igne, vt agente, & de ligno vt patiente; nam ignis calefaciens vere agit per calefactionem, vt per suam actionem; lignum dum calefit vere eadem calefactione patitur, & calefactio est motus ad calorem: talis enim motus, qui potest esse alius, quam calefactio cum nullo alio motu tũc moueatur lignũ?

cum ergo tria dicta sufficiant, & necessaria sint ad ea, quæ dicuntur de agente, & patiente, & de motu medio, frustra & sine causa alia ponuntur. Immo & impossibile est alia poni; Quia in casu dicto nulla alia res etiam formaliter intercedit præter tres dictas, cum autem idem eueniat proportionaliter in omnibus alijs mutationibus, necessario idem de illis dici debet, quod dictum est de calefactione ligni ab igne. Sed considerandum est, quod eadem calefactio siue calor in fieri & exit ab agente, quatenus ponitur in esse virtute agentis, & recipitur in patiente, cum de eius potentia educatur, vnde necessario habet rationem duplicis actus, cum vna res sit, & actus agētis, quod denominat agere & actus patiētis, quod denominat pati, ac proinde formaliter actio, & passio distinguuntur, cum & diuersorū actus sint, & diuersas tribuant denominationes; mot⁹ vero est, quasi quid medium; Quia est ipsa via, & tendentia mobilis ad terminum, vnde est, quod motus de sua ratione formali est quid incompletum, nec idem prorsus formaliter cū actione, nec idem prorsus formaliter cum passione, & si cum hac magis formalitate cōuenit, cum discrepet solum quod passio est actus patientis ab agente, motus est actus patientis, vt tendentia, & imperfectum ad vlterius; vnde motus de se nullas proprie das specificas denominationes subiecto, sed si quas tribuit sub his vocibus tribuit moueri, & motus, quæ tamen inferūt vel actionem, vel passionem; nam mouere dicit actionem, moueri passionem; & hinc est, quod motus consideratus de se, vt distinguitur ab actione, & passione, non constituat prædicamentum, nam ratio incompleta, quæ non multiplicatur in varijs generibus, & speciebus, nec variarum specierum denominationes tribuit, non constituit prædicamentum; talis autem est motus, qui vt sic, nihil aliud est, quam via & tendentia, ac proinde quid incompletum, qui prout distinguitur ab actione, & passione, non consideratur nisi generice, & in actu signato, quæ cōsideratio est incōpleta, ac proinde necessario distīcta aliqua formalitate ab actione, & passione, & vt appendix prædicamentorū in post prædicamentis locum habet. Quare

Dicendum motum distingui ab actione, & passione, sed solum formaliter, siue ratione formali inadæquata. Patet ex dictis, & Confirmatur. Quia sine distinctione formali, non saluantur ea, quæ dicuntur de motu, & non dicuntur de actione, & passione, vt sic, & per distinctionem formalē sine vlla alia saluātur; Ergo motus ab actione & passione distinguitur formaliter, nec plus distingui debet.

Ad rationes in contrarium pro prima sententia. Respondeo dicendum, quod si sermo sit de relatione proprie dicta nec actio, nec passio, nec motus vllam relationem dicunt; si vero pro relatione accipiatur quidquid connotat extrinsecum, & actio, & passio, & motus sunt relationes transcendentales; Quia sunt entia connotatiua; nam actio est actus agentis, ac proinde connotat agens, passio est actus patientis, vnde necessario passum dicere debet, motus & dicit passum, & terminum in ordine, ad quem concipitur vt via, & tendentia, ac proinde duplici connotatione completur, quarum quæ principalis est, & formalior, est ad terminum, ac proinde constitutiua est, & distinctiua. Hæ autem connotationes nisi accipiantur pro connotato sunt eadem res; idem scilicet terminus, siue forma secundum diuersas formalitates.

Ad rationes pro secunda sententia Respondeo dicendum, quod motus sæpe confunditur cum actione, & passione propter incompletam distinctionem, quam cum ipsis dicit; vnde non est mirum, quod in definitione efficientis ponatur motus, & quod illo modo argumentandi vtatur philosophus; nam ad actionem, & passionem non potest dari motus; Quia actio & passio, vt sic includunt motum, sicut & alia completa includunt incompleta; Quare in forma ad argumentū negatur consequentia; Quia ibi motus non accipitur rigorose, vt contradistinguitur ab actione, & passione.

Ad confirmationem respondeo, quod licet motus formaliter formalitate scilicet inadęquata distinguatur ab actione, & passione, ratio tamen philosophi probat; Quia formalis illa distinctio est cuiusdam rationis formalis inadęquatæ inclusæ in alia perfecta, & adæquata in suo genere, quæ est actio, & passio, & sic motus includitur in actione, & passione, & actio, & passio, dicunt aliquam viam, quæ est motus, sed

non dicunt viam, & tendentiam vt sic, vt, dicit motus, saltem explicite, terminus autem vt dicemus licet idem realiter sit cum motu; Quia tamen dicit consistentiā, & factum esse, admittit motum; Quia quod est, & aliquando non fuit, transit de non esse ad esse, in quo includit aliquam viam, ac proinde & motum.

Art. 3. Vtrum actio transiens sit in agente an in passo.

Duplex est actionū genus ex 9. metaph. Tex. 16. & communi philosophorum sententia, Vnum quod dicitur immanens, alterum quod dicitur transiens; primum quod sit in agente ostendit ipsum nomen, ac proinde de eo non est difficultas; est ergo difficultas de actione transeunte sit ne in agente, an potius in passo.

Prima sententia vult esse in agente ita Scotus in 4. dist. 13. quæst. 1. Caiet. pri. parte quæst. 25. artic. 1. Secunda sententia ponit
Te. 139. actionem transeuntem in passo est expressa
140. 141. Aristotelis lib 3 phys. cap. 6 & lib. 2. de ani-
&c. ma, & est communis peripateticorum.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima ab auctoritate Aristotelis 2. de anima Tex. 24. qui affirmat actum esse in eo, cuius est actus; sed 3. phys. Tex. 18. & 20. asserit actionem esse actum agētis; Ergo per Aristotelem actio est in agente. Confirmatur ex Tex. 9. lib. 8. phys. vbi vult mundum fuisse factum ab æterno; quia si mundus factus fuisset in tempore, fuisset, qui illum produxit nempe Deus mutatus, quod non valet nisi ponatur actionem esse in agente.

Secunda ratio, ex cap. 1. lib. de somno, & Vigilia eiusdem est actus, cuius est potentia; sed potentia actiua est in agente; ergo & actus eius, qui est actio, in agente erit.

Tertia ratio, actus denominat subiectū, in quo est; Ergo actio, si est in patiente, illud denominabit; Ergo patiēs dicetur agere, quod est inconueniens.

Quarta ratio, agere est magna perfectio agentis, & effectus formalis illius; sed perfectio agentis non potest esse in patiente, nec effectus formalis esse potest à forma, quæ non sit in ipso, cum ex forma, & subiecto coalescat; Ergo actio est in agente.

In cōtrariū pro secūda sentētia sūt hæ rationes. Prima ab auctoritate philosophi nā 9. metaphy. Tex 16. hæc habet. Quorumcūque itaque aliud quiddam præter vsum est, id quod fit, horum actus in eo, quod fit est, vt ædificatio in eo, quod ædificatur, & contexio in eo, quod cōtexitur, similiter & de alijs, & omnino motus in moto &c. & 2. de anima Tex 139. dicit actio, & passio in eo est, quod patitur, atque mouetur, & Agentis namque mouentisque operatio in ipso patiente suscipitur, atque inest, & paulo infra Tex. 140. sic ait. sicut enim actio, & passio in patiente est, sed non in agente, sic & ipsius sensibilis actus in ipso sensitiuo existit. & 3. phys. cap. 6. vbi ex professo tractat hāc quæstionem aperte docet actionē, & passionem esse vnum, eundemque motū, sicut vna est via Thebis athenas, & Athenis Thebas, & hunc esse in mobile, non in mouente, actionemque realiter in passo esse formaliter tamē esse actum agētis in passo.

Secunda ratio, actio transiens vt sic distinguitur ab actione immanente; sed si omnis actio esset in agente, non distingueretur; Ergo actio transiens non potest esse in agente.

Tertia ratio, non minus conuenit agere, & actio primo agenti, quam conueniat causis secundis: sed actio transiens primi agentis non potest esse in ipso; sed in passo; Ergo neque actiones causarum secundarum erunt in agente: Maior patet; Quia primus agens agit, & adhuc perfectius, quam causæ secundæ; Minor probatur; Quia si actio transiens primi agentis esset in ipso, subinde mutaretur, sicut subinde agit; vnde Deus non esset immutabilis contra illud psalmi 101. tu autem idem ipse es. & illud Malac. 3. ego Deus, & non mutor.

Pro solutione.

Notantum, quod impossibile est, quod actio transiens sit in agente, non solū quia actio transiens est ille actus, qui ab agente est in passo, ita vt videatur esse contra rationem actionis transeuntis illam ponere in agente; sed multo magis, quia actio est efficientia, qua aliquid à non esse transit ad esse; impossibile autē est, quod forma, quæ est in passo, transeat à non esse ad esse vt per suam rationem formalem, qua intrinsece transit, & efficitur, per aliquid, quod sit in agente, ac proinde ipsi extrinsecum;

nam posito quocunque ex parte agentis adhuc restat, vt forma, quæ fieri debet in passo, debeat intrinsece transire à non esse ad esse actionē, ac proinde per aliquid cum ipsa forma identificatum. Adde his, quod agens vt sic est in actu, & agit quatenus est in actu; passum vero patitur quatenus est in potentia, & priuatum; actus autem debet fieri in priuato, ac proinde, & actio in passo; secus enim agens non minus esset priuatum, quam passum, quod falsum est; vnde etiā in actionibus immanētibus nō eas recipit agens, qua agens, sed qua passum, quia qua agens non est priuatum, Quare.

Dicendum actionem transeūtem esse in passo. Patet ex dictis, & Confirmatur; Quia actio est, actus agentis in passum; sed vnus actus non potest esse intrinsecus duobus distinctis realiter, & separatis; Ergo.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod ex dictis satis constat, quid senserit Aristoteles in proposito; ad ea tamen, quæ ex ipso contra opponuntur. Respondeo quod actus alius est intrinsecus, alius extrinsecus; illa auctoritas procedit de primo, non de secundo, qualis actus est actio, quæ est actus quidam agentis, sed in passum, immo eo loco Aristoteles hoc aperte dicit: ait enim. Videtur in patiente, & disposito actiuorum inesse actus.

Ad confirmationem respondeo dicendū, quod sensus philosophi est, si mundus semper non extitit, oportet, quod prius fuerit, vt possibilis, & Deus vt potens producere, quod esse non potuit; quid.n. impediebat talem productionem? si autem aliquid impediebat, hoc remoueri necesse fuit, & nō sine motu atque adeo alterutrum mutari, ac proinde, & dari motum ante primum motum. si nihil impediebat; ergo semper producebat; ita philosoph⁹; cuius rationis vim examinauimus in tractatu de mundo.

Ad secundam patet ex dictis duplicem esse actum, alterum, qui dat denominationem intrinsecam alterum, qui dat extrinsecam. Ad probationem maioris respondeo dicendum, quod actus est eius, cuius est potentia, si sermo sit possessiue non semper inhæsiue, nisi sermo sit de actu immanente, & vitali, vt ibi.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod ab actu, sicut dictum est, duplex prouenit denominatiō extrinseca, & intrinseca, actus denominat illud, in quo est, denominatione intrinseca, sed quoniam actio vt sic solū dat denominationem extrinsecam, ideo licet sit in passo, vt sic non denominat passum; simile potest esse in visione, quæ vt est, id quo videtur obiectum denominat obiectum, denominatione extrinseca; Quia ipsa est in oculo, quem tamen ea denominatione non denominat; Vnde per eam non potest dici oculus visus, sed solum videns.

Ad quartam respondeo dicendum, quod loquendo de actione transeunte hæc est sola perfectio agentis extrinseca, quæ tamen arguit magnam perfectionem intrinsecam, nimirum virtutem intrinsecam ipsius agentis actiuam; Quare alia est perfectio intrinseca, alia extrinseca; sicut & effectus formalis, qui in proposito idē est cū denominatione formali; actio ergo trāsiens est perfectio extrinseca agentis, & dat denominationem extrinsecam, quæ coalescit ex forma extrinseca, & subiecto ab ea denominato, vt visū, vt calefactum, & alia huiusmodi.

Art. 4. Vtrum actio distinguatur à suo termino.

Dvplex est sententia vna, quæ vult distingui diminuta quadam entitate, & vt modum à re; Altera quæ vult solum distingui formaliter siue ratione ratiocinata, idem tamen esse realiter. Primam docet Aureolus in 2. dist. 1. quæ. 2. art. 2. Suarez disp. 18. metaphy. sect. 10. præsertim num. 8. & disp. 48. sectione prima, & alij. Secundam sequitur Sotus hic quæst. 1. & 2. Soncinas lib. 5. metaphy. quæst. 36. & 38. Heruæus & alij. Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima ratio, actio transiens est idem realiter cum motu, & passione ex dictis supra, & Aristotele hic; sed motus non potest idē realiter esse cum forma, quæ est terminus actionis; Ergo neque actio transiens. Minor probatur. Plerique motus sunt successiui, & eorum termini sunt permanentes; Ergo saltem huiusmodi motus non possunt esse idē realiter cum termino. Consequentia probatur; Quia in motibus successiuis necesse est assigna-

assignare partes, quæ sint in continuo fluxu, ita vt aliæ acquirantur, aliæ deperdantur; sed termini permanentes debent habere suam entitatem, quæ non deperdatur, sed tota consistat; Ergo non possunt esse idem realiter entitas motus, & entitas terminorum; Nam alioquin eadem entitas haberet partes permanentes, & non permanentes.

Secunda ratio, remanet terminus, & realiter desinit actio; Ergo actio non est idem realiter cum termino. Patet Consequentia; Quia illa duo non sunt vnum, quorum vnum potest esse sine alio; sed potest esse terminus corrupta actione; Ergo terminus non est idem realiter cum actione; Minor probatur; Quia actio ex iam dictis est idem cum motu; sed producto termino non est amplius motus; Quia semper motus est ad aliquem terminum; Ergo est terminus cum non est actio.

Tertia ratio, si actio est idem cum termino maxime est idem cum termino vt dependente ab agente; Ergo formaliter actio erit dependentia ab agente; Quia terminus formaliter est dependens per rationem formalem, quæ non potest esse nisi dependentia. tunc sic. actio formaliter est dependentia ab agente, vel ergo est quid realiter distinctum à suo termino, vel non; si primum habetur intentum, si secundum; ergo semper erit actio dum est terminus, quod falsum est; Quia transacta actione remanet terminus.

Quarta ratio, si actio formaliter est dependentia termini ab agente, vel hæc dependentia est relatio transcendentalis, vel prædicamentalis; si hoc secundum; ergo nō erit distinctum prædicamentum actionis à prædicamento relationis. Si primum cum relatio transcendentalis possit esse sine termino, poterit esse actio siue agente.

Præterea relatio dicit esse, ad, actio dicit esse, ab, & hoc esse, ab, medium quid est inter terminum, & agens.

In cōtrarium pro parte negatiua sint hæ rationes. Prima si actio realiter distinguitur à forma, quæ fit, vt calefactio à calore; maxime Quia prius natura debet esse actio, quam forma; hoc autem est impossibile; Quia sequeretur actionem posse esse sine forma. Sequela probatur; Quia omne prius potest absolutā suo posteriori in eo, in quo est prius. Quod autem illud sit impossibile probatur; Quia impossibile est esse efficientiam, & nihil fieri.

Secunda ratio, creatio est aliqua actio; sed creatio in creatura nihil pōtesse aliud, quam creatura. Quid enim aliud fit esi creationi non præsupponatur subiectum? Ergo identificabitur cum creatura, ac proinde actio idem erit cum termino.

Tertia ratio, frustra fit per plura, quod æque bene fieri potest per pauciora; sed sine modo distincto realiter æque bene intelligitur res fieri, ex eo, quod ipsa vi agentis ex non esse transit ad esse, Ergo non debet poni actio, quæ sit realiter à termino distincta. Patet consequentia; Quia id, quo res ex non esse venit ad esse vi agentis, est actio.

Quarta ratio, si actio transiens est modus re distinctus à termino; vel est in ipso agente, vel in passo. Non primum; Quia vt ostēdimus actio transiens non est in agente. Neque secundum; Quia agens dum agit diuerso modo se habet, atque cū non agebat. Dices diuerso modo se habere per modum extrinsecum. Contra est; Quia iste modus in aliquo debet esse; Erit ergo in eo, quod fit, sed tunc præsupponetur terminus actioni. nam subiectum præsupponitur accidenti, & sic erit terminus ante actionem, quod est impossibile. Præterea cū agēs actu agat per virtutem, quæ est in ipso, & prius per illam virtutem non ageret, diuerso modo se habet quo ad illam virtutem, ac proinde in se diuerso modo se habebit; vel ergo per aliquam rem distinctam à sua virtute actiua, & sic dabitur modus actionis in ipso agente, vel per nihil, sed solum per extrinsecam connotationem, & tunc pari modo terminus per connotationem ad virtutem actiuam, qua ponitur in esse poterit esse actio, sine vllo alio modo, qui sit res distincta ab ipso termino.

Quinta ratio, si actio est modus quidam realis distinctus à termino dum fit calor in aqua præter entitatem caloris dabuntur ibi quatuor entitates distinctæ, nimirum duo modi; Quibus agentes primus, & secundus causant; tum erit tertius modus, quo causat materia patiendo, & modus quartus, quo causat ipse calor productus informando subiectum: Inconueniens autem est multiplicare tot entitates, vbi vna tantum entitas producenda est: Ergo.

Pro

Pro ſolutione.

Notandum, quod dubium non eſt, quod in rerum natura dentur modi; nam nullus negare poteſt rem quãcunque diuerſo modo ſe habere cum fit, atque cum non fit, & hoc non per intellectũ, ſed vere à parte rei: Nam dum fit, vere fit, & cum iam eſt non fit, etiam ſi nullus id cogitet intellectus, vt proinde rationabiliter controuerſia eſſe nõ poſſit, Vtrum à parte rei dentur modi, ſed controuerſia eſt, quid modi iſti addant rebus, quarum dicuntur modi. Aliqui, ſicut dictum eſt, volunt addere entitatem, ſiue realitatem poſitiuã diſtinctam, & ſine hac nomine tenus putant concedi modos. Alij huiuſmodi entitatem tollunt, & dicunt modos eſſe ipſammet rerum entitatem, vt actu à parte rei fungentem aliqua habitudine, qua poſtea nõ fungitur, ſiue quatenus eſt actu cum diuerſis à parte rei connotatis, & hanc vt vitent entitatem illam modorum realiter diſtinctam, appellant diſtinctionem formalem ex natura rei, ſiue ratione ratiocinata, ideſt, quæ non ſit mere per rationem; ſed habeat actuale fundamẽtum in re, non ita tamen, vt termini diſtinctionis æque in re diſtincti ſint, atque diſtincti concipiuntur, & propoſitionibus enunciantur, cum dicant eandem rem, ſed ſub diuerſa complexione aliarum rerum, & cõnotatis etiam eiuſdem rei. Nam quod fit vere antea non erat, vnde vt ſic cõnotat ſuum præceſſiſſe non eſſe, quod factum eſt, & non fit, connotat ſuum fieri præceſſiſſe, & nunc habere eſſe, quod ante hoc nunc accepit; vnde diſtinctio in hoc eſt ſtatuum realium, & connotatorum realium, eiuſdẽ tamen rei; Quibus præmiſſis vt ad propoſitam controuerſiam veniamus conſiderare oportet, quod actio eſt id, quo agens ex nõ eſſe ponit in eſſe aliquam rem, ſiue magis, quo res ex non eſſe tranſit ad eſſe; Quia id, quo, ſtat dupliciter, & poteſt eſſe principium agendi, & actio non eſt, ac in agente eſt, & poteſt eſſe via, qua res, quæ fit venit ad eſſe ex non eſſe, & in effectu eſt, atque actio eſt; cum ergo actio hoc ſit, & in paſſo ſit, vt ſupra concluſum eſt, Conſiderandum ſecundo eſt, quod in re, quæ fit, ita ipſi intrinſecum eſt, tranſire à non eſſe ad eſſe, vt impoſſibile ſit hoc ab ipſa tolli; nam ſi non erat, & modo fit, procul dubio illa met entitate, qua in eſſe ponitur, tranſit ex non eſſe in eſſe, vt proinde ſiue per intellectum, ſiue per impoſſibile tollatur diminuta illa entitas, quam prima ſententia vult eſſe actionẽ à re, quæ fit, adhuc in ea ſaluetur tota ratio actionis ex eo præciſe, quo fit illud, quod in ipſa eſt, vt ab actione ſic per intellectum ſeparata. Immo & ipſa actio, ſi entitas quædã diſtincta eſt, diſtincta fiet actione; nam & ipſa debet vi agentis tranſire de nõ eſſe ad eſſe, ac proinde per modum à ſe diuerſum, & ſic in infinitum. Nam ſi ens, quod fit, eo ipſo, quo fit, nõ tranſit ad eſſe, & ſe ipſo, ſed medio modo diſtincto, cum in hoc omne ens ſit par; Quia omne ens creatum ſic fit; conſequẽter omne ens indigebit modo à ſe diſtincto, & ſic dabitur modus modi in infinitum: Nam reſponſio, quæ affertur de cauſis formalibus hic non habet locum; Quia forma non ſubit rationem ſubiecti, & ſubiectum habet diſtinctam rationem à forma, vnde per formam formari debet, non forma per formam; at hic omnia entia creata ſunt paria; Quia vt entia creata omnia tranſire debent ad eſſe ex non eſſe, ac proinde æque ad iſtas diminutas entitates modorum dabuntur modi diſtincti, atque dantur ad terminos; cum ergo in propoſito iſtæ diminutæ entitates diſtinctæ, & in ſufficienter, & inutiliter ponantur.

Dicendum actionem non diſtingui à termino vt modum, qui ſit aliqua res diſtincta, ſed ſolum diſtingui formaliter, & connotariue, ideſt eſſe ipſumet terminũ ſub ratione dependentiæ actualis à virtute actiua, qua terminus de non eſſe tranſit ad eſſe. Patet ex dictis, & Cõfirmatur. Quia ſi actio eſt modus re diſtinct[us] à termino, actio qua agit Deus cum cauſis ſecundis erit aliquis modus diſtinctus à termino, & ab actione cauſæ ſecundæ; Quia actio Dei, vt ſic non eſt actio cauſæ ſecundæ, nec actio cauſæ ſecundæ, vt ſic eſt actio cauſæ primæ; Quia actio cauſæ ſecundæ eſt cum dependentia, & ſubordinatione ad cauſam primam non è contra; & ceſſat actio cauſæ ſecundæ, & remanet actio cauſæ primæ ſub ratione cõſeruationis iuxta illud Chriſti Domini. Pater meus vſque modo operatur: ex quibus duo ſequuntur incommoda ſcilicet vnam rem duplici fieri modo, & actione re diſtincta, & aliquam rem nõ eſſe à Deo; nam

actio

actio causæ secundæ, vt sic à Deo non est.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod male putant aliqui non esse mótum successiuum nisi eius partes ita fluant, vt priores corrumpantur aduenientibus posterioribus, quod si verum esset nullum ens permanens fieri posset per motum; nam si verbi gratia in calefactione cum fiunt partes posteriores, corrumpũtur priores, cum partes priores includant terminum corrumpi debebũt aliquæ partes termini, ac proinde nunquam per calefactionem fieri poterunt octo gradus caloris in subiecto. si dicatur corrumpi partes priores, & non terminum; contra est; Quia non solum motus identificatur cum termino; sed præterea ipsæmet partes caloris priores accipiebant esse, quando non accipiebant partes posteriores: Ergo in ipso transitu de non esse ad esse diuersarum partium caloris omni alio sublato, est quidam motus successiuus, cuius priores partes realiter non corrumpuntur aduenientibus posterioribus, sed solum desinunt quoad connotationem accipiendi esse. Quare in forma ad argumentum negatur minor. ad probationem patet ex dictis.

Ad secundam respondeo dicẽdum, quod remanet forma, & desinit actio solum formaliter, & ratione connotatorum; Quare in forma negatur antecedens, si realiter significet rem, quæ est in se actio separata à connotatis desinere. Ad probationem dico, quod motus vt sic præsertim successiuus nũquam præscindit à tali connotato, quod scilicet actu fit virtute mouentis tunc ad ipsũ concurrentis; Et quod parti prius factæ eadem virtute succedat alia pars, ac proinde vere dici possit desinere motum remanente termino; nam etiam præcisa quacunque alia entitate, & modo distincto, vere partes termini vt accipiunt esse, sub ista scilicet formalitate, desinunt, & remanent vt factæ, & positæ in esse; Neque hoc est per solam rationem, sed ex natura rei nullo cogitante intellectu; neque valet si dicatur non posse præscindi illum modum: nam ipsæmet partes termini transeunt de nõ esse ad esse, vt necesse sit dari istũ transitũ sine modo distincto. Ad illud axioma illa duo non sunt vnum, quorum vnum potest esse sine alio, sicut & ad illud, quod opponi solet; Non datur transitus de contradictorio in contradictorium sine acquisitione, vel deperditione alicuius realis. Respondeo dicendum, quod quoties in re vnum in vno statu dicit aliquod connotatum, quod non dicit in alio suo statu, & sub tali ratione denominatur, potest fieri transitus à contradictorio in contradictorium solo mutato connotato, & sic idem in se immutatum potest dici nouum, & vetus, siue non nouum, solum mutato tempore cõnotato. Quare & duo non sunt vnum, quorum vnum potest esse sine alio, sub ea scilicet ratione vnum non sunt, sub qua vnum potest esse sine alio; sed terminus quoad realitatem non potest esse sine realitate actionis, licet possit esse sine formalitate, & statu; nam id, quod est factum, est id quod aliquando fiebat, & transibat de non esse ad esse, quod est agi, siue fieri.

Ad tertiam, concesso toto illo Enthymemate, ad illud quod assumitur negatur, quod semper sit illa dependentia dum est terminus; Quia hæc non absoluit à talibus connotatis, & non semper terminus transit de non esse ad esse virtute agentis, quod necessario dicit illa dependentia. Dices saltem est eadẽ dependẽtia, realiter. Respõdeo ly. realiter potest facere duplicem sensum, alter est realiter hoc est, res illa est, quæ dependentia erat, & verum est. Alter sensus est, realiter, idest fungens eodem munere reali penes sua connotata, quo fungebatur ante, & falsum est; Quia prius vi agentis ponebatur in esse, nunc si non sit ex illis, quæ debent necessario semper cõseruari, vt lumen, non habet amplius analogiã ad virtutem agentis, ita vt nisi eodem modo se habeat ad agens, suum reuertatur ad non esse.

Ad quartam negatur, quod omnis relatio transcendentalis possit esse sine termino; neque .n. põt esse visio sine re vita; Itaq; ex genere quidem suo non est, quod debeat necessario esse relationis transcendentalis terminus; sed ex tali vel tali specie tamen esse potest.

Ad instantiam respondeo dicendũ, quod relatio transcendentalis latius patet, quam prædicamentalis, vnde aliquando dicit, Ab, aliquando, In, &c. Et dicitur esse media inter agens & terminum, non per exclusionem vtriusque extremi, sed per formalitatem, & habitudinem diuersam.

Op-

Opponesi dependentia, quæ est actio, identificaretur cum termino, non esset maior ratio, cur terminus potius penderet ab hoc agente, quam ab illo; Quia ab illo poterat produci; Ergo assignari debet aliquid distinctum à termino, per quod formaliter determinetur, vt dependeat potius ab hoc, quam ab illo; ipsa enim entitas termini est indifferens, vt pendeat à diuersis.

Respondeo dicendum, quod, quoniam id præcise, quod est terminus, accipit esse ab vno agente, & non ab alio; ideo potius pendet ab vno, quam ab alio; Vnde quod ab vno agente dependeat, & non ab alio, terminus non habet ab aliquo modo; nam sublato quocunque modo distincto, si ex vi certæ causæ transit de non esse ad esse, Et ille modus, qui ponitur esse actio, siue per possibile, & diuinam omnipotentiam, siue per impossibile, ponatur in termino, qui est ab alia causa; non tamen propterea hic à prima illa causa pendebit, & prior ille pendebit; itaque quod terminus pendeat non facit modus distinctus, sed facit hoc, quod suum esse accipit ab aliqua caula, ita vt si non accipiat, non pendeat; Quia pendere in proposito hoc est; transeat quod antecedenter poterat à diuersis pendere, tamen consequenter non pendet, nec potest.

Dices non ne dependentia, quam dicit formaliter actio, debet intelligi in termino, vt in subiecto? sed subiectum præintelligitur ad illud, quod est ipsi forma; Ergo terminus præsupponetur ad actionem, cum tamen actio sit id, quo fit terminus. Respondeo dicendum, Quod dependentia non potest distingui ab ipso termino vt fit, licet distingui possit à termino vt factus est formaliter, ac proinde loquendo de dependētia actuali termini ab agente, non potest ipsi præsupponi terminus; Quia hæc dependentia, etiam considerata in abstracto, nihil est aliud, quam ipse terminus, vt exit à virtute agentis. ratio potius vim habet, si detur illa entitas modi distincta; nam cum hæc in termino esse debeat, maxime quando fit ens per se, vt in creatione; vere & realitar dabitur terminus ante actionem, quod est impossibile.

QVAESTIO TERTIA.

De Quidditate motus.

POstquam constat de An sit motus, & distinctione quærendū sequitur de quidditate, & natura illius, atque de ijs, quæ eius definitione comprehenduntur.

Art. 1. Vtrum motus sit actus entis in potentia prout in potentia.

PRo parte affirmatiua est auctoritas Aristotelis lib. 3. phys. Tex. 6. & interpretum peripateticorum.

In contrarium pro parte negatiua ex 3. phys. Tex. 12. & sequentibus fuerunt aliqui antiquorum, qui dixerunt motum esse alteritatem, inæqualitatemque, siue non existētiam, & sunt hæ rationes.

Prima vel motus hic definitur, vt passio physica, vel in tota sua latitudine; si primū dicitur male, Actus entis; Quia ratio entis, vt sic non est considerationis physicæ, nec physici subiecti; si secundum male fecit Aristoteles, qui cum passiones physicas cōsideret, dat tamen definitionem se extendētem ad metaphysicas.

Secunda ratio, ens in potentia præter potentiam dicit priuationem adiunctam; sed impossibile est ens sub motu habere priuationem, Ergo definitio est falsa. Maior patet ex multis locis Aristotelis supra alias tactis. Minor probatur; Quia motus est act' vt etiam ponitur in definitione eius, sed actus tollit priuationem; Ergo impossibile est subiectum sub motu habere priuationē; Quia haberet duo opposita.

Pro solutione.

Notandum, quod tripliciter explicasse videtur naturam, & quidditatem motus Aristoteles; Primo quidem Tex. 6. libri. 3. dicens eius, quod potentia existis actus, quatenus huiusmodi, motus est, & Tex. 16. sic. Motus est actus mobilis quatenus mobile existit. Tex. vero 18. tali pacto. Motus est

actus

actus mobilis, & motiui. In quibus definitionibus bene explicata videtur natura motus, cum vt accidens motus definitus sit per suum subiectum proximum, & proprium, & per id, quod est ipsi quasi genus, nimirum per actum. Prima vero omnium absolutissima censetur, pro quo considerandum est, quod entia naturalia tripliciter habere se possunt; nam vel sunt mere in potentia, vt cum aliqua sua perfectione penitus carent, & tunc moueri non dicuntur; vel sunt prorsus in actu, vt cum habent omnem suam perfectionem, & tunc ad eam moueri pariter dici non possunt; vel tertio nec sunt penitus in potentia, nec absolute in actu, & tunc moueri censetur; nam neq; adhuc peruenerũt ad formam, & perfectionem vltimo intentam saltẽ in statu, & pacifice possessam, & eam iam aliquo modo habent, & sunt in via ad illam vltimato obtinendam, & in consistentia: ex quo est, vt motus sit actus entis in potentia, idest existentis in potentia: Ens enim hic sumitur participialiter, vnde textus habet, Eius, quod potentia existit. Vt autem definitio melius intelligatur, explicanda sic est. Dicitur motus actus, quã particulam variè accipiunt interpretes; nam aliqui Græce legunt Endelechiam, alij legunt Energiam; quoniam putant Endelechiam significare semper actum perfectũ, quod deducũt a notatione nominis quasi Endelechia sit ἀπὸ τῦ ἐντελῦς ἐχίιας hoc est eius, quod est perfectum, possessio; cum tamen motus sit actus imperfectus: sed tamen Endelechia nõ semper videtur sumi in eo rigore significationis. immo Tullius in Tusculanis vertit continuatam motionẽ cõtra quod tñ est. Quia si Philosophus motum per motionem definiuisset, explicasset idem per idem. sciendum igitur est ex lib. 2. de anima Tex. 2. quod duplex est Endelechia, prima, & secunda: secunda est, quæ fit à prima, & nihil est aliud, quam operatio primæ, & prima est, vnde proficiscitur operatio, motus ergo si consideretur respectu virtutis mouentis, a qua fit, videtur actus secundus; si consideretur respectu mobilis, & termini, vt potius considerari debet, habet quandam rationem actus primi; Nam actus primus adhuc dupliciter diuidi posse videtur; alius enim est, qui perficit subiectum in statu, & consistentia, & est forma in esse completo; alius, qui est tendentia, & via, per quam subiectum tendit in formam; Et hic propriè est motus, qui dicitur actus mobilis quatenus mobile est; Quia illud vt tale actuat, & facit vlterius tendere ad suum terminum, & perfectionem in statu perfecto, & consistentia; tamen actus, quia dignoscitur ex suo effectu formali, & modo suum perficiendi subiectum, ideo explicanda est secunda particula, cuius explicatione de acceptione actus melius constabit. Dicitur existentis in potentia, quod non vno modo intelligi potest; Primo enim sensus esse potest. Motus est actus existentis quantum est de se in potentia ad ipsum; & hic sensus, nisi aliud addatur, non est verus, nec per definitionem intentus; Quia hoc pacto omnis forma naturalis esset motus; Quoniam est actus existentis, quantum est de se in potentia ad ipsam, ac proinde aliquãdo in ipso non erat. Vlterius cum actus in aliquo est, illud iam non existit ad illum in potentia; sed magis est potentia; Quoniam esse in potentia ad aliquid, includit aliquam ipsius priuationem, quam impossibile est dicere subiectum respectu actus, quem habet. Vt ergo subiectum dici possit existens in potentia respectu alicuius habiti necessum primo videtur, per ipsum eius non expleri potẽtiam; quod tamen adhuc satis non est; Quia formæ sublunares non censentur explere potentialitatem materiæ, nec tamen sub illis subiectum dicitur esse in motu, sicut nec dicitur esse in motu subiectum cum est sub forma remissa, vt sub calore vt quatuor, cum tamen vt sic videatur esse in potentia proxima ad vlteriores gradus. Itaque existens in potentia, vt accipitur in definitione motus, debet necessario dicere actu aliquam tendentiam, quæ multipliciter concipi potest; & primo quidem respectu termini a quo, ita vt tunc primum intelligatur fieri transitus ad positiuum ex priuatiuo, ita vt in illo momento præintelligatur priuatiuum, vt a quo veniatur ad positiuum; Et illo modo motus erit omnis

nis productio in ente creato, & omne ens creatum ens in potentia; Quia vera in eo acquisitio non habitæ formæ est, & omnis actus in eo est ex priuato, nec opus erit tempore, vt sit motus; nec quod operatio vlterius tendat, & huiusmodi conceptio motus, & acceptio mala non est, cum à parte rei, vere tale quid sit: Nam entis, quod simpliciter actus non est, qualé creatum est, proprium est tendere ad actum ex nō actu; vnde in priori naturæ, etiam cum fit actus, præcedit non actus, & priuatiuum, non vt dicens, In, in eodem signo, & momēto, sed vt dicens, ex, & signum à quo; Qua ratione supra diximus in tractatu primo dici posse Priuationem principiare in eodem momento, quo fit forma; Quia duo instantia naturæ possunt esse simul, quæ simultaneitas intelligi non debet quasi vtrunque instans dicat, In, sed quod vnum quidem dicat, In, alterum vero, ex, vel, ab, quibus intelligitur respondere vnum instans extrinsecum temporis, in quo primo fiat forma, ac proinde procedat ex non esse tunc necessario præintellecto; Et in illa acceptione motus comprehendit, sicut iam dictum est, omnem productionem, etiam instantaneā, nec vllam dicit propriam successionem, vel cōtinuationem: Sed non videtur propria, & intenta hic illa acceptio.

Secundo tendentia existentis in potentia potest esse respectu termini ad quem, ac proinde ex actu, sed quasi imperfecto ad actum sed perfectum; quod potest esse dupliciter, vel scilicet ex actu diminuto ad completum, vel ex actu non habente vt sic suum statum perfectum ad perfectum, non ex imperfectione rei, sed modi essendi, & effectus; Et acceptomotu hoc secundo modo comprehendit productiones etiam instantaneas, sed non omnes, sed solum illas, quæ per se non intenduntur, & vt sic, sed ratione alterius; quo modo generatio substantialis erit motus; Quia non intenditur per se vt sic, sed propter genitum esse: Verū actiones, & intellectiones, quæ sunt actus secundi vitæ, vt sic, non erunt motus; Quia ad aliud vlterius non ordinantur; sed quatenus tales intenduntur, Et sunt bonum viuentis. Primo autem modo quatenus scilicet motus dicit tendentiam, & viam ex diminuto ad completum, siue ex parte habito ac habendum adhuc aliud partim non habitum, solum erit successiuorum, & continuorum; Et proprie hic intenta; Quia sola cum omni proprietate est actus existentis vt sic in potentia: Quamquam exclusa censenda non est acceptio prior, vt proximo dicetur articulo. Itaque definitionis sēsus est. Motus est actus mobilis per ipsum existentis in potentia proxima ad vlteriorē aliquam perfectionem, siue sit à motu re distincta, siue re distincta non sit, sed habeat diuersum tantum statum, & modum perficiendi subiectum; nam vt dicitur 11. metaphy. summa 4. cap. 1. Motus non est actus illius, quod potest esse calidum; neque illius quod calidum est, sed medio modo, illius scilicet, quod calefit, & habet inchoationē caloris, siue calefactionem, per quam tendit ad calorem in esse perfecto, & consistētia, per quem deinde subiectum absolute calidum dici potest, quod statim atque obtinetur cessat motus, vnde primo de generatione Tex. 55. præsentibus habitibus cessat motus. Est igitur motus actus mobilis, quatenus mobile est, nō prorsus perfectione, ad quam est mobile spoliatr, nec simpliciter habentis illam, sed partim habentis partim non habentis, habentis scilicet in fieri, & in via, non habentis in facto esse, & consistentia, apti tamen proxime sic habere, quod cum bene expressum sit per actum entis in potentia, vt in potentia, vt patet ex modo explicatis.

Dicendum ea definitione bene definitum esse motum. Patet ex dictis, & Confirmatur; Quoniam natura motus quasi generice melius explicari non potuit, quam per particulam Actus, cum sit motus aliqua perfectio, & actualitas mobilis, vt proinde eius actus dici possit; nec quasi specifice melius explicari potuit, quam per proprium subiectum, ens scilicet, vel existens in potentia, & per proprium munus, & quasi effectum formalem, quem motus tribuit mobili, vt sit in proxima potētia ad aliquid aliud, vel scilicet ad totalem perfectionem, vel ad formam in statu perfecto, & consentaneo, secundum quem eam habere potest natura subiecti.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod vt patet ex dictis hic, ens non sumitur nominaliter, nec pro gradu metaphysico; sed pro eo, quod existit in potētia ad aliquam

vlte-

vlteriorem perfectionem per motum acquirendam: & licet secundum veritatem aliqua alia entia non physica localiter moueri possint, & moueantur; tamen in via Aristotelis, qui intelligentias existimare videtur prorsus immobiles, idem est existens in potentia, & corpus mobile; solum opponi potest doctrina philosophi de anima rationali, quæ per ipsum aduenit extrinsecus; Vnde dici poterit, quod in physica motus, ad perfectam ipsius intelligentiam, Vniuersaliter definitus est, vel etiam, quod solum in corporibus est actus entis in potentia, prout in potentia; Quoniam sola corpora per motum sunt in potentia, cum per illum vel tendant ad propria loca, quæ sunt aliqua ipsorum perfectio, vel mutent locum, & cum alijs corporibus coniungantur, ex quo etiam perficiuntur: per motum autem localem intelligentiæ non sunt in potentia ad aliquam vlteriorem perfectionem, quandoquidem nõ afficiuntur, vt corpora, à loco extrinseco, sed ipsæ loco dominantur, quod & dici potest de anima rationali in statu separationis; nam in corpore vnum facit cum corpore.

Ad secundam patet ex dictis.

Oppones definitio assignata non conuenit omnibus definitis; Ergo non est bona. Patet Consequẽtia. Antecedens probatur; Quia non conuenit mutationibus deperditiuis, vt corruptioni substantiali, & accidẽtali; cum tamen has inter motus definitos enumeret Aristoteles.

Respondeo dicendum, quod etsi inter motus hic definitos enumeret Aristoteles corruptionem; non tamen habet aliquid, quo ostendat per se primo illi traditam definitionem conuenire, sicut vere non conuenit; nã mutationes deperditiuæ, proprie non sunt actus, sed priuationes actus; Quoniam tamen nos cognoscimus negatiua per positiua, ideo bene cum cæteris mutationibus numeratæ sunt, vt quibus secundario accommodari potest definitio.

Art. 2. Vtrum definitio assignata comprehendat omnem physicam productionem etiam instantaneam.

PRo parte affirmatiua est S. Thomas 5. phys. Tex. 7. vbi dicit. Considerandum est, quod Aristoteles supra in 3. lib. vbi motum definiuit accepit nomen motus secundum quod est commune omnibus speciebus mutationis. Est pro eadem sententia Simplicius 3. phy. com. 8. & alij, & hæ rationes.

Prima. hic definitur ille motus, qui positus est in definitione naturæ, sed ille motus comprehendit etiam instantaneas productiones, & non solum successiuas; Ergo. Minor patet ex dictis de natura: Maior probatur ex Tex. 1. hic, vbi Aristoteles ait. Iam agendum esse de motu; quia per illum est definita natura, quæ sine motu bene intelligi non potest. Necessarium enim est, ait philosophus, ignorato ipso, ignorari & naturam.

Secunda ratio. Aristoteles assignata definitione motus tex. 6. statim ostendit eam esse bonam; Quia conuenit omnibus motibus, inter quos numerat generationem, quę tamen est ex instantaneis, cum non possit fieri per partes; Ergo definitio allata comprehendit etiam productiones instãtaneas.

Tertia ratio, Tex. 1. & 2. dicitur agẽdum esse de communibus, idest de motu communissime sumpto; tum de proprijs, idest de singulis eius speciebus: sed libro. 5. vbi agit de speciebus motus tractat de generatione; Ergo in definitione motus in commune sũpti comprehenditur generatio, quæ in instanti fieri videtur.

In contrarium pro parte negatiua sentiũt Conimbri. lib. 3. phys. cap. 2. questio 1. art. 2. Sotus quæst. 1. & alij. Pro qua sententia sunt hæ rationes.

Prima. motus, vt patet ex definitione, debet constituere mobile in potentia ad formam; Ergo subiectum quatenus est sub motu debet habere priuationem formæ; sed non potest habere priuationem illius for-

mæ, cum qua motus identificatur: Impossibile enim est aliquid habere idem, & non habere; Ergo motus solum constituet subiectum in potentia ad vlteriorem gradum, cum quo ipse non identificatur, & consequenter, quo subiectum est priuatum: Ergo non definitur nisi motus, qui habet partes, & partes, & cōsequēter, qui est successiuus.

Secunda ratio, si hic definitur aliquis motus instantaneus maxime hic erit generatio; sed generatio hic nō definitur; Ergo in definitione allata non cōprehenditur motus instantaneus. Maior patet: Minor probatur: Quia hic definitur ille motus, cuius subiectū est ens actu; generationis autē subiectum est ens potentia ex 5. phys. Tex. 8.

Pro solutione.

Notandum, quod motus qui hic definitur debet, sicut dictum est, relinquere subiectum in potentia, vel magis debet se ipso constituere subiectum in potentia proxima, & vltimata ad vlteriorem perfectionem, seu ad modum habendi perfectionem aliquam nobiliorem, & statim magis perfectum; Vnde est, quod non possit esse motus hic definitus operatio vlla, quæ vt talis est vltimum, quod intendit natura, qualis est operatio vitæ cognoscitiuæ, vt dicitur lib. 9. metaphy. Tex. 16. Quamquam etiam inter has operationes aliquæ subordinatæ sunt alijs, & quasi ex natura rei ad illas ordinatæ vt imperfectæ ad perfectum; tales sunt operationes quibus addiscimus, quæ respicere videntur subiectum vt in potentia ad perfectam doctrinam tanquam ad consummatum actum; Et huiusmodi operationibus secundario saltem accommodari potest definitio data, & eo magis quod 2. metaphy. Tex. 7. addiscere ponitur mediū inter ignorare, & scire, sicut generari inter esse, & non esse, & 5. phys. Tex. 50. Enumerantur vt motus contrarij addiscere & decipi; tamen per se motus hic definiti proprie non sunt, sed quasi reductiue, & maxime ratione aliquorū motuum adiunctorum.

Sed iam vlterius considerādum est, quod licet generationes etiam substantiales acceptæ cum suis annexis instantaneæ non sint, cum dicant præuiam alterationem, & sæpe aliquam etiam consequentem, ac fiant sæpe successiue ex parte subiecti; tamē quātum est de se instantanee fieri debent; Quia terminus indiuisibilis non postulat fieri diuisibiliter, ac proinde non dicitur partim haberi, partim nō haberi; sed totus haberi, vel non haberi; tamen quia fieri harum formarum est propter totum, qui est vltimus terminus in his productionibus intentus, ideo generatio, quæ est fieri formæ vlterius ex natura rei ordinata est, ac proinde entis in potentia prout in potentia actus est; nam facta forma vt sic præcise nondum totum factum est, nisi hæc cum materia in totum degeneret, quod natura ab illo distinctum, & posterius est, sed iam ad quæsitum.

Dicendum primo est in tradita definitione non comprehēdi omnes productiones, vt operationes vitæ sēsitiuæ, & intellectiuę de se. Patet ex dictis, & Cōfirmatur nam 3. phys. Tex. 15. dicitur. Motus quidem actus aliquis esse videtur, imperfectus tamen; dictæ vero productiones sunt actus perfecti. & 3. de anima Tex. 28. ait Philosophus. Vnde alia hæc est species motos: motus enim erat actus imperfecti, simpliciter autem actus, qui perfecti est, alius est.

Dicendum secundo in explicata definitione contineri posse generationes substantiales physicas, ac proinde in ea comprehēdi aliquos motus instantaneos. Patet etiam ex dictis, & Confirmatur; Quia à Philosopho inter terminos, ad quos sunt motus hic ponitur etiā substantia: sed motus ad substātiam est generatio substantialis; vel ad generatio, quæ per se non fiunt in tempore; Ergo in tradita definitione continetur motus etiam instātaneus; Vnde lib. 2. metaphy. Tex. 7. medium inter esse, & non esse generatio est, & quod fit inter existens, & non existens.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam, patet ex dictis subiectum, vt est sub motu sumpto vniuersalissime nō necessario dicere priuationem formæ absolutæ, vel quoad partem; sed solum dicere negationem formæ in facto esse, & vltima constitutione illius entis, ad quod ordinata est, quod est totum; Vnde verum non est, quod solū definiatur motus, qui habet partes, & partes præcise scilicet ex vi definitionis, vt patet ex supra facta explicatione.

Ad secundam, respondeo dicendū in data definitione definiri illum motum, cuius subiectum est in potentia existens; Verum quidem est, quod omne subiectum motus

dici

ficl quoque poteſt ens actu actualitate ſcilicet exiſtentiæ; qua actualitate etiam materia, cum fit generatio, eſt ens actu, vt diximus in eius diſputatione; Quare negatur conſequentia.

Oppones lib. 5. phyſ. Tex. 10. dicit Ariſtoteles: ſecundum ſubſtantiam autem non eſt motus; Propterea quod nullum eſt entiū ſubſtantiæ contrarium.

Reſpondeo dicendum ab Ariſtotele ibi ſtrictius accipi motum, quam hic in 3. phyſ. & tunc ſolum accipi in tertia ſignificatione ſupra explicata, quatenus ſcilicet dicit tendentiam ad non habitum proprie, & diuiſibile.

Art. 3. Vtrum ſucceſſio & continuitas ſit de eſſentia motus.

PRo parte affirmatiua ſunt hæ rationes. Prima Ariſtoteles lib. 3. phyſ. Tex. primo dicit. videtur autem motus continuorum eſſe; Ergo continuitas eſt de eius eſſentia.

Secunda ratio. motus eſſentialiter vel eſt ens permanens, vel ſucceſſiuum; Non primum; Quia ſecus illi ſucceſſio nullo modo conueniret; opponuntur enim ad inuicem permanens & ſucceſſiuum; cum tamen certum ſit plurimos motus eſſe ſucceſſiuos; Ergo verū erit ſecundum; Quod ſi motus ſucceſſiuus eſt, Erit & continuus; Quia fieri nō poteſt ſucceſſione diſcreta.

Tertia. motus diſtinguitur à mutatione proprie dicta; ſed non poteſt diſtingui, niſi quia ſucceſſiuus ſit, & continuus; Mutatio vero inſtantanea, & indiuiſibilis; Ergo.

In contrarium pro parte negatiua ſunt hæ rationes. Prima. motus ex dictis conuenit etiam generationi; Ergo motus in ſua ratione non poteſt dicere ſucceſſionem, & continuitatem.

Secunda ratio. ſucceſſio in motu videtur oriri ex repugnantia termini contrarij; ſed ad fieri alicuius formæ vt ſic non pertinet, quod fiat cum repugnantia contrarij; Ergo de eſſentia motus non poteſt eſſe ſucceſſio, ac proinde nec continuitas.

Tertia ratio. Ariſtoteles 5. metaph. Tex. 18. vult motus, & quietes quanta eſſe per accidens. 4. phyſ. Tex. 112. propterea quod magnitudo eſt huiuſmodi, ſupple quanta, & continua, quod immediate ante dixerat, motus hæc patitur; propter autem motum tempus. & Tex. 99. Quia enim magnitudo continua eſt, & motus eſt continuus; Quia vero motus, & tempus.

Pro ſolutione.

Notandum, quod huius reſolutio quæſtionis, pendet ex acceptione motus latius vel ſtrictius iuxta ſupra dicta; Nam ſi motus abſtrahat à tendentia ad terminum ad quem partim habitum, partim non habitum, & à tendentia diuerſi illius ſtatus, & modi habendi, nō poteſt eſſe eſſentialiter, neque continuus, neque ſucceſſiuus proprie; nā ſecus ſemper motus dicit aliquam ſucceſſionem ſaltē quaſi diſcretam perfecti & imperfecti, ſiue ſtatus in eſſe perfecto, & ſtatus in via ſiue tranſitu. Verum ſi motus accipiatur preſſius pro tendentia in ſenſu priori Conſiderandum eſt, quod ibi neceſſario ſucceſſio eſt, vbi partes ſunt, & vna poſt alteram fit, ſuccediţque priori, quod duobus poteſt contingere modis cōtinue ſcilicet, & diſcrete, diſcrete ſi ad inuicem continuatæ non eſſent, nec haberent terminum communem; ſed inter illas interciperetur actualis negatio, ita vt verum eſſet accipere aliquod inſtans, in quo verum eſſet dicere, facta eſt prior pars, & ſequens non incepit, nec eſt illarum communis terminus, quem appellant mutatum eſſe; tunc enim diſcrete fierent, & diſcreta eſſet ſucceſſio; ſed tunc inter productiones partium nō ſolum inſtans, ſed tempus intercipi deberet, & in diſcretis inſtantibus interpollatis fieri deberent partes motus; nam ſi in temporibus fiant diuerſis non poterunt partes non eſſe ſucceſſiuæ, & continuæ, ſingulæ nimirum in ſe, & ſi omnes ſimul acceptæ, & comparatæ ad inuicem diſcretæ ſint; ſed iſto modo non videntur fieri motus; ratio eſt; Quia poſtquam debite applicatum eſt agens paſſo, ſemper eſt in actu, ac proinde ſemper ſine interruptione debet agere, donec ſcilicet expleuerit per actionem ſui capacitatem ſubiecti, & deduxerit ad actum; vnde partes ſine interruptione continuæ ad inuicem fieri debent, non minus, quam continuum fit tempus, & duratio, qua totus motus fit, & actio agentis. Et hoc modo ſucceſſiuus, & continuus erit

eſſe:

essentialiter motus; Quia ex natura talis tendétiæ est, vt sine interruptione vlterius tendat in aliud, & ex parte acquisita transeatur ad aliam, nec admittatur actualis inter illas negatio, quod est esse continuum, & successiuum. Alio tamen modo adhuc continuus dici potest motus, sed per accidens, ex parte scilicet subiecti, quatenus fit in subiecto quanto, & continuo, vel etiam ex parte termini quatenus per eum fit terminus habens latitudinem partium; sed huiusmodi continuitas; si absit quod dictũ est; Quia non nascitur ex principijs formalibus motus ei accidentalis est. sed iam ad quæsitum.

Dicendum si motus accipiatur Vniuersaliter, & vt dicit quamcunque tendentiam, non est essentialiter successiuus propria successione, nec cõtinuus; sed abstrahit per indifferentiam; si vero accipiatur motus, vt dicit actum partim habitum, partim nõ habitum, & tendentis ad aliquid vlterius habendum, quod iam per ipsum inchoatum est, successio & continuitas est de essentia motus. Patet vtraque pars conclusionis ex dictis.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod Aristotelis intentum est ostẽdere post motum agendum esse de quantitate, & alijs passionibus corporis naturalis, eo quod motui conuenire videtur aliqua continuitas, vt plurimum scilicet, & siue per se, siue per accidens; quod Aristoteles non definit, sed inde accipit occasionem procedendi ad cæteras dictas passiones.

Ad secundam Respondeo dicendũ, quod omnis motus est successiuus si per successionem intelligamus quancunque successionem siue tendẽtiam, & transitum ad aliud: si vero per successionem intelligamus esse partem post partem, non omnis motus est successiuus. Itaque motus in genere abstrahit ab esse tali pacto successiuum, & successiuum priori modo. non potest tamen motus, vt sic, dici ens permanẽs; quia quod manet vt sic, non mouetur, manere enim, & moueri opponuntur.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod motus, vt hic accipitur, & definitus est includit mutationem, vt patet ex dictis, etiãsi non includat omnem, vt etiam ex dictis manifestum est, Quinto autẽ physicorũ vbi Aristoteles mutationem distinguit à motu, per illud eam distinguit, quod motus est inter terminos positiuos oppositos, mutatio inter terminos cõtradictorios, siue priuatiuos, ac proinde est vel ex subiecto in non subiectum, vel ex non subiecto in subiectum; verum quæ est ex quodam subiecto in quoddam subiectum mutatio, motus est, vt ibi dicitur.

Oppones successio in motu etiam stricte accepto oritur ex alio nimirum ex repugnantia termini cõtrarij; Ergo non est motui essentialis. Respondeo dicendum, quod quasi effectiue nascitur ex repugnantia oppositi retardantis efficientiam agentis, formaliter tamen includitur in tali ratione tẽdentiæ. Quare distincto antecedente negatur consequentia.

Art. 4. Vtrum motus sit ad quatuor prædicamenta.

PRo parte affirmatiua cum Aristotele 5. lib. phys. sunt communiter interpretes, & sunt hæ rationes. Prima ab auctoritate ipsius philosophi Tex. 4. dicentis. Mutatur enim semper id, quod mutatur aut secundũ substantiam, aut secundum quantum, aut secundum quale, aut secundum locum. & Tex. 6. omnis motus aut est alteratio, aut augmẽtum, & decremẽtum, aut generatio, & corruptio, vel demum latio, quæ sunt vt patet ad quatuor prædicamenta. Ergo.

Secunda ratio, Vires motiuæ, & transmutatiuæ pro termino habent aliquid ex his quatuor dictis prædicamentis; Ergo ad quatuor prædicamenta datur motus; Consequentia patet. Antecedens probatur; Quia omnis vis, vel est generatiua, vel alteratiua, vel augmentatiua, vel certe loco motiua; nam corruptiones fiunt magis per accidens, quam per se; & reuocantur ad sua positiua: Ergo.

In contrarium, quod motus non sit ad quatuor tantum prædicamenta, Probatur ab auctoritate Philosophi Tex. 5. dicentis: Quare motus & mutationis species tot sũt, quot entis; sed entis decem sunt prædicamenta; Ergo ad plura quam quatuor prædicamenta est motus. iam quod ad nulla sit prædicamenta probatur sic. Ad essentiam

non est motus; sed in prædicamentis sunt essentiæ; Ergo ad nulla prædicamenta est motur. Maior patet. Quoniam essentiæ neque fiunt, neque corrumpuntur; sed sunt æternæ; Ergo ad eas non potest esse motus.

Præterea motus reperitur in post prædicamentis; non ergo est ad quatuor prædicamenta. Probatur Consequentia; Quia in post prædicamentis reperiuntur, quæ non habent prædicamentum.

Pro solutione.

Notādū, quod motū esse ad aliquod prædicamentum dici potest; siue quod per motum fiat terminus, & forma alicuius prædicamēti; siue quod motus vt aliquid imperfectum ad prędicamentum formæ, & termini reducatur. Etenim considerandū est, quod motus de se commune non habet, nō solum quia nihil commune vniuocum datur omnibus motibus dicente philosopho Tex. 4. commune vero in his nihil est accipere; sed etiam quia, vt quid imperfectum ad prędicamentum actus perfecti, qualis est ipsius terminus, reduci debet; & demū quia motus nisi generice, & in actu signato formales denominationes non habet, per quas possit constituere prędicamentum; sed quæ ipsius denominationes afferri possent, sunt potius prędicamenti actionis, vel passionis, vt dictum est; Cum ergo motus de se prædicamentum non habeat, prędicamentis vt ipsorum appendix solum addi poterit, & ad aliqua, vel certe ad omnia prędicamenta reuocabitur: attamen quod ad omnia prædicamenta reuocari non possit, sed ad quatuor tantum duplici ex capite colligere possumus, primo ex virtutibus actiuis; sunt enim virtutes actiuæ, & causa efficiens, vnde motus, porro virtutes actiue pro suo termino habent tantum aliquid vel substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis, vel loci, quod manifestum est, si quis per virtutes actiuas inductione procedat. Neque enim datur vlla potentia generatiua, siue alio pacto actiua, quę per se efficiat vel relationem, vel tempus, vel habere &c. nam actiones, & passiones sunt ipsæ per se motus, licet quod dicit motus sub formalitate imperfecta sub paulo magis explicita, & perfecta formalitate dicat actio & passio; situs autem cum loco reponi potest, vt qui eodē motu fit, & si modo non eodē; vnde restat quod ad quatuor reliqua prædicamenta sit motus; quoniam & virtutes effectiuæ pro suo termino habent aliquid illorum prædicamentorum; quod etiam secundario ostenditur ex parte motus, & subiecti, quoniam motus habet rationem viæ, vnde illud tātum subiectum capax est motus, quod propriè ad aliquam perfectionem est in potentia, & transit, non quod censetur illam acquirere, ex eo, quod mutetur, & transeat aliud; quę autem per se transeunt & fiunt alia, in quatuor dictis prędicamentis sunt, ac proinde.

Dicendum motus, prout definitus est, ad quatuor est prędicamēta ad substātiā, quātitatem, qualitatem, & locum. patet ex dictis, & Confirmatur ex Tex 4. vbi ait Philosophus; Non est autem motus præter res ipsas; sed res, quæ per se, & proprie fiunt siue motu acquiruntur, sunt tantum in quatuor prędicamentis, sicut dictum est; Ergo ad quatuor tantum prædicamenta est motus.

Ad rationes in contrarium partis negatiuę Ad primam ex Philosopho respōdeo dicendum, quod sensus illorum verborum est, quod tot sunt species motus, & mutationis, quot entis non simpliciter, sed entis ab ipso ibi enumerati; ens autem, quod ibi enumerat, in quatuor dictis prædicamentis est.

Ad secundā respondeo dicendum, quod ea, quæ sunt in prædicamentis dupliciter accipi possunt, vel in actu signato, quatenus prædicata, & ad hęc proprie non est motus vt probat ratio; vel in actu exercito, quatenus sunt res illę, quę fundant, & de quibus dicuntur talia prędicata, & falsum est, quod ad illa non sit motus, quódque non oriantur, & intereant.

Ad tertiā patet ex dictis reponi motum in post prædicamentis; quia per se propriè prędicamentum non constituit; sed est quid prędicamētorum, & ad certa prædicamenta reuocatur.

Oppones Aristoteles in lib. 5. expresse asserit ad tria tantum prædicamēta esse motum, cum Tex 9. dicat tres esse motus, Eū, qui quantitatis, & eum, qui qualitatis, & eum, qui secundum locum est. Et sequenti Textu negat aperte ad substantiam esse motum; Ergo motus nō est ad quatuor prædicamenta.

Respondeo dicendum ibi Philosophum

loqui

loqui de motu presse sumpto, vt distinguitur a mutatione, & est inter contraria, atq; a positiuo ad positiuum, qui, vt dicit Philosophus, ad tria tantum prædicamenta est; nos autem hic loquimur de motu, vt definitus est superiori definitione, ac proinde, vt accipitur paulo latius.

Oppones secundo. motus est quid mediũ inter ens pure actu, & pure potentia, vt dicitur a Philosopho, & maxime. t. t. metaphis. summa 4. cap. 1. de motu, & patet ex definitione; sed in omni prædicamento est ens pure actu, idest iam tale, & tale tantum potentia, vt actu substantia, & substantia tantum potentia; ergo & dari debet mediũ siue secundum quid tale, siue in via tale & tendentia, ac proinde motus erit ad omnia prædicamenta.

Respondeo dicendum, quod contingit aliquid fieri actu tale dupliciter, & per formam intrinsecam, & per formam extrinsecam, & per se primo, & quasi consecutiue: quod fit tale per formam intrinsecam, & per se primo, non fit sine motu tali; quia ex non tale vere ipsum transit per transitum, qui in ipso est ad esse tale; sed illud, quod fit tale per formam extrinsecam, & quasi consecutiue, non transit per transitum, qui in ipso sit, sed consequenter tale est ex trãsitu alterius. Et quoniam in quatuor tantum dictis prædicamẽtis aliquid fit tale per formam intrinsecam per se primo; ideo in illis solis motus est. Nam agens denominatur tale à forma, quæ ab ipso in passo est: relatum a forma, quę vt sic cõsequitur ad mutationem alterius, vel ad alium terminum. Nam ex generatione consequitur relatio generantis & geniti: Ex motu locali mihi dextri ego immotus fio sinister: sic situatũ quoque dicitur tale corpus consequenter ex motu locali, sicut & habere arma vel vestes: hodiernus fio ex externo magis ex mutatione temporis circa me, quam si ego mutor; quia mutatus iam non omnino idẽ hodiernus sum, qui hesternus. Demũ passio ipsa motus est vt receptus, & denominans subiectum, etsi non omnino cum illa imperfectione transitus; vnde alteror & alteratus fio sola alteratione, & nullo alio intellecto motu; Quia motus nõ debet fieri motu, nec tendentia & via alia tendentia & via; quia frustra & in infinitum hoc esset. Et ex his habetur non esse motum localem meram coexistentiam successiuam mobilis ad spatium, quæ sine vera mutatione non minus potest esse, quam relatio; Nec Relationem esse formam receptam distinctam ab alijs formis relati; nam secus ad ipsam quoque vere daretur motus.

QVAESTIO QVARTA.

De vnitate Motus.

CVm essentiæ, & gradus entis non sint sine sua vnitate, visa natura, & quidditate motus iam inquirendum nobis est de vnitate ipsius tum generica, tum specifica, tum indiuiduali.

Art. I. Vtrum motus habeat suam Vnitatem specificam & Genericam a termino ad quem.

SEntentia affirmatiua est communis, cõtra quam tamen pro negatiua sunt hæ rationes. Prima. ad eũdem terminum possunt esse motus specie contrarij; ergo a termino ad quem non est species motus, & consequenter nec vnitas. Antecedens probatur in motu locali, nam ad eãdem superficiem aeris descendit terra, & ascendit aer, & ignis; sed motus terræ & aeris specie distinguuntur; Ergo diuersi motus specie possunt esse ad eundem terminum. Cõfirmatur in alijs motibus; nam ad quantitatem tricubitam potest esse motus augmenti, & decrementi; ad eundẽ medium colorẽ viridẽ potest esse dealbatio si ex nigro subiectũ fiat viride, & denigratio, si viride fiat ex albo, & sic de reliquis.

Secunda ratio. Genera & species non constituuntur nisi per sua intrinseca formalia; sed terminus non est de ratione formali intrinseca motus, cum à motu formaliter distinguatur; ergo per terminum motus nõ habet speciem & genus; ergo nec vnitatẽ specificam, & genericam.

Tertia ratio. si motus haberet vnitatem, & distinctionem a termino, non minus di-

ftingui deberet specie & genere per terminum a quo, quam per terminum ad quem. Patet; Quia vterq; terminus est necessarius ad motum; sed per terminum a quo distingui non potest; Ergo neque per terminum ad quem. Minor probatur; Quia Pallidus fieri quis potest ex albo, & ex nigro.

In contrarium pro parte affirmatiua primo est auctoritas Philosophi 5. Physi. Tex. 31. & 3. Physi. Tex. 5. vbi cum enumerasset terminos, ad quos sunt motus, concludit dicens. Quare motus & mutationis species tot sunt, quot entis.

Secunda ratio. Ab eo res habet vnitatem genericam, & specificam, a quo habet speciem & genus, cum vnitas includatur in genere & specie, vel ipsum consequatur necessario; sed motus habet genus & speciem a termino; ergo ab eodem habet vnitatem specificam, & genericam. Minor probatur; Quia ex eo est species & genus, ex quo res habet nomen, & definitionẽ; sed motus nomen, & definitionem accipit a termino; dicitur enim calefactio a calore, frigefactio a frigore, & sic de reliquis, & calefactionem definimus motum ad calorem; Ergo a termino motus habet speciem, & nomen, atq; adeo & vnitatem.

Tertia ratio. species, & vnitas consequẽs speciem, quod item dicitur de genere, in alijs rebus est a forma; sed terminus respectu motus est vt eius forma; Ergo ex termino in motu est species, & vnitas specifica.

Pro solutione.

Notandũ, quod ab eodẽ debet esse vnitas motus formalis, ex quo est species, vel genus ipsius, & ex quo est species, vel genus, ex eodem etiam est distinctio specifica, vel generica motus; vnde motus inter se genere, vel specie distingui debent, qui habent terminos genere, vel specie distinctos, si ex terminis motus habent sua genera & species, vt probabitur. Debet autem ex eodem esse vnitas formalis specifica, & generica, ex quo est species & genus; quoniam quod dat esse, dat cõsequẽtia ad esse; vnde quod dat essentiam, & vnitatem essentiæ dare debet, & ex quo est vnitas, est destinctio, cum per idem res constituantur, & distinguantur. Considerandum igitur est, quod omne imperfectum ordinatur ad suum perfectum, & via & tendentia per id totum, quod est, quasi respicit terminum, ad quem via est: Motus autem via, & tendentia est, vt ex dictis patet; ad terminũ igitur suum totum habebit esse, non ad terminum à quo, vt manifestum est, sed ad quem; neque enim à termino à quo motus speciem accipere possunt; nam vnus specie motus non potest esse à duobus terminis inter se contrarijs, cuiusmodi esse solent terminus à quo, & terminus ad quem. Præterquamquod à terminis à quibus disparatis, & contrarijs potest esse idem specie motus, à rufo enim, & cæruleo potest idem esse specie motus denigrationis &c. à termino ergo à quo motus speciẽ nõ habet; vnde nec ex eodem habebit vnitatem, & distinctionem specificam, siue genericam. restat ergo quod talem vnitatem, sicut & speciẽ, habeat à termino ad quẽ. Et sane cũ motus reducatur ad prædicamentum sui termini, necessario, & à termino speciem habet; neque enim ad prædicamentum termini reuocari potest nisi ratione generis, vel speciei, quam imperfecte participat, vt quasi genus & species inchoata, seu via & tedẽtia ad id, quod genus, vel speciẽ constituit; à termino igitur ad quem motus vnus specie, vel genere erit, & ab omni alio specie, vel genere distinctus; vnde dr̃ 5. lib. phys. Tex. 31. genere igitur motus vnus est secũdum figuras prædicamẽti: latio enim omni lationi genere vnus est; alteratio autem à latione diuersus genere est. Et de specie item desumpta à termino ad quem, sed specifice accepto in eodem prædicamento, sequitur textus sic. specie autem vnus est, cum genere sit vnus, & indiuidua specie sit, idest. illi vnus specie sunt motus, qui cum habeant terminum eiusdem prædicamenti, sunt tamen ad aliquem terminum in specie in eodem prædicamento; tum subiungitur. Et coloris quidem sunt differentiæ, igitur alius specie denigratio, & dealbatio; omnis igitur dealbatio omni dealbationi idem secundum speciem erit, & omnis denigratio denigrationi; albedini autem non amplius. Quapropter specie vnus est dealbatio dealbationi omni. Hæc Aristoteles de specie, & genere motus, ex quibus.

Dicendum motum speciem, & genus, & vnitatem, ac distinctionem cum specificam, tum genericam habere à termino ad quem formalem, & vltimatum. Habet à ter-

à termino formali; Quia hic solus est veluti forma respectu motus; Et habet à termino formali vltimato; Quoniam in termino non vltimato concurrere potest vnus motus cum alio, quod manifestum est in motu locali duorum elementorum, vt aeris, & ignis; contingit enim ignem moueri solum vsque ad locum aeris, & ibi corrumpi; cum tamen motus ille ignis censeatur specie distinctus à motu aeris propter terminum vltimatum, ad quem erat ordinatus motus ille, nimirum ad sursum simpliciter; motus autem aeris ad sursum secundum quid, ille ad concauum, hic ad superficiem ignis, ex quo & diuersi sunt.

Ad rationes in contrarium sententiæ negatiuæ.

Ad primam respondeo dicendum, quod terminus ad quem formaliter non est idem in motu locali, nisi qui dicit oppositionem, vel respectum ad eundem terminum à quo, vel medium, vnde in talium motu non censetur idem formaliter terminus ad quem, nisi respectiue ad terminum à quo, & medium, per quod fit motus: idem ergo est materialiter locus, ad quem est motus terræ, & aeris, sed distinctus formaliter; nam respectu aeris est locus sursum, respectu terræ est locus deorsum; vnde negatur consequentia, si sermo fit de termino formali.

Ad confirmationem respondeo dicendũ, quod ad eundem terminum materialiter possunt esse motus positiui, & priuatiui, non ad eundem terminum formaliter; nam tricubitum in augmento habet rationem maioris, vnde respicit pro suo termino à quo oppositum, minorem quantitatẽ; Quare vnus est materialiter, & duplex formaliter: Quamquam decrementum, & omnes motus corruptiui, vt dictum est supra, non sunt per se, & proprie motus; Quia motus est per se actus, non corruptio actus, reuocantur tamen huiusmodi motus priuatiui ad motum; Quia & cœtera entia negatiua ad sua positiua reuocãtur. Quod autem secundo loco affertur de dealbatione, & denigratione ad viride, dici potest, quod vnus est ille specie motus, si vnus est simplex terminus, quem appellare possumus viridationem.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod species in connotatiuis, & imperfectis desumitur in ordine ad extrinseca, & connotata, vnde & motus vt fluxus, & via specificari potest à suo termino. Quare species duobus modis constitui potest per sua intrinseca, & formalia, vno quidẽ modo absolute, & sine respectu ad extrinseca, & hoc pacto constituuntur species perfectorũ, & quæ ab omni alio extrinseco absoluunt. Secundo per sua intrinseca connotãtia extrinseca, & hoc pacto constituuntur species cõnotatiuorum, cuiusmodi est motus; Quamquam nec proprie terminus est extrinsecus motui, cum identificetur cum ipso.

Ad tertiam patet ex dictis.

Oppones. calefactio, dealbatio, & omnis alius talis motus est in specie actionis, & passionis, calefactio enim est actio, & sic de reliquis; Ergo non potest sumere suam speciem, vel genus à terminis ad quos, cũ illi sint in prædicamentis diuersis. Respondeo, quod calefactio, & cætera similia multis modis spectari possunt, sicut supra dictum est: Primo vt exeunt ab agente, & illud vt eius forma extrinseca denominant formaliter agens, & hoc pacto sunt actiones, atque in prædicamento actionis reponuntur. Secundo considerari possunt, vt recipiũtur in passum, ipsumque afficiunt, & denominant, & sunt in prædicamento passionis. tertio vt sunt via, & acquisitio terminorum calefactio caloris, dealbatio albedinis, & vt sic sunt motus, & recipiunt suas species, & vnitatem à terminis.

Oppones secundo. vnus motus ad viride ex albo magis conuenit, & minus distinguitur ab alio motu ad viride item ex albo, quam ab alio motu ad viride ex nigro, sed ab illo distinguitur numero; Ergo ab hoc distinguitur specie; Ergo falsum est, quod sit vnus specie motus ad viride siue ex albo, siue ex nigro.

Respondeo dicendum, quod si colores medij non essent simplices, veræ illi duo essent motus specie diuersi, & ratio est; quoniam ad viride esset motus à nigro quatenus fieret tantum albedinis, quantum necesse est ad componendum viride; ab albedine itẽ ad viride motus esset quatenus fieret tantum nigredinis, quantum necesse esset ad eundem colorem; vnde realiter, & formaliter duorum illorũ motuũ termini essent diuersi; prioris terminus ad quẽ esset albe-

albedo remissa, posterioris terminus ad quē esset nigredo remissa, sicut & in tepefactione cum est a calore intēso fit frigus, cum est a frigore intenso fit calor: posito tamen quod sint colores medij simplices formæ, est idem specie motus; Quoniam siue fiat viride ex albo, siue ex nigro eadem fit forma, & terminus. Et ad obiectionem dicendum, quod motus ad viride ab albo magis conuenit cū alio itē ab albo accidēraliter, nō essentialiter; Et magis discrepat a motu ad viride a nigro, quā ab albo, itē accidentaliter, nō essentialiter, sicut & homo albus magis cōuenit cum alio homine albo nō essentialiter sed accidentaliter; sunt tamen, quibus placet colores medios habere rationes diuersorū terminorū formalium, si cōparentur ad diuersa extrema, & sic viride comparatū ad nigrum, & vt terminum motus ab illo formaliter differre a se ipso cōparato ad albū, & vt est terminus motus procedentis ab albo, & sic saluāt quomodo motus ad viride ex albo, & nigro inter se non solū accidētaliter, sed essentialiter discrepent, quæ probabiliter dici vidētur, maxime cum faueat Philosophus qui 5. Phys. Tex. 52 docet, cū a terminis cōtrarijs tēditur ad terminū ad quē mediū, motus illos esse contrarios, & medium tenere locum diuersorū cōtrariorū, si ad diuersa cōparetur, vt puta fuscum respectu albi nigrum esse, respectu nigri album esse.

Dices non est maior ratio, cur in quantitate, & loco idem realiter terminus formaliter diuersus censeatur comparatus ad diuersos terminos a quibus, & hoc non dicatur in qualitate, non solum media, sed extrema. Ergo.

Respondeo dicendū, quod in motu locali locus cōparatus ad diuersos terminos a quibus, & media, dicit in mobili diuersas formas saltē specie Physica; idē enim locus, ut est sursū respectu alicuius termini nō acquiritur nisi per ascensū, qui nō est idē physice, cū descensu, vt est deorsū acquiritur per descēsū, qui nō est idē cū ascensu, & in motu circulari eo ipso, quod motus fit supra circulū, & circa mediū, nullus proprie est terminus a quo, nullus terminus ad quem; vnde per accidens est, quod motus terminetur ad certum punctum, sed quasi loco termini formalis est ipsum medium, & quodcunq; punctū, vt respicit tale medium induit rationem termini formalis ad quem, si forte ad ipsum terminetur circulatio. Quod etiā docere videtur Philosophus Tex. 33. li. 5. phys. cum dicit. An determinatum est diuersum esse motum, si id in quo est motus, specie fit diuersum; circulare autem a recto alterum specie; genere igitur & specie motus unus sic est. ita Aristoteles. In quātitate etiam eadem quantitas habet rationē maioris, & minoris, ad quam peruenitur per augmentum, & decrementum, in quorum vno acquiritur quantitas, in alio deperditur: similis autem est ratio in qualitate, si accipiatur idem gradus, & ad eum fit remissio, & intensio; nam tunc specificabit duos diuersos specie motus acquisitiuum, & deperditiuum, modo tamen supra dicto: Non vero est simile si ad eandem qualitatē sint duo motus acquisitiui a diuersis terminis a quibus Quia ambo sunt motus acquisitiui, per quos acquiritur vnus & idem terminus.

Dices potest esse motus ad eundem terminum qualitatis extremæ per diuersa media; sed motus, qui sunt per idem medium plus differre videntur ab ijs, qui sunt per media diuersa quam accidentaliter; quoniā acquisitio V.G. cuiuslibet coloris medij est per se motus diuersæ speciei ab alio; Quod patet si in eo sistat motus; Vnde quod ab eo procedatur ad extremū nō facit, quod amittat suā specificā distinctionē; Motus aūt, qui includit aliquid distinctum specie non potest esse specie idem cum alio motu illud nō includente; Ergo non potest esse idem specie motus, qui est a diuersis terminis a quibus, ētsi sit ad eundem terminum extremū.

Respondeo, quod motus, qui est ad extremum per mediū, quod non facit vnam formam cum extremo, non est vnus specie motus, nisi subordinatione, sed realiter est multiplex, sicut sunt multi termini & formæ, imo tot sunt specie motus, quot sunt formæ specie diuersæ. Quare solum proprie vnus erunt specie motus, qui sunt ad eandem extremam qualitatem, quatenus per illos vere fit illa extrema qualitas; ij vero per quos fiunt qualitates mediæ erunt motus specie diuersi, & hoc supposito, quod qualitates mediæ sint formæ simplices; nā quando sunt tantum remissio, vel intensio extremæ qualitatis, vnus est motus specie vsque ad complementum totius qualitatis;

sed tunc fieri proprie non potest, vt plures motus ad eãdem specie qualitatem per diuersa sint media specie, vt patet in caloris, & frigoris inrensione.

Oppones tertio. potest ad eundem terminum. per idem medium, & ab eodem termino à quo esse motus violentus, & naturalis; sed hi motus differunt specie: Ergo.

Respondeo dicendum, quod distinctio duorum motuum, vel potest esse ratione ipsorum, vel per aliquid ipsis extrinsecum; si fit ratione ipsorum, motus locales, qui sunt ad eundem locum ab eodem loco per idem medium per se non distinguntur siue dicantur violenti, siue naturales: si vero accipiatur distinctio per extrinseca ipsis, distingui possunt etiamsi sint ad eundem locum ab eodem loco per idem medium, dummodo sint, vel in diuerso subiecto, vel à diuersis principijs effectiuis; Et hoc pacto distinguntur motus violenti, & naturales: Nam dubium non est eundem essentialiter esse motũ calefactionis siue fit in aliquo subiecto connaturali, siue præternaturali; cum tamen respectiue ad subiectum vnus cẽseatur naturalis, alius violentus.

Art. 2. Utrum motus ad suam vnitatem numericam requirat vnitatem mobilis, temporis, & termini.

NOn requirere probatur his rationibus. Prima quod non requirat vnitatẽ mobilis. 5. physi. Tex. 23. dicitur, quod motus summæ, & imæ chordæ, si sit in vno tempore, est continuus; si autem continuus est, proculdubio & vnus est, & tamen est in duobus distinctis subiectis, summa scilicet, & ima chorda. Præterea descendat canis viuus e summa regione aeris, & in media moriatur; totus motus canis erit vnus, Et tamen vnum non erit mobile, & subiectum; Quoniam non est idem subiectum canis viuus, & canis mortuus, siue cadauer canis: Non ergo ad vnitatem motus requiritur vnitas mobilis Confirmatur; Quia vno motu mouetur concauum, & conuexum; quæ tamen in se videntur specie differre.

Secunda ratio, quod non requiratur ad vnitatem motus vnitas temporis probatur; Quoniam totum tempus est vnum continuum non interruptum, & tamen in eo sũt plures motus. Præterea vel sermo est de tẽpore communi, & hoc cum sit semper vnũ, & continuum non apparet quomodo dare possit motibus vnitatem, vel sermo est de particulari duratione intrinseca cuiusque motus; & hæc cum identificetur cum motu dicere ad vnitatem motus requiri vnitatẽ huius temporis, est dicere ad vnitatem motus requiri vnitatem motus.

Tertia ratio, Quod non requiratur vnitas termini probatur. quando proijcitur lapis sursum vnus est motus ascensus, & descensus, si in puncto reflexionis lapis non quiescit; Et tamen non est vnus terminus, cum plura sint vbi, quod idem euenit, quando allliditur pila ad terram, vel ad parietem. Præterea si perforetur terra ab vna superficie ad aliam, ita vt foramen transeat per centrum terræ & mundi; postea per illud foramen proijciatur lapis, cum peruenerit lapis ad centrum adhuc mouebitur ascendendo; Ergo vno & eodem motu mouebitur, cum sine interruptione moueatur; Et tamen terminus illius motus nõ erit vnus, cum habeat diuersas species; ascẽsus enim est vnius speciei, descensus alterius.

In contrarium pro parte affirmatiua est sententia peripatetica, quam fundat Aristoteles 5. physicorum à Tex. 34. expresse ad vnitatem motus tria illa dicta desiderans.

Præterea motus est quoddam accidens; sed accidentia habent vnitatem numericam à subiecto; Ergo ad vnitatem numericam motus requiritur vnitas subiecti; sed subiectum non censetur habere vnum accidens, si habeat diuersis temporibus, & nõ eodem tempore; Ergo etiam requiritur vnitas temporis; Impossibile autẽ est, quod est vnum numero identificari cum pluribus numero diuersis; Ergo ad vnitatem motus requiritur etiam vnitas termini, cum quo motus identificatur.

No-

Pro solutione.

Notandũ, quod ad vnitatem alicuius alia requirĩtur intrinsece, alia extrinsece intrinsece requiritur illud, cum quo vnitas identificatur; cum enim vnitas sequatur ens, illud cuius vnitas erit affectio, ad ipsam pertinebit intrinsece, cum nihil aliud sit vnitas, quam talis res sub certa negatione, & modo metaphysico; motus ergo, & terminus cum ex dictis identificentur; terminus motus de intrinseco loquendo ad vnitatem intrinsece, & quasi formaliter pertinebit; Vnde vnus erit motus, qui habebit vnum terminum; Quoniam tamen de vnitate termini difficile indicatur ad extrinseca recurrendum est, & cum certum sit in diuersis subiectis, & diuersis temporibus fieri diuersos terminos actionum, & motuum; inde est, quod philosophus ad vnitatem motus requiri vult præter vnitatem termini vnitatem mobilis, & temporis, vt sine errore de vnitate termini iudicemus, ac proinde & ex eo de vnitate motus. Considerandum tamen est, quod vnitatem, vel diuersitatem formæ arguit vnitas subiecti non quæcunque, sed subiecti inhæsionis; nam non est dubium mutari posse subiectum denominationis, & adhuc remanere easdem formas, quoniam remanet idem subiectum inhæsionis, vt patet de accidentibus, quæ sæpe eadem sunt in corpore viuo, & mortuo, & de motu locali in cane viuo, & mortuo, quod obijciebatur. motus enim ille descensus non subiectabatur in cane qua viuus, sed qua ens quantum, quod remanet post mortem, si vt dicebatur in media regione aeris moriatur canis; Idemque confirmari potest quotidiana experientia de multis alijs formis; nam baculus si partim arescat, & secundum alias partes remaneat viridis, poterit habere eãdẽ saltẽ ex parte frigiditatem, quã habebat ante, & tamen pars arida non est idem subiectum denominationis. Dicunt aliqui discontinuari partem aridam à viridi, & immutari accidentia; Quoniam in parte arida fit resolutio vsque ad materiam primam; sed hoc est contra sensum, & experientiã; in sensatis autem, vbi non interuenit miraculum, relinquere sensum, & rationem quærere ex Tex. 12. lib. 8 physicorum infirmitas quædam est intellectus. Erit igitur eadem forma numero, vbi est idem subiectum numero inhæsionis, si ex ijs sor mis sit, quæ non multiplicantur in subiecto; vnde & motus vnus numero erit, qui habet vnum subiectum inhæsionis; in quo tamen quia diuersis temporibus fieri possunt plures motus, vt sit vnus motus numero requiritur vnitas temporis; si enim interrumpatur motus, & cessatio fiat à motu, & postea mobile iterum moueatur, non censebitur idem numero motus, sed diuersus, vnde.

Dicendum per se, & intrinsece ad vnitatem numericam motus requiri vnitatem numericam termini, Et quasi extrinsece requiri etiam vnitatem numericam tẽporis, & mobilis.

Patet conclusio ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur; Quia in his, quibus aliqua competit vnitas sufficit ad multiplicationem interruptio; sed interrumpitur motus, quoties non est idem tempus, in quo fit, & quoties non est idem subiectum, & terminus; Ergo ad vnitatem motus hæc omnia requiruntur.

Ad rationes in contrarium.

Ad ea, quæ primo loco opponuntur respondeo dicendum, quod locus ille philosophi intelligendus videtur de motu in manu, quod scilicet vnus est motus in manu pulsante summam, & imam chordam, quando eodem tempore pulsat, etiam si faciat duplicem pulsationem: Quoniam in manu continuatur motus, quo fit pulsatio primæ chordæ, cum motu quo pulsatur ima. Ad confirmationem patet ex dictis, ibi esse idem subiectum inhæsionis.

Ad opposita secundo locò contra vnitatem temporis respondeo dicendum, sermonem esse præsertim de tempore extrinseco; sed considerandum est, quod accipi debet tempus sub ratione mensuræ, sub ista autem ratione vnum censentur esse illud, quod sine vlla interruptione mensurat aliquid; si enim in re mensurata fiat interruptio; quoniam non licet in quacunq; parte temporis affirmare de illa re, quod sit, neque censetur vnum esse tempus vnum inquam sub ratione mensuræ; quoniam vt mensura interruptum siue discontinuatum

censetur, licet sit vnum tempus continuum in se

Ad opposita tertio loco contra vnitatem termini Respondeo dicendum, quod motus illi possunt esse vnum quid materialiter, & duo formaliter, quoties scilicet non interrupti continuati; nam quod duo specie distincta continuari possint, & esse vnumnumero materialiter non formaliter Euidens est in quantitate, in qua eadem realitas quantitatis secundum diuersas species formales est in diuersis speciebus; patet etiam in concauo & conuexo, quæ nō sunt plures res ad inuicem discontinuatæ, sed vna continua; patet in relatiuis &c. Itaq; ad hoc, vt motus sit vnus numero materialiter, non est necesse, vt sit vnus specie; sed potest esse multiplex specie secūdum partes, & vnus numero secundum totum realiter; cum tamen formaliter habeat rationem duplicis, & secundum quid ponatur in vna specie, secundum quid in alia. Quod & ex eo confirmari potest, quia ad idem producendum secundum partes etiam non interruptas cōcurrere possunt diuersæ causæ inter se specie distinctæ, vt patet in motu lapidis deorsum, & ad partem in gyrum; nam ad motum ad partem in gyrum requiritur impetus, siue virtus inpressa, & concurrere non potest grauitas, sed repugnat, quæ tamen concurrit ad totum motū deorsum.

Obijcies ad vnitatem motus requiritur etiam vnitas motoris; Ergo munca est cōclusio, quæ tantum illa tria exigit. Antecedens probatur ex dictis de causis, quod vnus effectus productus ab vna causa naturali ab alia produci non potest, & ex 8. physi. Tex 49. vbi illa habentur. Vnus motus à mouente proficiscitur vno, & vnius mobilis est. nam si aliud & aliud mouebit, totus ipse motus non continuus, sed deinceps erit, quod & asseritur eodem lib. Tex. 81. Respondeo dicendum, quod si sermo sit de motore totali, & adęquato verū est, quod vnus motus, vt ait philosophus est ab vno motore; attamē quia non est necesse motū esse ab vno motore totali, & adęquato, cū ad ipsum concurrere possint plures motores partiales, & vnus possit succedere alteri sine interruptione motus, vt cum ad deferendam facem duo sibi ita succedunt, vt ab alio deferri incipiat, priusquam desinat deferre alius, idcirco hic, vbi quærebatur, à quo esset vnitas motus, non debuit inter alia enumerari motor, quem tamē Aristoteles numerauit. 8. physi. quoniam ibi erat sermo de motore totali, & adęquato, ac. per se instituto ad mouendum; talis enim ad vnum motum vnus est, & vbi sunt plures, etiam necessario motus sunt plures.

Oppones secūdo. terminus pōt esse vnus numero, & motus plures; ergo ad vnitatē numericam motus per se non concurrit vnitas termini. Antecedens probatur; Quia ad vnam formam caloris intensam vt 8. possunt esse quatuor, vel plures etiam calefactiones, vt si in primo quadrāte horæ producantur duo gradus caloris, & post aliquantum temporis intendatur vsq; ad quartum gradū, & sic deinceps in singulis quadrantibus, quatuor erunt calefactiones, & tamen vna erit forma caloris. Respondeo dicendū, quod ad vnitatem motus non sufficit vnitas termini quæcunque, sed vnitas termini formalis accepti, vt terminantis, motum; cum autem calor vt octo secūdū diuersos gradus terminet illas calefactiones, formalitet calor in ratione terminātis non habet rationem vnius, sed plurium, ex quo est, vt Aristoteles cum vnitatate termini requisiuerit vnitatem temporis, & mobilis; cum enim hæc sunt impossibile est plures esse motus, si vnus sit terminus.

Oppones tertio. duæ guttæ dum decidunt ex alto, si in aere vniuntur, vnus erit motus illarum, & antequam vniantur, & post, cum nunquam motus sit interruptus, & tamen duo erant subiecta; Ergo ad vnitatem motus non requiritur vnitas subiecti.

Respondeo dicendum, quod sicut ex duobus subiectis fit vnum totale, ita & ex motibus; vnde motus ille partim est vnus, partim duo. Vnus postquam iunctæ sunt guttæ, sicut & vnum est subiectum; duo antequam guttæ vnirentur, sicut & duo erant subiecta.

Art,

Art. 3. Vtrum sint duo motus cum aliquid ex contrario mouetur in contrarium.

PRo parte affirmatiua sunt hæ rationes. Prima cum aliquid ex albo fit nigrum, ibi est fluxus albedinis, qui motus est; est etiã fluxus nigredinis, qui item motus est; Ergo ibi sunt duo motus.

Secunda ratio, vbi sunt duo termini, ibi debent esse duo motus; quoniam quilibet illorum transit vel a non esse ad esse, vel ab esse ad non esse, ac proinde sunt duo transitus; sed quando aliquid ex contrario mouetur in contrariũ ibi sunt duo termini; Ergo & duo erunt motus.

In cõtrarium pro parte negatiua sunt hæ rationes. Prima ab auctoritate Philosophi 5. phys. Tex. 47. dicentis; Est autem, qui ex contrario, supple motus, ei, qui est in contrarium non contrarius, vt qui ex sanitate ei, qui est in ægritudinem; idem enim & vnus est, esse tamen non idem est ipsis; sicut non idem est ex sanitate mutari, & in ægritudinem. Hæc Philosophus ibi..

Secunda ratio. Vbi est vnus terminus ad quem, ibi non possunt esse duo motus; sed cum aliquid ex contrario mouetur in contrarium, est vnus terminus ad quem; Ergo ibi non sunt duo motus, sed vnus.

Tertia ratio. si essent duo motus cum aliquid ex contrario mouetur in contrarium vnus motus haberet duos motus cõtrarios; nam acquisitio albedinis haberet pro contrario deperditionem albedinis, & acquisitionem nigredinis. Præterea vnum subiectũ simul moueretur duobus motibus contrarijs puta deperditione albedinis, & acquisitione nigredinis, cum acquiritur nigredo.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut dictum est, ex termino principaliter desumitur vnitas motus, vt proinde vbi est vna via & tendentia ad vnum terminum, ibi vnus debeat esse motus: ad vnum autem terminum vna via est cum ex cõtrario mouetur subiectum in contrarium; nam considerandum est, quod motus proprie est acquisitio termini ad quem, & ad ipsum fluxus; Quoniam talis fluxus proprie est actus entis in potentia; quem tamen ex natura rei comitari debet deperditio termini a quo, quæ proprie vt supra dictum est motus non est; Quoniam neque est actus, sed actus corruptio, quam tamen nos concipere solemus communi cõceptu cum motu, seu potius ipsi accommodamus conceptum motus; Quia negatiua per positiua concipimus: attamen proprie motus non est; quia actus non est, coniungitur tamen ex natura rei cum actu, quo subiectum trãsit ad terminum ad quem; Quoniam vt suscipiat terminum ad quem, deponere debet terminum a quo, vt incompossibilem cum termino ad quem, tota autem via, & intercapedo, quę a termino a quo ad quem decurritur a subiecto vna acquisitione termini ad quem decurritur, & consecutiue depositione termini a quo; vnde ista sunt naturaliter inseparabilia, imo & re vnum positiuum; Quia vere ibi non intercedit nisi vna tendentia, & fluxus realis, qui extrinsecum habet terminum a quo procedit, & intrinsecum terminum ad quem accedit, vnaq; proinde via est, & acquisitio, cum qua necessario coniuncta est deperditio termini à quo; vnde consideratione vt dixit philosophus hæc duo sunt, re tamen vnum, atque adeo & vnus motus, qui necessario realis est; mutationes tamen ibi plures sunt; Quoniam & de mutatione deperditiua proprie dicitur mutatio; in casu autẽ cõtingit deperditio termini a quo, & acquisitio termini ad quem; vnde duæ mutationes sunt, motus autem vnus, cui intrinsecus non est terminus à quo, sed extrinsecus, necessario tamen connotatus, sicut & connotata ipsius depositio. Quare.

Dicendum re vnum esse motum, sicut dixit philosophus, cum aliquid mutatur ex contrario in contrarium, consideratione & ratione inadæquata duos esse, non quidem motus proprie, pro vt motus a mutatione distinguitur, sed mutationes. Patet ex dictis, & vlterius Confirmatur; Quia ibi vna tantum est positiua via, vnus fluxus realis, qui necessario habet adiunctam negationẽ oppositi; ex alia vero parte consideratione non idem est; Quia non idem est amittere calorem, & acquirere frigus.

Ad rationes in contrarium sententiæ affirmatiuæ.

Ad primam respondeo dicendum, quod

nis à quibus non potest esse contrarietas motuum.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut in motu tanquam in re imperfecta non est essentia nisi termini in statu imperfecto, & quasi inchoata, ita & cœteræ passiones consequentes essētiam; vna autem ex passionibus est contrarietas, vnde contrarietas in motibus non alia erit, quam ea, quæ consequitur essentiam motus, non consequitur autem essentiam motus contrarietas nisi per illud, à quo est essentia; Quia quod dat esse, dat etiam consequentia ad esse; essentia autem motus non est à termino à quo; vnde nec à termino à quo erit cōtrarietas in motibus: Et hoc quidem per se loquendo & primario. Vtrum autem quasi consecutiue, & secundario, motus, qui sunt à terminis contrarijs, sint inter se contrarij patebit ex sequentibus. Quare

Dicēdum per se ex eo præcise, quod moti sint à terminis contrarijs, non habent contrarietatem. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, motus, qui possunt esse in eadem specie non sunt vt sic contrarij; sed à terminis, à quibus contrarijs videntur posse esse motus in eadem specie, vt rubrificationes ab albo & à nigro; Ergo vt sic non sunt contrarij. Præterea à nimio calore, & à nimio frigore, & à nimia siccitate, & nimia humiditate potest esse motus ad sanitatem, vnde & frigefactione, & calefactione fit sanitas; Ergo à terminis contrarijs non sunt semper motus contrarij.

Ad rationes in cōtrarium patebit ex ijs, quæ modo dicentur.

Art. 2. Vtrum motus sint contrarij, qui sunt à contrario in contrarium, et quid in mutationibus.

PRo parte affirmatiua primo est auctoritas expressa Aristotelis 5. phys. à Tex. 46 secundo pro eadē faciunt rationes superioris Articuli pro parte negatiua, & maxime secūda præsēti quæsito accōmodata.

Pro solutione.

Notandum, quod dubium non est aliquem motum alicui motui esse contrarium, cum hoc & inductione cōnstet, & communi consensu hominum, & euidenter monstrati possit illa maxima Topica. Quæcunque sunt contraria contrarijs, sibi inuicem sunt contraria; frigefactio autem calori contraria est, cum illum expellat, & è contra; Vnde calefactionem & frigefactionem inter se contrarias esse necesse est: posito Ergo quod aliqui motus alijs sint contrarij, vt videamus quinam sibi inuicem dicendi sint esse contrarij. Considerare oportet cum philosopho Tex. 46 lib. 5. phys. quod aliquo tantum ex his quinque modis motus ad inuicem sibi possunt contrariare. Aut enim motus contrarij erunt, quorum terminus à quo vnius est terminus ad quem alterius; Vt motus à sanitate, & motus in sanitatem. Et hi motus ex hoc præcise non sibi proprie contrarij sunt, præsertim cum neque motus à sanitate vt sic sit proprie motus, vt contradistinguitur à mutatione, sed sit mutatio; Vnde non vt motus, sed vt mutationes mutatio à sanitate, & ad sanitatem contrariæ erunt, vt scilicet corruptio, & generatio, & vt priuatium, & positiuum. Aut secundo contrarij erunt motus, quorum termini à quibus sunt contrarij, vt motus à sanitate, & motus ab ægritudine; & neque hi ex hoc contrarij esse possunt, vt ex quo primario habeant contrarietatem, vt superius demonstratum est. Aut tertio quorum termini ad quos sunt contrarij, vt motus in sanitatem, & motus in ægritudinem, & hi quidem contrarij sunt, sed non sunt explicati vterque termini à quo, & ad quem, qui tamen necessarij sunt in motu proprie dicto, ac proinde & in contrarietate motus. Aut quarto quorum terminus à quo vnius est contrarius termino ad quem alterius, vt motus à sanitate, & motus in ægritudinem, qui tamen proprie contrarij non sunt, cum coincidant in vnum & eundem motum; nam motus ab albo in nigrum, & à sanitate in ægritudinem vnus est, quod autem vnum est sibi contrariū esse non potest. Aut quinto in quo est completa & perfe-

cta contrarietas, quorum termini à quibus, & ad quos inuicem sunt contrarij, vt motus à sanitate in ægritudinem, & motus ab ægritudine in sanitatem, qui proprie vt sic contrarij sunt; Quoniam & terminum specificatiuum contrarium habent, & terminum necessario connotatum; cum motus proprie acceptus inter duos terminos reales esse debeat, vt dictum est; Vnde ex alijs assignatis modis eatenus cõtrarij dici possunt motus, quatenus cum hoc quinto coincidunt; nam & ambo termini cõtrarij sunt, & fluxus ad contrarium, vt proinde necessario ad inuicem sint contrarij motus huiusmodi. Quare.

Dicendum proprie & per se motus contrarios esse, qui sunt à contrario in contrarium. patet ex dictis, & Confirmatur. Quia contraria ea sunt, quę se immediate excludunt ab aliquo subiecto, circa quod versantur; sed immediate ab eodem subiecto excludere se debent fluxus à formis contrarijs ad contrarias; Ergo ij contrarij esse debent. Minor probatur; Quia per fluxum à contrario ad contrarium puta à frigido ad calidum corrumpitur frigus, & acquiritur calor; Ergo & tolletur acquisitio frigoris; Quia repugnat idem fieri simul & corrumpi, saltem secundum idem.

Dicendũ secundo, si sermo sit de mutationibus vt à motibus distinguuntur, illæ sunt contrariæ, quarum terminus à quo vnius est terminus ad quem alterius. Patet ex dictis in primo modo motus, & Confirmatur; Quia generatio solum corruptioni proprie contraria est: generatio enim ignis contraria est ignis corruptioni, non aquæ &c. sunt autem hæ mutationes contrariæ positiuæ & priuatiuę penes terminos, priuatiuæ quidem penes terminum negatum, qui in altera est à quo, in altera ad quem; positiuæ verò penes terminum positiuum, qui in altera est ad quem, in altera à quo. Itaque harum cõtrarietas consistit in hoc, quod generatio est accessus ad esse ab non esse, corruptio ab esse recessus ad non esse; Inter quas tamen simpliciter positiua dicitur illa, quæ est accessus ad esse, priuatiua quæ ab esse est recessus.

QVAESTIO SEXTA

De Mutatione.

QVæ de mutatione dicenda erant fere dicta sũt; vberioris tñ doctrinę gratia speciatim quærẽdum est, Quid sit, & in quibus sit mutatio, & quæ habeat genera, & contrarietatem.

Art. 1. Vtrum mutatio sit transitus ex non subiecto in subiectum, vel ex subiecto in non subiectum, siue vtrum sit transitus entis in potentia ex priuatiuo in priuatiuum, & quæ mutationum sint genera, & contrarietates.

TRia genera mutationum videtur agnoscere Aristoteles lib. 5. phy. Tex. 7. nam enumerãs quot modis censere quis posset aliquid mutari, qui sunt quatuor, concludit. Quare necesse est ex ijs, quæ dicta sunt, tres esse mutationes, eam, quæ est ex subiecto in subiectum, & eam, quæ est ex subiecto in non subiectum, & eam, quæ ex non subiecto est in subiectum. Tum subdit. Quę enim est ex non subiecto in non subiectum non est mutatio, propterea quod non est secundum oppositionem; neque enim contraria, neque cõtradictio est. Ex quibus inferri alicui videbitur, mutationem esse quandam oppositionem siue contrariam, siue contradictoriam, ac proinde mutationem non esse transitum sicut in Titulo positum est. Pro solutione.

Notandum, quod mutatio considerari potest dupliciter, & latissime, vt sub se habet non solum mutationem proprie dictã, sed etiam motum, & presse vt contradistinguitur à motu; nam vt dicitur 5. phy. Tex. 49. differt mutatio à motu; Ostendens

autem Philosophus in quo differat, subdit, Quæ enim est ex quodam subiecto in quoddam subiectum mutatio est motus, per quæ verba ostendit vtrumque, quod diximus, & in vno sensu mutationem comprehendere in se motum, & in alio distingui à motu, quod secundum apertius docet Tex. 51. dicens, Quæ autem est in contrarium solum non est motus, sed mutatio, vt fieri album non ex aliquo: Tum subiungit: Quibus autem non est aliquid contrarium mutatio, quæ est ex ipso ei, quæ est in ipsum contraria est: Quapropter generatio corruptioni contraria est, & abiectio acceptioni; hæ autem mutationes quidem sunt, motus autem nõ sunt. ita philosophus. Ex quibus illud erit commune motui & mutationi propriè dictæ, vt in vtroque sit transitus, & aliquid quod transeat; vnde 12. metaphis. Tex. 10. ait idẽ Aristoteles, cũcta vero quæcunque mutantur materiam habent. Per quæ vult dicere non reperiri propriè mutationem, vbi nõ reperitur aliquod ens potentia, quod per suam potentiam subiectiuam ex vno termino opposito fiat sub alio termino opposito, quæ oppositio cum contingat tripliciter, vt benedixit Tex. illo 7. li. 5. phys. nimirum ex quodam in quoddam, siue ex subiecto in subiectum & ex non subiecto in subiectum, & tertio ex subiecto in non subiectum. Mutatio vt comprehendit motum dicet transitum potentiæ subiectiuæ vt abstrahit ab hoc triplici genere: Vt autem contradistinguitur à motu dicet transitum entis in potentia, vt abstrahit à duobus postremis modis. Quare concipi non poterit mutatio, quin concipiatur aliquid per modum subiecti in potentia, in quo transitus aliquis sit, Qui si sit inter terminos contradictorios siue priuatiuos propriè erit mutatio; si inter terminos positiuos incompossibiles, erit motus. Vnde definitus est motus actus entis in potentia pro vt in potentia: Mutatio autem propriè dicta sic definiri non poterit; Quia non semper actus est, sed sæpe depositio actus, tamen semper vt quidam transitus concipietur siue ex actu ad non actũ, siue ex non actu ad actum. Quare præcisa abiectio, vel sumptio actus entis in potentia mutatio est. Quod non videtur melius exprimi posse, quam per transitum ex subiecto in non subiectum, vel ex non subiecto in subiectum, vel breuius per transitum entis in potentia ex contradictorio in cõtradictorium, qui tamen transitus vt sit propria mutatio non debet esse mera extrinseca denominatio; nec ens in potentia esse solum debet per cõceptionem, siue per accommodationem conceptus; sed vtrumq; sic in re, & intrinsecum in ente in potentia illud primum. sed iam.

Dicendum mutationem propriè dictã, vt contradistinguetur à motu esse ex non subiecto in subiectum, siue ex subiecto in non subiectum transitum, siue esse transitum entis in potentia ex contradictorio siue priuatiuo in priuatiuum. Dicitur trãsitus; Quia sine transitu nos concipere non possumus successionem circa idem duorũ terminorum; dicitur entis in potẽtia. Quia nisi sit recepta, & consequenter aliquod sit subiectum per ipsam mutandum, quod est esse non pure potentia, sed in potẽtia, propriè mutatio non est; Quia nihil propriè est, quod mutetur, cum non fiat sub nouo termino. Dicitur ex non subiecto &c. siue ex contradictorio, non tamen puro sed priuatiuo in cõtradictorium; Quia in hoc est distinctio mutationis propriè dictæ à motu: cum autem termini contradictorij oppositi sint, & dupliciter variari possint; Quia præcedere potest terminus positiuus, & subsequi; ideo duplex genus mutationum est productio & corruptio, quæ ad inuicem debent esse contrariæ; Quia tendunt in terminos oppositos, ac proinde.

Dicendum secundo est duo esse prima genera mutationum propriè dictarum; & in his esse mutationes ad inuicem contrarias. Patet ex dictis, & Confirmatur Quia duo termini nisi duobus modis variari nõ possunt; cum autem ex transitu subiecti ex vno termino ad alium fit mutatio, consequenter & duo tantum erunt genera transitus à termino positiuo ad negatiuum; & à termino negatiuo ad positiuum; Quarum prima erit mutatio deperditiua, & corruptio; secunda erit mutatio acquisitiua & generatio; ad inuicem autem contrariæ sunt dicente Philosopho tex. illo Si. Quæ est ex ipso ei, quæ est in ipsum contraria est; Quia ex albo transitus ad non album circa idem excludit transitum ex non albo ad album, & è conuerso: sub his autem plura erunt genera; Quia multa genera

sunt positiuorum, quæ fieri possunt in subiecto ex non subiecto, & multa quoque genera sunt negatiuorum, ad quæ deueniri potest ex positiuo, vt proinde sub illis duobus primis generibus plura alia genera sint; vnde multæ genere sunt mutationes acquisitiuæ; & multæ quoque genere sunt mutationes deperditiuæ, inter istas vero omnes mutationes præcipuæ sunt acquisitiuæ; Quia in transitu tanquam finis primum locum obtinet terminus ad quem, & positiuus dignior est negatiuo; in mutatione autem acquisitiua terminus ad quem positiuus est, in deperditiua negatiuus est.

Et ex his patet mutationem non esse oppositionem, neque contrarietatem; sed non esse sine oppositione, siue contrarietate terminorum ad inuicem contradictorie, siue priuatiue oppositorum.

Art. 2. Vtrum mutatio sit in omnibus entibus, & in omnibus prædicamentis.

FAuet parti affirmatiuæ, quia sicut in omni prædicamento est ens potentia, & ens actu; ita & esse debet medius transitus, per quem siue ex ente in potentia veniatur ad ens actu, siue ex ente actu veniatur ad ens potentia.

In contrarium est, quia actus dicitur de aliquo intrinsece & extrinsece; non necesse est autē mutari, quod nihil acquirit intrinsece vel deperdit; cum ergo ex prædicamentis aliqua dicāt actū extrinsecū, in eis proprie non erit mutatio, ac proinde mutatio non erit ad omnia prædicamenta.

Pro solutione.

Notandum, quod cum prædicamenta sedes sint prædicatorum, inter prædicata vero aliqua de alio necessario dicantur extrinsece; Quia entia non solum in se componuntur, sed cum alio; immo neq; omnia in se additamentum accipere possunt, vel deponere, vt mox dicetur, ideo sicut aliqua prædicata extrinseca sunt, ita & mutationes aliquæ tantum extrinsecæ erunt; cū autem vere non mutetur quod extrinsece tantum mutatur; Quia in se non mutatur; propterea si qua prædicamenta sint, in quibus solum sint extrinseca prædicata, in eis vera mutatio non erit; sed aliqua talia sunt, vt prædicamentum actionis; Cū enim agat, quod actu est, vt agat actu fieri non debet; sed neque actum deponere ipsi opus est; Quia non omnis datio est amissio; Et cōtra actionis finem est, vt actum amittat, quod agit: Cum enim agendo velit sibi assimilare passum impossibilis sēper hic ipsi esset finis. nam passum simile nunquam haberet, non antequam illud assimilet, vt patet, non dum illud assimilat; Quia assimilando ex positione in se actum amittit, in quo debet esse simile; Non postea quam assimilauit, si assimilando actum amisit: Nullus autem finis in natura debet esse simpliciter impossibilis; nec enim natura impossibile pro fine habet, quæ nihil facit frustra, & omnia tanquam ex consilio sapienter agit. Quare ad actionem non erit mutatio, nisi quatenus hæc coniungitur cum passione in eodem; Vt proinde solum vere mutetur agens, quod in agendo patitur. Sed neque erit ad relationem; Quia quod iam est album, vt fiat alteri albo simile satis est, si alterum ab ipso de nouo fiat albū, per quod statim simile est; Quia simile est, quod alteri in qualitate respondet, & se habet, sicut illud, quod contingere necesse est, si albedinem habet, sicut alterum; habet autem; quod iam erat album sicut alterū, albedinem, non quia aliquid de nouo recipiat; sed Quia quod habet tenet, quod mutari non est, sed non mutari. Itaque, vt vno verbo dicam, vbicunque prædicatum solū extrinsecum est, vel consurgit præcise expositione extrinseci, etiamsi aliquid dicat intrinsecum, nec tamen vt de nouo dicitur requirit de nouo nisi extrinsecum, mutatio proprie nō est, nec proprie illud mutatur; sed forte solum per aliquam accommodationem conceptus, & secundum nostrum modum intelligendi: Ex quo etiam est, vt non mutetur primum ens, & si de illo aliqua dicuntur de nouo. Nam cum primum ens ita sit actus, vt sit simpliciter actus nul-

nulla in illud cadere potest mutatio: neque enim in se vllum de nouo recipit actum, quem si reciperet simpliciter actus non esset, sed in potentia; Et tamen quia ita actus est, vt per ipsum & possint, & debeant fieri in actu, quæ in actu non sunt, ideo multa de eo extrinsece dici necesse est, siue ea de nouo dicantur præcise ex nouitate extrinseci, siue cum extrinseco aliquid dicant intrinsecum; sola ergo vera mutatio illi conueniet enti, quod de potentialitate participat, quæ fuit causa, vt dixerit vbi supra philosophus, non esse mutationem, vbi materia non est, intellige non solum physicam, sed metaphysicam, idest potentialitatem: Potentialitas vero est, vbi simplex actus non est, simplex autem actus non est, vbi limitatio est, & esse factum ex non esse; Quia limitatio semper cum negatione alicuius perfectionis est, qua non careret, si quod est, esse à se haberet; si enim à se haberet, semper haberet. Quia ex se haberet. nam quod perfectionem habet ex alio ex se consequenter non habet, ac proinde in eo perfectio est post non esse; Quæ causa est, vt mutabile sit omne, quod ex se non est, & creatura est. Quare in omnem creaturam aliqua cadere potest mutatio; nulla vero in eum, qui à se est, de quo proinde in scripturis sanctis dictum est. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et ego Deus, & non mutor. Et licet mutabile sit omne creatum, & prima radix in eo omnis mutationis sit creatio, tamen creatio proprie mutatio non est; Quia ita in creato est, vt ante ipsam creatum non esset penitus, & consequenter non possit dici mutari; Quia non mutatur, quod secundum saltem aliquid sui sub vtroque termino non est; dicetur tamen mutatio secundum accommodationem conceptus, & modum nostrum intelligendi, in quo fundabitur, sumpta tamen aliqua occasione ex re, illa denominatio. Itaque in omni ente creato aliqua vera potest esse mutatio, quæ vera tamen non erit, nisi sit recepta, & supponat ens in potentia; cum autem quæcunque dicuntur, non semper per formam dicantur receptam; omnis autem forma denominans ad aliquod spectet prædicamentum, ideo & aliquod prædicamentum erit per denominationem extrinsecam, & ad illud non dabitur vera mutatio, vt proinde.

Dicendum sit neque ad omnia entia, neque ad omnia prædicamenta dari veram mutationem. Patet ex dictis, & Confirmatur Prima pars; Quia ad essentias mutatio non datur, Triangulum enim habere tres angulos æquales duobus rectis immutabile; quæ cum eandem illam intelligibilitatem dicant, quam habent in primo illo, quod non mutatur, intelligibile, consequentur immutabiles sunt; secundum tamen actum exercitum mutantur: hi autem actus non minus, quam illæ in prædicamentis sunt, vt proinde cum in prædicamentis essentiæ sint, quæ sunt immutabiles, ad aliqua tamen prædicamenta detur mutatio, non ad omnia, vt patet ex dictis; Quia non omnis prædicamentorum denominatio est per formam receptam, sine qua mutatio non est; Quia non mutatur, quod se aliter non habet in se, atque haberet ante.

Ex his habetur non esse mutatum verbum diuinum assumendo naturam humanam; Quia hæc in eo non est per modum formæ receptæ, nec per eam in suo esse variatur; cum neque perfectionem, neque imperfectionem ex ea patiatur; Quia talis natura non habet concurrere ad illud in actu constituendum, vel absoluendum, nec illud remouet ab actu, in quo simpliciter est; Quia Deus est. facit tamen verbum actum in natura illa humana, cui dat subsistere, vt proinde per hoc mutata illa esset, si aliquando sine illo fuisset; sicut mutaretur, si deponeretur.

Habetur vlterius ex dictis omnem variationem, quares variatur in suo esse intrinseco, veram facere mutationem; Quia in eo iam non ita se habet, sicut habebat ante; Vnde supra dictum est, non esse mutationem veram sine forma recepta, vel sine aliquo intrinseco per modum formæ, idest per quod res in

suo

manus discursus; Quia cũ aliqua tẽdẽtia, & successione est; sed proprie entis in potẽtia prout in potẽtia actus nõ est; Quia per ipsũ vt sic intellect⁹ proprie in actu est, & actus intellectiui per se intenduntur, atque adeo perfecta vita intellectiua humana in actu secundo, quę non ordinatur vlterius, nec habet terminum ex natura rei perfectiorem, vt proprie dici possit. Actus entis in potentia &c. Vita enim viuentis vltima perfectio est, & maxime intellectiua. Itaq; quò entia perfectiora sunt magis à motu remota sunt, & perfectiori potiuntur quiete solam tamen quietem, quæ proprie physica est, habent entia, quæ physica sunt, & motus consequenter capacia sunt: Quia quiescunt corpora, cum non mouentur, ac proinde vbi motus est, & quies est, & priuatio motus quies physica est; Quare.

Dicendum omnem quietem physicam esse motus priuationem, & solum in ijs entibus esse, in quibus potest esse motus physicus patet ex dictis, & Confirmatur; Quia maxime videtur esse quies corporũ in loco, vbi non mouentur.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod quies sub termino ad quem non est pręcise priuatio motus; sed simul est possessio termini, & formæ, propter quam est motus, vt actus imperfectus propter perfectum. Quare ad formam argumenti distinguenda est minor; Motus non potest esse primario propter sui priuationem verum est; non potest esse secundario, & consecutiue, quatenus ipsius priuatio necessario coniuncta est cum forma, & termino in facto esse, & in consistentia, falsum est.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod animi, & corpora bene habent in quiete, quatenus hæc dicit possessionem actus, & excludit potentialitatem, cum qua coniunctus est motus.

Ad tertiam patet ex dictis quietem illam esse aliquid perfectius, quam sit quies physica, nec esse priuationem, sed cõnotare negationem potentialitatis, & carentiæ, & ponere possessionem perfectam perfectissimi actus.

Art. 2. Vtrum quietes aliquæ motibus opponantur, & inter se, & quæ illæ sint, & quæ sint naturales, quæ innaturales, siue violentæ.

QVod non opponantur quietes motibus probari videtur his rationibus. Prima illa non opponuntur, quæ sunt subordinata, & vnum consequitur ad aliud, vt ipsius finis; sed quies consequitur ad motum, & est ipsius finis; mouemur enim, vt quiescamus in termino: ergo quies, & motus non opponuntur.

Secunda ratio. motus est acquisitio termini, quies eius possessio; sed acquisitio & possessio non opponuntur; Ergo quies & motus non opponuntur.

In cõtrarium Pro parte affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. Dum mobile quiescit; non mouetur, dum mouetur non quiescit: Ergo quies & motus opponuntur; Quia illa opponi dicuntur, quæ se tollunt ab eodem subiecto, ab eodem autem subiecto quies tollit motum, & motus tollit quietẽ; Ergo inter se opponuntur.

Secunda ratio. à quiete & motu sunt cõtrariæ passiones, & requies & defatigatio; Ergo ad inuicem opponuntur; Quia passiones contrariæ nasci videntur ex principijs contrarijs.

Pro solutione.

Notandum ex lib. 5. phys. Tex 53. quod motus quieti alicui contrarius esse debet; sed aliter, quam motui, positiue siquidem motus contrariatur motui, quieti vero priuatiue; est enim quies, sicut dictum est, priuatio motus. attamen considerare oportet, quod non omni motui contraria est omnis quies; sed primũ necesse est ad hoc vt quies sit contraria motui, vt sit eiusdem generis, puta quies in loco est contraria non motui ad qualitatem, vt ad album, sed motui in loco; quies in qualitate motui contraria est ad qualitatem, & sic de reliquis, Et hoc quidem in genere; sed speciatim vlterius ad contrarietatem motus & quietis considerandum est, quod sicut motus ex dictis ha-

bet duos terminos, terminum à quo, & terminum ad quem, ita duæ sunt quietes, de quibus potest esse dubium, altera in termino à quo, altera in termino ad quem, quod autem quies in termino ad quem non opponatur motui, dictum est supra, & probabant rationes factæ pro parte negatiua; vnde tota difficultas est de quiete sub termino à quo; Hæc autē quod motui opponatur ex eo manifestum est, quod motus tollit quietem sub termino à quo, cum tamen ponat quietem sub termino ad quem, & ad illam sit via; nam motus ad sanitatē tollit ægritudinem, & ponit sanitatem. Nō est ergo motus proprie oppositus quieti sub termino ad quem, sed sub termino à quo; & eadem etiam ratione, si sermo sit de quiete, & de mutatione contradistincta à motu, licet illa proprie nō dicatur quies ab Aristotele, sed immutatio; mutationi solum contraria est immutatio sub termino à quo easdem fere ob rationes: Atque ita quies siue immutatio sub esse opponitur mutationi ad non esse, nempe corruptioni; immutatio sub non esse opponitur mutationi ad esse, videlicet generationi; sed immutatio sub esse non opponitur generationi; quia per generationem fit, vt ipsius terminus, & quies. Est ergo semper cōtraria motui siue mutationi quies sub termino à quo. Sed iam vlterius tum in motibus, & mutationibus cum quietibus, tum in quietibus ad inuicem alia est oppositio, qua scilicet motus naturalis opponitur nō naturali, & violento, & mutatio naturalis violentæ, & quies naturalis quieti violētæ, & motui. Natura enim cum sit determinata ad vnum, ad vnum terminum suū habebit motum, cui cum opponatur motus ad terminum oppositum, vt motus ad sanitatem motui ad ægritudinem, consequēter & qui est secundum naturam ad vnum terminum opponitur ei, qui est ad terminum oppositum, vtique contra naturam: Et quæ est sub termino, ad quem naturæ motus est, quies naturalis erit, & opposita erit quieti sub termino opposito à quo, quæ vtique erit contra naturam; quod autem contra naturam est violentum est, vt proinde motus & mutatio ad terminum oppositum naturali, & sub eo quies, & immutatio contra naturam sint, & violenta, ac opposita motibus naturalibus, & quietibus, quorum proinde principia extrinseca erunt, si natura est principium intrinsecum: oppositorum enim par est opposita esse principia. Sed iam.

Dicendum primo motui & mutationi opponi tantum quietem siue immutationē in termino à quo, non autem quietem in termino ad quem. Patet ex dictis, & Confirmatur. Quia illa quies motui opponitur, quæ facit subiectum in potentia ad illum motum; sed hæc est quies in termino à quo; Ergo Maior probatur; Quia subiectū non fit in potentia nisi à priuatiuo; Quod enim frigidum, vel calidum est, non est in potentia ad esse frigidum, vel calidum. & ex his patet etiam minor; Quia per quietē in termino ad quem subiectum est in actu, non in potentia.

Dicendum secundo quietes sub terminis à quibus motuum contrariorū esse ad inuicem contrarias. Probat Philosophus Tex. 54 libri citati; Quia est inconueniēs quietes non esse oppositas ad inuicem, cū motus ad inuicem contrarij sint. Preterea ea sunt contraria, quæ sunt contrarijs contraria ex dictis; sed quietes terminorū à quibus contrariorum sunt contrariæ motibus contrarijs; Ergo & ipsæ sunt contrariæ: Erit igitur quies sub calido, quę opponitur motui à calido in frigidum, opposita quieti sub frigido, quæ opponitur motui à frigido in calidum: Hinc est, quod ęgritudo est partis frigidę, vt cerebri sub intenso calore, & sanitas sub naturali frigore: ægritudo est ventriculi sub frigore, sanitas sub calore: Quamquam excessus vbique noxius est, & in stomaco, & in cerebro, attemperata dispositio naturæ partium sanitas vtrobique.

Dicendum tertio illos motus, & quietes esse naturales, quæ sunt ad terminum, & sub termino, ad quem per sua principia natura inclinat subiecti; illas esse contra naturam, & violentas, quæ sunt ad oppositos terminos, vel sub illis; vt si natura inclinat ad terminum ad quem, naturalis sit ad illū motus, & sub eo quies; innaturalis vero, & violentus sit motus ad terminum oppositū à quo, & quies sub illo; quod valet etiam in mutationibus. Patet ex dictis, & Confirmatur; Quia inclinatio naturæ strictæ sumptæ est ad vnum, quod autem contra illam est violentum est; contra autem illam

lam

jam est, quod ad oppositum est.

Dicendum quarto motus violentos, & naturales semper esse ad inuicem essentialiter oppositos, saltem penes subiectum, & principia. deducitur etiam euidenter ex dictis, & Confirmatur; Quia termini oppositi, & inclinationes ad illos necessario dicunt diuersas essentias; non semper tamen ab his praescindendo forma essentialiter diuersa est, vt patet in quantitate, magnum enim & paruum in linea, vel corpore nō variant essentiā lineæ, vel corporis, nec fluxus siue tentendentia mobilis ad diuersa vbi, si de agitatione intrinseca sermo sit.

Ex dictis operæ pretium erit quædā colligere pertinentia ad valetudinem animalis. Primum sanitas, quæ est quies sub symmetria humorum non est contraria motui, & alterationi, qua per nutritionem talis symmetria conseruatur, vel etiam motui, & alterationi, qua talis symmetria inducitur, & reparatur deperdita: Quod si talis motus nonnunquam aliquā molestiam parit, inde non est, quod aduersetur naturæ; sed quod sit cum aliqua contraria repassione, & motu contrarij; siue quod expellatur contrarium cum tali repassione, & motu, quæ faciunt illam molestiam sensationem; nam quod præter naturam est in sentiente molestiam parit, nō autem quod naturale est, nisi adiungatur ei aliquid innaturale; vnde non grauat naturalis nutritio, etiam si non sit hæc siue alteratione, & motu.

Secundū Ægritudo alteratio potius est, & consistit potius in motu, quam in quiete; nam humorum totalis improportio in facto esse non est cum vita, sed in morte; vnde illa non dicitur ægritudo, sed resolutio, & mors: Improportio autem in fieri ægritudo est; siue motus humorum non temperatorum partes alterantium temperatas ægritudo est: Verum quidem est, quod induci potest aliqua intemperies, siue in omnibus, siue in certa particula, quæ totalis non sit; nam si totalis primæ partis est, & cœterarum consequenter erit, & mors; si totalis solum alicuius partis mors partis illius est; si autem non est totalis, ægritudo est, vniuersalis quidem si in omnibus vt ethicus calor, particularis vero si cuiusdam partis, & hæc nonnunquam est per modum consistentis, & in facto esse, ac proinde rationem quandam quietis habet, & dicitur habitualis, quæ quoties mouetur vlterius fit actualis, & molestiam infert, cum molestiam afferre non soleat, dum motus non est; Quia sensatio tunc tantum fit cum obiectum naturæ improportionatum sensorio repræsentatur, non repræsentatur autem quod secundum realitatem in sensorio iam est, & occupat, vnde ethici febrem suam non sentiunt, nisi illa augeatur. Hinc illud, quod dum curamur ex habituali aliqua ægritudine maiorem solemus sentire ægritudinis molestiam quam ante; Erat enim in habitu, & quasi facta naturalis, ac proinde non inferebat molestiam; Quia naturale non vexat, seu magis; Quia sensibile supra sensum positum non facit sensationem; cum autem per alterationem factam à pharmacis transeundum sit à dispositione illa ad aliam, in transitu modestia; Quia sensui repræsentatur, quod quasi innaturale iam factum erat. Præterquam quod cum requiratur excessus virtutis ad expellendum contrarium; sensus autem in mediocritate consistat, quod excedit grauem infert sensui passionem: Immo ex hoc capite sæpe periculosæ curationes sunt, dum scilicet plus iusto declinatur ad contrarium, vt expellatur contrarium.

Tertium Multus cibus sæpius noxius, aliquando salubris; noxius Quia multa per eum fit alteratio, quæ facile infringit symmetriam temperamenti, & multa fiunt ex eo excrementa, Quorum, dum in corpore retinentur, noxius motus est, vt pote ad contrarium: salubris tamē multus cibus aliquādo; Quia quod multum valentius, & facilius vincit, ac proinde sua actione nonnunquam innaturales tollit dispositiones.

Quartum Quorū motus & alteratio est ad proportionem humorum, & partium, qualia fere sunt temperata, siue parū excedentia, sana omnia: Illa vero insalubria, quorū motus siue alteratio est ad oppositū, quæ quo magis oppositū inducsit, vt valde frigida, & nonnūquā valde calida, eo sunt insalubriora, ac pinde excessus oēs insalubres; Quia tēperamētū nō est sine tēperie.

Quitū habetur ex dictis Quare sicut dixit ille,

ille, Athleticus habitus periculosus: Quod enim ad summum venit facile declinat à mediocritate, quæ fere est in valetudine, & ex cedenti facilis est in oppositum victoria; Temperati autem humores sanitas animalis; Vnde à summo motus est, non iam ad sanitatem ab ægritudine; sed ad ægritudinem à sanitate. Quare vtile est habitum talem remittere aliquantum. Alia his similia deduci possunt ex his vniuersalibus principijs ad vtilitatē humanæ vitæ.

Vltimo vt in particulari de oppositione motuum, & quietum magis constet.

Dicendum est quinto, quod secundum naturam motui naturali sursum oppositus est motus naturalis deorsum, motus scilicet terræ motui ignis, ambo siquidem sunt secundum naturam; Motui autem naturali sursum secundum violentiam oppositus est violentus deorsum eiusdem corporis, puta motui naturali ignis sursum motus violentus ignis deorsum; vnus enim naturalis est, alius ab extrinseco violentus. Similiter & in quietibus. Quies aliqua contraria est alteri secundum naturam, vt quies terræ deorsum quieti ignis sursum; aliqua contraria est præternaturam, & violenter, vt quies terræ sursum quieti terræ deorsum: aliqua contraria motui secūdum naturam, vt quies terræ sursum motui terræ deorsum; aliqua cōtraria motui præternaturam, vt quies terræ deorsum motui terræ sursum: semper autem quies præternaturam ab extrinseco est, sicut & motus; vnde omnis habitus præternaturam in animali, aut ab extrinseco ambiente est, aut ab excedente aliquo humore.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE QVANTITATE.

POst motum sequitur agendum de quantitate; quoniam vt dicitur tertio Physicorũ tex.1.motus videtur continuorum esse. Aristoteles tamen postquam eo loco vsque ad text.24. egisset de motu, incipit tractare de infinito, tanquã de eo, quod aliquo pacto ratione partium communicantium inest magnitudini, motui, & tempori; nos tamẽ prius de quantitate tractabimus; quoniam ex ijs, quæ hic dicentur, melius quæ de infinito dicenda sunt percipi poterunt.

Inuocatio.

IMpartibilis actus, neque in te distentus, neque per loca diffusus, non finitę potestatis, sed infinitæ maiestatis, qui sine partibus totus & in te, & vbicumque operaris extra te, illustrà super nos faciem tuam, vt de quãtitate sine errore dicamus: tua enim est virtus, & tua est sapientia, tuũque omne est, quod bonum, & perfectum est: non enim solum tuæ cælorum moles, & corpora, qui sine mole, & corpore factores quantorum, & corporum; sed visibilium, & inuisibilium creatores; quia virtus tua nullo specierum, vel generum limite circumscripta, nullisque arctata differentiarum repagulis, sed potens omnia; quia super omnia actus intellectualitate continens, & voluntate potens, cuius decretum stabile, & nutus efficax, & cosilium immutabile, nesciens impedimenta, habens potestatem, nec sentiens difficultatem; quia omnia & si in se non æquè facilia, tibi tamen æquè facilia; quoniam posse statim tibi sub est, cum vis; fac ergo, vt nos possimus, & valeamus, quod non valemus per nos, & quod posse nos voluisti, iube esse stabile, vt ad gloriam tuam perpetuò valeamus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Natura Quantitatis.

A Natura quantitatis incipiendum est; vt ea cognita habere possimus, quæ sunt circa quantitatem: hoc autem vt faciamus, variæ prius eius acceptiones distinguendæ sunt.

Art. 1. Vtrum Quantitas dicatur multipliciter.

COmmunis est sententia affirmatiua. Pro negatiua sunt hæ rationes. Prima. quæ sunt vnius prædicamenti vno modo dicuntur, Quantitas est vnius prædicamẽti ergo dicitur vno modo: non ergo dicitur multipliciter. Secũda. Quãta distinguntur à non quantis genere; Ergo non dicuntur multipliciter: si enim multipliciter dicerentur, essent in pluribus generibus. Pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima Maius, & minus dicuntur de quanto; sed maius, & minus nõ dicũtur vno modo, sed multis modis, & in pluribus generibus; ergo quantitas dicitur multipliciter. Maior probatur. quia in interrogationibus factis de quanto termini isti assumuntur; nam dicitur brachium maius manu, manus maior digito, &c. Minor probatur. Quia in qualitate dicimus, vnum calorem esse maiorem alio, item in loco, imo & in substantia dicimus, vnum Angelum esse maiorem alio, &c.

Pro solutione.

Notandum, quod quantitas latissimè sumpta duplex dicitur, Vna virtutis, altera molis, ita cũ D. Augustino D. Thom. Alensis, & alij Scholastici communiter. quantitas virtutis dicitur illa, quæ attenditur secundum perfectionem maiorem, vel minorem rei, quæ iudicatur, vel ex maiore perfectione formæ, vel ex duratione, vel ex effectu. ... forma dicimus, perfectiorem esse hominem, quàm brutum; quia anima hominis longè perfectior est quàm anima bruti. ex diuturnitate in esse, & duratione, quæ longo tempore durant dicimus perfectiora esse illis, quæ breui deficiunt. ex effectu demum quantitas virtutis diiudicatur multipliciter. primus modus sit operatio, seu virtus operandi; nam illa, quæ habent perfectiorem virtutem operandi dicimus esse perfectiora: Virtus autem operandi iudicatur vel ex numero obiectorum, in quæ potest, qua ratione intellectus dicitur longè perfectior quocumque sensu; cum in multo plura obiecta feratur, quàm ferantur illi; nam intellectus fertur non solum in obiectum vnius sensus, sed in omnium, & præterea in multa alia, vt in vniuersalia, & inmaterialia; vel ex intensione actus super idem obiectum, & hoc pacto vna virtus visiua dicitur perfectior alia, quia acutius cernit obiectum visibile; vel ex celeritate actus, quo pacto sæpè virtutes diiudicamus; nam quò promptius ea suum effectum facit, eo etiam videtur esse perfectior, & ex hoc capite calor, qui citius agit, & vincit resistentiam contrarij cognoscitur esse intensior, & perfectior alio calore, qui id non habeat. hæc autem latitudo virtutis, & perfectionis dicitur quantitas virtutis, quæ reperitur tam in rebus materialibus, quàm in spiritualibus, & sic vnum ingenium dicitur maius alio, &c. Quantitas molis est illa, quæ reperitur solum in rebus materialibus habẽtibus molem, & extensionem, vnde etiam appellatur extensio. Quare

Dicendum quantitatem latè sumptam dici multipliciter, & de rebus diuersorum prædicamentorum, ac proinde, vt sic esse terminum æquiuocum, patet ex dictis. Et ad rationes in oppositum, dicendum, illas procedere de quantitate molis, non autem de quantitate communius accepta, prout dicit quantitatem molis, & quantitatem virtutis.

Art. 2. Vtrum ratio formalis quantitatis molis consistat in diuisibilitate.

PRima sententia affirmatiua, quæ vult rationem formalem quantitatis in diuisibilitate consistere est Sõcinatis quinto Metaphysicæ quæstione 21. fauet S. Thomas in primo distinct. 19. art. 1. ad primum, distinct. 17. quæst. 2. art. 1. Citatur etiam Scotus 5. Metaphisicæ quæstione 9. & in prædicamentis Antonius Andreas, Zimara, & alij, contra quos cœteri negant. Probatur sententia affirmatiua his rationibus. Prima. In quolibet genere est propria ratio formalis, per quam est tale genus, & talis natura; Sed nulla alia ponitur à philosopho esse ratio quantitatis, vt

patet

patet 5. Metaphysicæ Tex 18. nisi diuisibilitas; cum ibi quantum sic definiat: quantum est diuisibile in ea, quæ insunt; ergo diuisibilitas est ratio formalis quãtitatis. Secunda ratio ab Aristotele, & Commentatione loco citato Metaphysicæ Diuiditur quantitas continua à discreta per diuisibilitatem, & per eandem diuiduntur species quantitatis discretæ; Sed vna quæque species debet diuidi ab alia per sua essentialia; Ergo de essentia quantitatis, vt ipsius ratio formalis, est diuisibilitas. Tertia ratio. Diuisibilitas conuenit quantitati per se; ergo vel est eius ratio, vel est eius proprietas; Sed nõ est proprietas; Ergo est ratio quantitatis: Maior patet: quia quantitas non est diuisibilis per accidens: Minor probatur. Omnis proprietas conuenit subiecto, cuius est proprietas per aliquid prius, quod sit ratio ipsius: sed non est assignare quid prius conueniat quantitati, quàm diuisibilitas; ergo diuisibilitas est ratio formalis quantitatis.

In contrarium pro secunda sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima, ratio formalis quantitatis æquè conuenit omni quãtitati; sed diuisibilitas non æquè conuenit quantitati continuæ, & discretæ; ergo non est ratio formalis quantitatis: Maior patet. quia conuenire debet omnibus quantis vniuocè: Minor probatur. Esse actu diuisum, & esse tantum diuisum in potentia non est æquè habere diuisibilitatem; sed numerus est actu diuisus; quia eius vnitates discretæ, & distinctæ sunt; continuum autem est diuisum tantum in potentia; ergo. Secunda ratio; Potentia & actus sunt in eodem genere; sed actualis diuisio non est de ratione quantitatis; ergo neque diuisibilitas, seu potentia ad diuisionem. Tertia ratio. Non potest ratio formalis oriri ex aliquo, quod sit prius in re, cuius est ratio formalis; quia nihil in re præsupponitur ad essentiam; sed diuisibilitas oritur ab extensione, & latitudine molari, & quantitatiua; ergo ratio formalis quantitatis non potest esse diuisibilitas. Quarta ratio. Diuisibilitas in partes entitatiuas conuenit etiam qualitati, & multis alijs, ergo non potest esse ratio formalis quantitatis. Dices, rationem formalem quantitatis non esse quamcunque diuisibilitatem; sed diuisibilitatem in partes quantitatiuas; sed contra est; quia sicut in qualitate diuisibilitas præsupponit latitudinem intensiuam formæ, & graduum multiplicationem, ita in quantitate diuisibilitas in partes quantitatiuas præsupponit latitudinem extensiuam quantitatis; ergo diuisibilitas non potest esse ratio formalis quantitatis. Quinta ratio. Si diuisibilitas est ratio formalis quantitatis; maximè vel diuisibilitas physica, & quæ potest reduci ad actum ab agente physico, & hoc non; quia sunt aliqua quanta, quæ sic diuidi non possunt, vt per philosophum cælum. Dices id esse ratione formæ, non ratione quantitatis. contra; quia & si hoc detur, tamen per diuinam potentiã potest aliquod quãtum præscindere à loco, & contactu physico, vt patet de corpore Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ, quod proinde neque etiam ratione quantitatis physicæ diuisibile esse potest; vel certè est diuisibilitas Logica, & quæ saltem ab agente supernaturali reduci potest ad actum diuisionis, & cõtra est; quia hæc præsupponit quãtitatem constitutam; ratio vero formalis rei non præsupponit rem constitutam, sed constituit.

Pro solutione.

Notandum, quod diuisibilitas alia nascitur in quantis præcisè ab ipsa quantitate, alia ab alijs qualitatibus, quibus quanta affecta sunt; nam minus diuisibilia sunt, quæ sunt valdè dura, & densa, quàm cætera; loquendo ergo de diuisibilitate, quæ præcisè sequitur quantitatem, considerandum est, quod hæc nascitur ex eo, quod quantitas habet latitudinem extensiuam, quæ latitudo extensiua ita est vna, vt sit apta nata fieri multiplex, ac proinde diuisibilis est; nam diuisibilitas dicit ordinem ad diuisionem, vt ad suum actum, per quem quod erat vnum quantum, fit multiplex; Supponit ergo diuisibilitas ipsam quantitatem constitutam, quam sequitur vt proprietas: quod multo adhuc fiet clarius, si cõsideremus finem, propter quem quantitas est data rebus materialibus: nam cum accidentia habeant suam essentiam per ordinem ad effectum formalem, quem debent facere in subiecto, ex fine, & effectu formali ipsorũ optimè dignoscitur natura; porrò effectus, ad

quem

quem instituta est quantitas, non est, vt subiectum sit aptum diuidi; cum potius forma propter totius conseruationem petat, quod subiectum non diuidatur; sed est potius, vt materia habeat suam naturalem dispositionem ad formam materialē, substantialem, & cœtera accidentia suscipienda; vt sit in loco commēsuratiuè, vt sit impenetrabilis cum alijs quantis; propter hæc, & alia huiusmodi data est quantitas rebus quantis; non potest igitur ipsius natura cōsistere in diuisibilitate; cum illa sint magis principalia, hæc minus intenta. tum à materia, tum à forma, & hæc illa præsupponant, & sint in ordine ad extrinsecum diuidēs; cum alia ex dictis sint in ordine ad intrinseca, & propter formam substātialem, & totum compositum; Quare

Dicendum, essentiā quantitatis consistere non posse in diuisibilitate: patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ; Confirmatur; quia quantitas non potest esse data corporibus cęlestibus propter diuisionē; cum ipsis ex communi placito Peripateticorum diuisio repugnet; sed si eius natura, & essentia consisteret in diuisibilitate, omnibus quantis data esset propter diuisionē; quia diuisibilitas essentialiter est ordinata ad diuisionem, vt potentia ad suum actum; ergo essentia quantitatis non consistit in diuisibilitate.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod à Philosopho in definitione quanti loco citato non est posita alia ratio à diuisibilitate explicitè; est tamen posita implicitè; cū per proprietatem diuisibilitatis naturam quantitatis circūscripserit, quod benè fecit; quandoquidem ipse ferè semper quantitatem considerauit in ordine ad proprietates mathematicas; quæ cum oriantur ex partibus sub ratione mensuræ, vt deinde dicetur, huiusmodi autem partes supponant in quanto diuisibilitatem, sine qua non essent; ideo benè & diuisibilitatem, & rationem partium expressit in definitione quanti dicens, quantum est diuisibile in ea, quæ insunt, quorum vtrumque, aut singulum, vnumquid, & quod quid aptum est esse: quare in forma ad argumentum iuxta modo dicta, minore distincta neganda est cōsequentia.

Ad secundam respōdeo dicendum; quod semel descripta quantitate per diuisibilitatem, consequens erat, quod per varia genera diuisibilitatis assignaret ipsius species; quare concessa maiore ad minorem respōdeo, quod vnaquæque species debet diuidi ab alia per sua essentialia, supposito quod iam vniuersè, & genericè essentialia assignata sint; si verò illa solum sint à posteriori descripta, poterit & à posteriori diuidi species, quod fecit Philosophus. quare in forma ad argumentum iuxta modo dicta distincta minore, negatur consequentia.

Ad tertiam Patet ex dictis, diuisibilitatē esse proprietatem quantitatis; quid autem sit illud prius, ex quo nascitur, dicetur inferius.

Obijcies. Si diuisibilitas nō est ratio formalis quantitatis, hæc erit ratio partium; sed ratio partium non potest esse essentia quantitatis; ergo. probatur minor: sicut se habent partes actu ad diuisionem actu, ita partes potentia ad diuisionem potētia, seu diuisibilitatem; sed partes actu supponunt diuisionem actu; illaquè sunt posteriores; ergo & partes potentia supponent diuisionem potentia, illaquè posteriores erunt.

Respondeo dicendum, quod illa comparatio simpliciter non valet; cum non sint omnia paria; neque simpliciter sicut se habent partes actu ad diuisionem actu, se habent partes potentia ad diuisionem potentia, siue diuisibilitatem; quia partes actu se habent ad diuisionem actu, vt ad quid prius se ipsis; partes potentia se habent ad diuisionem potētia, vt ad quid posterius; quod connotant. Quare verum quidem est, quod vtræque partes connotant; hæ diuisionem, illæ diuisibilitatem; sed non eodem modo connotant; quare in forma ad argumentum negatur minor; ad eius probationem, dicēdum, illam comparationem non procedere simpliciter.

Dices sicut se habet actus ad actum, ita potentia ad potentiam; ac proinde sicut se habent partes actu ad diuisionem actu, ita partes potentia ad diuisibilitatem.

Respondeo dicendum, quod quoad connotationem sicut se habent partes actu ad partes actu, ita &c. non autem quoad modum connotationis, vt patet ex dictis; partes enim actu dicunt diuisionem actu, sed vt aliquo modo priorem; partes in potentia dicunt diuisibilitatem, sed vt quid posterius;

fterius; ex eo enim, quod talis est entitas rei, vt in ea fieri possint partes diuisibilis dicitur.

Art. 3. Vtrum ratio formalis Quantitatis consistat in extensione aptitudinali in ordine ad locum, quæ distincta sit ab extensione, quam habeat substantia in ordine ad se, & Vtrum à substantia realiter quantitas distinguatur.

Fauet parti affirmatiuæ Suarez disput. 40. Metaphys. Sectione 4. dum in tali extensione aptitudinali reponit rationem formalem quantitatis, qui tamen eam nihil aliud esse vult, quam extensionem ipsam, & molem substantiæ, quæ cum à nobis benè aliter intelligi non possit, explicatur in ordine ad locum quantum, & circumscriptiuum; ipse tamē præter hanc extensionem, aliam entitatiuam agnoscit in substantia, per quam habeat partes, & partes extra partes; sed non per naturalem repugnantiam essendi intra; nam habere per naturalem repugnātiam essendi intra vult esse effectum formalem quantitatis. probari ergo potest pars affirmatiua maximè ostendendo substantiam materialem de se habere entitatiuam extensionem distinctā ab extensione illa aptitudinali in ordine ad locum; nam posito quod substantia materialis de se extensa sit; cum iam non possit accipere extensionem in ordine ad se, restat vt à quantitate accipiat extensionem in ordine ad locum; & cum hæc non si extensio in loco actualis; quia hæc separatur à quanto, restat vt sit extensio aptitudinalis: Probatur ergo quod de se substantia sit extensa.

Prima ratio. Tota quantitas, & singulæ eius partes præsupponunt totā substantiam, & singulas eius partes. ergo substantia habet suam extensionem, antequam dicatur extensa per quantitatem.

Secunda ratio. Deus potest seruare substantiam corpoream sine quantitate in eodem loco, in quo sub quantitate existebat; sed in tali casu partes non minus essent inter se ordinatę, atque sunt sub quantitate; ergo talis coordinatio partium, & extensio non prouenit à quantitate.

Tertia ratio. si quantitas facit extensionem in substantia, vel id facit effectiuè, vel formaliter; neutrum dici potest; ergo. non effectiuè, quia causa formalis non potest effectiue efficere id, quod præstat se ipsam communicando subiecto: non formaliter; quia ordo partium substantialium consistit in illa serie vnionum non interrupta, sed hoc non potest causare quantitas in alio à se realiter distincto; ergo. Minor probatur. quia vt concipiatur quantitas illum ordinem formaliter causans debet apprehendi interiecta inter partes substantiæ illas vniendo, & distinguendo, quod esse non potest. Pro contraria sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima quod substantia de se nullam habeat extensionem pluribus locis docet Aristoteles primo Physicorum tex. 13 substantia, & quantitates non sunt vnum, sed multa 7. Metaphys. tex. 8. Longitudo, latitudo, & profunditas quantitates quædam sunt, sed non substantiæ; quantitas enim non est substantia, sed cui ipsa primo insunt, illud est substantia. 3. Metaphysica. tex. 17., & lib. 13. & 14. apertè Philosophus ostendit, quantitatem non esse substantiam. & 2. de generat. tex. 62. 6. Physic. tex. 39 5. Metaphy. tex. 18. docet, omnia accidentia esse quanta per accidens, quę essent quanta per se, si daretur illa extensio entitatiua, & de se essent extensa, sicut & quanta per se esset substantia.

Secunda ratio. Si præter extensionem quantitatis in subiecto, substantia, & accidentia à se essent extensa in vno subiecto plures essent extensiones, & quantitates; quod est inconueniens. præterea vel istæ quantitates essent eiusdem speciei, vel diuersæ: non primum, tum quia accidentia absoluta eiusdem speciei non solent in eodem subiecto multiplicari, tum quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; nec dici potest secundum; quia non est intelligibile quomodo longitudo saporis, & coloris secūdum extensionem; & in ratione:

re longitudinis differant specie; ergo in vno subiecto non dantur plures quantitates, sed vna tantum, cuius munus est extendere subiectum, & ea omnia, quæ in subiecto sunt informatiuè.

Tertia ratio. Si in composito essent plures quantitates daretur penetratio; quoniã vna quantitas se penetraret cum alia; cum tamẽ penetratio repugnet; nec dici potest quod solum repugnet penetratio certæ cuiusdam quantitatis; Vnde enim hoc habetur, & quæ est ratio, cur magis repugnet penetratio quantitatis materiæ cum alia quantitate alterius materiæ, quam cum quantitate accidentis, & quam vnius accidentis cum alio?

Pro solutione.

Notãdũ, quod fere qui ponunt extensionem aptitudinalem in ordine ad locum distinctam ab extensione, quam habet subiectum, & substantia in ordine ad se, imaginantur substantiam de se habere quandam extensionem, qua partes ipsius fiunt extra alias partes; & sic volunt quod, si exempli gratia auferretur per diuinam potentiam quantitas à corpore humano, ad huc caput esset extra collum, & collum extra pectus &c. & per hanc extensionem putant substantiam non esse aptam occupare locum, sed se penetrare cum quacumque alia re; vnde volunt aduenire deinde substantiæ aliam quãdam extensionem, per quam habeat non iam extensionem intrinsecam, & in ordine ad se, sed per quam fiat apta occupare locum. Quare triplicem distingunt extensionem, vnam entitatiuam, quam volunt conuenire de se substantiæ materiali ante omnem quantitatem, aliam quantitatiuam, seu situalem aptitudinalem, in qua volunt proprie consistere rationem formalem quantitatis, tertiam localem, seu situalem in actu, quam volunt esse posteriorem extensione quantitatiua, vt vere est. sed hæc habent difficultatem; nam considerandum est; quod frustra ponitur in substantia quãtitas, cuius effectus formalis solum sit facere substantiam aptam occupare locum; nam cum nunquam substantia materialis naturaliter loquendo possit esse in mundo, ita vt non occupet actu locum, frustra in ea ponitur forma, quæ in ipsa nihil aliud faciat, quam dare illi adhuc aptitudinem, & nihil aliud. Præterquã quod illa prior extensio in substantia materiali est impossibilis; Considerandum siquidem est, quod si substantia materialis habet talem intrinsecam quantitatem entitatiuam, hæc erit in illa omnino immutabilis, vt quæ scilicet est cum ipsa identificata, & omnino vnsig at hoc esse non potest; nam si accipiamus aquam in suo naturali statu, hæc occupat certum spatium loci; entitatiua ergo quãtitas, quam de se habet materia aquæ, si illam ponamus, erit illa, quæ est præsens toti illi loco, quem occupat aqua impenetrabiliter per suam quantitatem, non maior, nec minor, qui ergo fieri potest, vt per rarefactionem acquirat substantia aquæ maiorem præsentiam ad locum, & per condensationem minorem? si enim extensio entitatiua est inuariabilis, vt necessario esse debet, si datur; Quia prior est omni accidente, & in isto effectu à nullo alio depẽdet, cum omne aliud censeatur aduenire constituta substantia materiali de se in tali extensione, & hæc ponitur; Quia videtur difficile non præsupponi ad partes quantitatis partes substantiæ, & quod de se substantia non sit præsens toti illi loco, quem occupat impenetrabiliter, per quãtitatem, quomodo deinde hoc concordat cum rarefactióne, & condensatione; per quas variãtur præsẽtia substãtiæ ad locũ, & ipsius extensio? nisi dicere velimus in condensatione substantiam aquæ occupare eundem locum, quem occupabat prius, & cum hoc fit contra sensum, velimus etiam substantiæ aquę aliquas partes stare sine quantitate penetrabiliter cum partibus aeris iam replentis locum, vbi prius erat aqua, quod dicitur omnino gratis, nec consentaneum est rationibus physicis, cum ponatur aliqua pars substantiæ sine omni quantitate naturaliter; præterquam quod consequenter dicere oporter in rarefactione iã fuisse aquã præsentem ante rarefactionem in toto maiore illo loco, quem deinde impenetrabiliter occupat excludendo aerem postea aquã est rarefacta: Quod si forte dicatur substãtiam per illam entitatiuam extensionem non habere præsentiam diuisibilem ad vllum locum, iam ruunt rationes, propter quas talis extensio ponitur, cum ponatur, vt intelligatur præsentia, quam videtur de se habere debere substantia materialis ad spatium quantum, & vt satisfiat imaginationi

tioni in apprehendenda substantia vt subiecto, quod dici debet presupponi, cum non concipiat Imaginatio substantiam, vt præsuppositam quantitati, tanquam subiectum, nisi concipiendo Ipsam iā extensam; dato autem illo hæc omnia ruunt vt clarum est. Quare non debet de se substantia habere vllam entitatiuam extensionē; Vnde vt simul statuamus aliud, quod principale est, & satis clare ostenditur ex rarefactione, & condensatione corporum, maxime simplicium, non habentium intra se cauitates, omnino ex dictis tenendum est quantitatem distinctam esse à substantia, quod docuit Aristoteles locis supra citatis, & cum eo ibidem Auerroes, & pluribus alijs locis vt primo Phys. comm 63 4. phys. cōm. 60. &c. et alij peripatetici & ratio ipsa docet: Quia si acquiritur quantitas rarefactione, & amittitur in condensatione, vt dictum est, & pluribus docemus alibi, sine acquisitione & amissione substantiæ, proculdubio distincta est à substantia; Præterquamquod luci peripateticæ veritati satis luculenter fauet infallibilis fides nostra, quæ docet in Sacrosancta Eucharistia remanere quantitatē, & cœtera accidentia panis, & non remanere panis substantiam Deo sic per suam omnipotentiam operante, quæ potest facere supra quam intelligimus. Præterea quid est, & substantia solo cognoscitur intellectu. 3. de anima Tex 10. quātitas cognoscitur sēsu 2. de anima Tex. 63. & sequenti; Ergo quantitas substantia non est. quare.

Dicendum primo quantitatem realiter distingui à substantia. Patet ex dictis, & Confirmatur. Quia cum substātia producitur fit ens per se, cum producitur quantitas fit ens in alio; ad quantitatem proprie motus est lib. 5. phys. ad substantiam vero motus proprie non est, sed mutatio.

Dicendum secundo rationem formalem quantitatis non consistere in extensione aptitudinali in ordine ad locum, quæ sit distincta realiter ab extensione, quam habet substātia in ordine ad se Patet ex dictis & rationibus secundæ sententiæ. Cōfirmatur quia substantia de se nullam habet extēsionem; Ergo illā recipit à quantitate; ergo & esse aptam occupare locum, ac proinde hæc duo realiter distinctam sunt Antecedens probatur, ex dictis, subiectum cum rarefit, & ex palmari fit bipalmare substantia illa materialis, quæ prius dicebat præsentiam solum ad palmum spatij, iam dicit præsentiam ad duos palmos; ergo ratio cur dicat hanc nouam maiorem præsentiam nō est ipsa entitas substantiæ. Quod & probatur; Quia hic nouus effectus formalis postulat nouam causam formalē; sed entitas subiecti est eadem, & non est acquisita noua, & tamen acquisita est noua presentia; Ergo ratio huius nouæ præsentiæ debet esse quid distinctum ab ipsa entitate subiecti; hæc autem erit extēsio, vel modus illius; Non igitur entitas substantialis, quæ est sub quantitate de se dicit vllam præsentiam circunscriptiuam, & extensam ad spatium, si præscindatur ab ea quantitas, ac proinde à quantitate sola extensionem habet, & aptitudinem ad occupandum locum.

Ad rationes in oppositū pro prima sententia.

Ad primam respondeo dicendum, quod quantitas, & partes quantitatis præsupponunt substantiam materialem, & eius partes, vt optas suscipere quantitatem, & extendi, non vt quantas, & extensas; Quia si essent quantæ & extensæ non susciperent quantitatē; Quare partes substantiæ nō debent pręsupponi partibus quātitatis, vt iam extensæ, & præsentes diuisibiliter, & coextensæ; Quia cōtrariū huius ostēdūt generationes, & rarefactiones; sed vt aptę extēdi, & fieri præsētes diuisibiliter siue actu, siue aptitudine proxima loco p ipsā quātitatē.

Ad Secundam respondeo dicendū, quod eo concesso omnipotenti nō tamen dici potest, quod illa extensio, & coordinatio partium substantiæ fit ab ipsa substantia, sed ab aliquo illi concesso à Deo, quod expleat in eo casu munus quantitatis; nam substantia tūc ex natura rei nō postulat ita manere, sed indiuisibiliter esse in loco.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod quantitas facit extensionē in substantia formaliter; imo fieri extensionem in substantia esse recipi in ipsa quantitatem, vt tale accidens; quod autem dicitur nō posse hoc esse, nisi concipiatur quantitas interiecta inter partes substantiæ illas vniendo, & distinguendo, quod esse non potest, procedit ex falsa imaginatione, cum ille non sit modus recipiendi quantitatem in subiecto, illudq; extendendi; sicut neq; ipsa quantitas ex-

extensa est; quia inter ipsius partes recipiatur aliquid, quod vnā distterminet ab alia, & ipsas vt nexus liget; sed sicut quantitas nec habet vllas actu partes, nec ullas copulas, & nexus ab ipsa quantitate distinctos, vt infra ostendemus, nec etiam habet ipsa substantia: per hoc tamen fit substantia extensa, quod recipit, vt subiectum extensionem, sicut per hoc fit alba, & calida, quod recepit calorem, & albedinē; trāseat quod nos non concipiamus substantiam, vt subiectum quantitatis, nisi etiam aliquo modo ipsam concipiamus quantitam; sed hoc etiam nobis accidit cum concipimus intellectionem recipi in intellectu, & volitionem in voluntate, cum certum sit, nec intellectum, nec voluntatem extensam esse; imo nec animam rationalem apprehendere possumus vt informantem corpus, nisi aliquo modo concipiamus illam extendi, quod verum non est; vnde in hoc casu corrigi debet imaginatio, sicut & in multis alijs.

Art. 4. Vtrum ratio formalis quantitatis consistat in ratione Mensuræ.

PRima sententia affirmatiua videtur esse Aristotelis in prædicamēto quantitatis, & 5. metaphy. cap. de quanto. Pro eadē sententia est S. Tomas opusculo de natura loci, vbi reiectis alijs opinionibus, ita concludit. Ratio quantitatis, quæ competit quantitati secundum quod quantitas est ratio mensuræ. idem docet prima parte quæst. 39. art. 1. secunda sententia negatiua est illorum, qui volunt consistere indiuisibilitate, in extensione &c. Pro qua sunt hæ rationes.

Prima Impossibile est formalem rationē quantitatis ab ea separari siue in re, siue in apprehensione Intellectus; Quia nulla res potest esse, aut intelligi quidditatiue sine his; quæ sunt de sua ratione & essentia; sed ratio mensuræ potest separari à quantitate; Intelligi enim potest quantitas sine ratione mensuræ; cum intelligi possint linea infinita: ergo.

Secunda ratio. cuicunque conuenit ratio quantitatis, illud est quantitas; sed ratio mensuræ conuenit vnitati; Ergo vnitas erit quantitas, quod est falsum; Quia vnitas non est numerus.

Tertia ratio. mensuræ ratio nō præscindit ab intellectu; sed nullo cogitante intellectu quantitas habet suam rationem formalem; ergo ratio mensuræ non est ratio formalis quantitatis.

In contrarium proparte affirmatiua est, Quod passiones, quæ considerantur in quantitate pendent à ratione mensuræ; ergo ratio mensuræ est essentia quantitatis. Patet consequentia; quia passiones nascuntur ab essentia rei. Antecedens probatur; Quia omnes proprietates numerales non demōstantur de numero nisi assumpta determinata mensura; item æqualitas, & inæqualitas linearum, angulorum &c.

Pro solutione.

Notādum, quod duplex est mensura alia actiua, alia passiua; actiua est, qua determinata ad certam magnitudinem vtitur intellectus ad cognoscenda ea, quę sunt ipsi homogenea, passiua mensura dicitur de illis, quæ ipsi mensuræ actiuę respondent, & homogenea sunt, ac ipsi substant. ad rationem ergo mensuræ requiritur, vt sit quid homogeneum cum mensuratis, & subeat aliquā rationem indiuisibilis; Quoniam mensura & mensuratum debēt ad inuicem adæquari, quod esse non potest, nisi mensura sit determinata, ac proinde deducta ad indiuisibile; ipsa enim determinatio dat illi rationē indiuisibilis, cum faciat vt non vlterius extendatur, ac proinde nihil amplius de ea sumi possit; diuisibile autem illud est, à quo sumi possunt per diuisionem partes & partes. hæc cum ita se habeant Considerandum est, quod licet ad constituendam actu mensuram requiratur intellectus, tamē ratio mensuræ non est simpliciter ab intellectu, cum supponat fundamentum adhoc, & capacitatem rei, sicut in rebus supponitur fundamentum ad cōstituendas naturas vniuersales, quæ proinde dici non possunt ens rationis; Intellectus autem vt in quantitate faciat actu rationem mensuræ necesse est, vt procedat à notis, & indiuisibilibus: A notis, quia cumper mensurā manifestari debeat mensuratum, nihil autem notificetur per ignotum, proinde mensura nota esse debet: Ab indiuisibilibus; quia mensura cū

certa

certa & rata non fit, nisi deducta sit ad indiuisibile, præsupponi indiuisibile debet, vt fundamentum & principium ipsius. Considerandum autem vlterius est, quod indiuisibile, quod est principium mensuræ mathematicæ, sicut duplex constituitur quantitas continua & discreta, ita duplex esse debet, & in quantitate quidem discreta indiuisibile quod est principium omnium mensurarum est vnitas, in cõtinua est punctum terminatiuum respectu lineæ, linea respectu superficiei, & superficies respectu profunditatis, & corporis; mensuræ ergo mathematicæ in quantitate discreta fiunt ex vnitate per reduplicationem; Quia ex reduplicatione vnitatis fit primus numerus, & sic deinceps, nec vllus ex numeris alterius est mensura, nisi vt est sub certa determinatione, & habet quandam rationem indiuisibilis, quod habet à sua vltima vnitate. Verum in quantitate continua non fiunt mensuræ per reduplicationem dictorum indiuisibilium, sed assumuntur partes vel per ordinem ad vnitatẽ discreti. v.g. si sit vna figura quadrata hãc sæpe examinant mathematici per ordinem ad quadratum numeri, assignantes in ea partes proportionaliter ad vnitates, quas continet latus vnum ex numero quadrato, vel certe partes assignant ex aliquo sensibili iam noto, ex quo procedunt ad cognoscendum ignotum. Quare non est prorsus eadẽ ratio de puncto in continuo, & de vnitate in numero; ex quo etiam est, vt quæcunque proportiones numerales, & aliæ numeri passiones examinari possint absolute, hoc est non ex suppositione data; sed propositiones geometricæ, vt æqualitas, vel inæqualitas sæpe examinari debeãt ex suppositione datæ alicuius lineæ, vel anguli; in omnibus tamen passio, quæ demonstratur notificatur ex alio prius noto, & hoc ex alio, quousque veniatur ad aliquam primã mensuram notam, vel ex se vt in numero, vel ex suppositione imaginaria, qua ponitur talis linea, vel pars, vel angulus, qui tamen talis nõ est, sine certa aliqua determinatione magnitudinis, quæ determinatio vltimo completur ab indiuisibilibus. Ex quibus patet mathematicos non reddere proprias causas passionum, quas demonstrant. Sed demonstrare certo, & euidenter passiones per causas virtuales; causas autẽ virtuales hic appello mensuras notas, & ratas, per quas substantes principijs vniuersalibus, & euidentibus, dictæ passiones demonstrantur: Quæ cum ita sint essentia quãtitatis prout à mathematica consideratur, sunt partes, vel extensio, vt mensura, & mẽsurabilis, cum hæc sit specialis consideratio sub qua à mathematica consideratur: nec enim mathematici quantitatem considerant, vt extendit substantiam, vt subiectat accidentia, & est principium occupandi locum, & impenetrabiliter coexistendi cum alijs quantis, nec alia huiusmodi considerant, quę abstrahunt à mensura, & sunt physicæ considerationis; sed omnia considerant, vt dictum est. Et quoniam res iuxta varias considerantiones, secundum quas à nobis considerari potest, & secundum quas cõsiderata est, diuersarum passionum principium à nobis cognoscibilium, dici potest habere varias essentias; quoniam essentia rei, vt modo accipitur, nihil aliud est, quam ratio illa intelligibilis, per quam res intelligitur constitui in esse non præcise, sed in esse vt est principium certarum passionum; Quæ ratio intelligibilis in rebus multiplicari potest connotatiue, vt patet inductione in substantia, quæ considerata ad se habet rationem substantię, considerata ad aliam sibi correspondentem substantiam habet rationem relationis, quod idẽ dico de quantitate, & qualitate, vt alibi ostensum est, & de aliqua qualitate, quæ est in diuersis speciebus qualitatis secundum communẽ sententiam, & de loco extrinseco, qui speciale prædicamentum constituit, & tamen etiam spectat ad quantitatem, & de multis alijs, quæ longum esset recensere, ideo.

Dicendum essentiam quantitatis prout consideratur à mathematicis, esse rationẽ mensuræ. Patet ex dictis, & Confirmatur; Quia demonstratio posterior in Geometria dependet à priori; sed hoc non est, nisi quia æqualitas talis lineæ, vel angulus demonstratus, vel aliquid aliud huiusmodi assumitur vt medium ad ostendẽdam passionem posterioris demonstrationis; non potest autem esse medium, nisi vt mensura notificans æqualitatem, vel excessũ siue defectum, aut aliud quid huiusmodi, quod inquiritur; Ergo quantitas in mathematica consideratur sub ratione mensuræ, ac proinde

G 2

inde ratio mensuræ in quantitate actiua ex parte medij termini, passiua ex parte subiecti, & passionum, est ipsius essentia. Pro quo considerandum vlterius quod nec mathematica vti potest meliori principio ad notificandas passiones, quas considerat; nam æqualitatis vnius anguli ad alium angulum fere nunquam reddi potest causa propria à priori. Et ratio est; Quoniam quod verbi Gratia Angulus A. sic æqualis angulo. B. nulla alia est causa, nisi quia Angulus. A est tantæ magnitudinis, & angulus B. tantæ: Quod autem angulus A. & Angulus B. sit tantæ magnitudinis propria causa non est; vnde necessario recurri debet ad extrinsecum, ad aliquã scilicet communẽ mẽsuram, per quam cognoscatur quantitas vtriusque anguli, qua cognita statim habetur, quod quęritur.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod de ratione formali alicuius rei dupliciter loqui possumus, primo vt ab ea est res simpliciter, & absolute, secundo vt ab ea est res secundum peculiarem aliquam rationem; primo modo separari non potest à re, cuius est ratio formalis, & sic ratio formalis substantiæ non potest ab ea separari, secundo modo separari potest, & sic à superficie quantitatis separari potest ratio loci, cum non possit tamen separari ratio talis extensionis. Eodem modo à quãtitate separari non potest ratio talis accidentis; Quia à tali Ratione habet esse simpliciter, potest tamen separari ratio mensurę, à qua habet, quod sit quantitas mathematica; siue principium, per quod passiones mathematice demonstrantur.

Ad Secundam respondeo dicendũ, quod vnitas de se præcise non est mẽsura mathematica, sed tantum principium mensurarũ, soluq; potest esse mensura in numero, vel cum numero. Quare non est proprie quantitas, sed principium quantitatis, sicut non est simpliciter mensura, sed principium mensuræ; Quia non assumitur vnitas, vt æqualis vlli numero, vel inæqualis; sed vt faciens æqualitatem, vel inæqualitatẽ vna cum alijs vnitatibus, vel numeris.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod nec naturæ vniuersales, vt sic siue vt considerabiles inscientia humana præscindunt ab intellectu, nec cæterę essentię in sui formalis precisione; quantitas autẽ nullo cogitante intellectu habet suam rationẽ formalem quoad fundamentũ, non quoad totum id, quod dicit ratio formalis, & essentia; in sua precisione: adde quod quantitas, vt est principium passionum mathematicarũ humana scientia cognoscibilium in mathematica non præscindit ab intellectu, & peculiari modo considerandi ipsius, ac proinde nec essentia quantitatis, vt sic; Quia essentia & primum principium passionum conuertuntur.

Obijcies ratio mensurę supponit rationẽ partium, & extensionem, ergo in hoc consistit essentia quantitatis, non in illa. Respõdeo dicendum, quod loquendo physice, & absolute hoc verũ est; falsum autẽ loquendo mathematice; Quia mathematice non aliter considerantur partes in quantitate quam sub ratione mensuræ. Quare ratio mensuræ est principium essentiale considerationum mathematicarum.

Art. 5. Vtrum ratio formalis quantitatis consistat in extensione substantiæ materialis.

Negant, qui volunt rationem formalẽ quantitatis cõsistere in ratione diuisibilitatis, seu extensionis situalis, quibus fauent rationes supra pro illis factæ.

In contrarium est sententia affirmatiua, quæ videtur esse omnium illorum, qui ponunt naturam quantitatis in eo, quod est quantificare substantiam materialem, siue etiam, qui assignãt rationem formalem quantitatis per rationem partium præscindendo à mensura. Pro hac sententia sunt hæ rationes. Prima ratio formalis accidentis coincidit cum effectu formali ipsius, seu per ipsam fit effectus formalis; sed accidens absolutum qualis est quantitas non potest esse forma, siue actus per ordinem ad extrinsecum, sed ad ipsum subiectum; ergo ratio formalis quantitatis consistit in extẽdendo subiectum, non autem in faciendo ipsum situabile &c.

Secunda ratio. esse situabile oritur ex eo, quod subiectum extensum est, non extensione substantiæ, quam supra ostendimus

de se substantiam non habere; ergo extensione quantitatis; Ergo in extensione consistit ratio quantitatis.

Pro solutione.

Notandum, quod quantitas cum sit accidens, eius ratio formalis præsertim Physice, & metaphysice loquendo, consistere debet in effectu formali, quem facit communicando se ipsam substantiæ; Quoniam esse accidentis est inesse; vnde esse talis accidentis est tali modo inesse. Igitur Considerandũ est, quod modus inexistendi quantitatis in subiecto est ipsum quantificare, & extendere. neque enim prius quidquam assignari potest, quod faciat quantitas in substantia; nam dare illi existere in loco quantitatiue & extense, sequitur ad hoc quod faciat ipsam quantam, & extẽsam; sequitur etiam dare illi impenetrabilitatem, & omnia alia; Vnde primum quod facit quantitas in substantia est ipsam quantificare, quod explicari solet per dare partes extra partes. Nam quia substantia de se nullam habet extensionem, vt dictum est; ideo concipi debet, vt nullam habens diuisibilẽ præsentiam ad locum, ac proinde concipienda est tota entitas substantiæ, vt quasi in puncto indiuisibili, cui si adueniat quantitas extrahit quasi partes, quæ in illa entitate per ordinem ad ipsam quantitatem assignabiles sunt, & facit vnam extra aliam, atque adeo dat, vt possint correspondere partibus loci; in hoc ergo consistit ratio formalis quantitatis, ac proinde.

Dicendum rationem formalem quantitatis absolute consistere in hoc, quod quãtificet, & extendat substantiam, siue etiam quod faciat in ea partes extra partes, intelligendo de partibus potentia non de partibus actu. Conclusio patet ex dictis, & Confirmatur ex proprietatibus, quæ quantitati assignãtur, quæ ab extensione procedunt, vt à prima radice; nam subiectum esse æquale, vel inequale, ex eo procedit, quod subiectum tantam habet extensionem, quod idem dicitur de reliquis.

Art. 6. Vtrum duæ primæ species quantitatis sint continuum, & discretum.

Prima sententia affirmatiua est Aristotelis tam in prædicamentis cap. de quãtitate, quam 5. metaphy. cap. 13. Tex. 18 & alibi, quam secuti sunt peripatetici communiter, & scholastici S. Tho. 5. metaphy. lect. 15 7. metaphy. lect. vlt. Scotus 5. metaphy. quæst. 9. & alij.

Secunda sententia, quæ negat Prædicamentum quantitatis prima sui diuisione diuidi vt in primas duas species in continuũ, & discretum est nonnullorum maxime iuniorum, qui putant numerum esse merum ens rationis, & quid fictitium per mentem. Pro hac sententia sunt hæ rationes.

Prima Quantitas discreta siue numerus non est ens per se, sed ea, quæ ponuntur in prædicamento debent esse ens per se ex dictis in logica; ergo numerus non potest poni in prædicamento, nec esse species proxima sub quantitate.

Secunda ratio. ex demonstratis ratio quantitatis consistit in hoc, quod vt accidẽs adueniat substantiæ, & illam intrinsece afficiat, atque extendat; sed numerus est sola collectio vnitatum, quæ non est propriæ vna extensio, cum non addat quidquã reale supra res vnas, nec illas afficiat, vt forma aliqua realis physica distincta à quantitate cõtinua; Ergo nõ potest vniuoce conuenire in ratione extensionis cum quantitate continua, quæ vere accidens est Physicum, & substantias materiales physice informat.

Tertia ratio. numerus in sono est vere numerus, cũ de eo detur scientia nimirum musica, quæ subalternatur Arithmeticæ; sed numerus in sono non est aliqua propria quantitatiua extensio; nam cum sonus non sit proprie quantus, multo minus proprie quantus erit numerus, qui in eo fundatur; si enim non participat propriam rationẽ extẽsionis numerus sonorus in ratione sui materialis, puta soni, multo minus participabit id, quod addit formaliter supra sonum, nimirum ratio talis collectionis, siue sonoritatis.

In contrarium pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima numerus constituit veram speciem scientiarum mathematicarum nimirũ Arithmeticam; Ergo est vera species quantitatis; sed sub quãtitate in communi nulla est species numero prior, sub qua numerus collocari possit; ergo numerus siue discretum cum cõtinuo sunt duæ primæ species quantitatis.

Secunda ratio. discretum, siue numerus participat multas passiones ex illis, quæ reperiuntur in continuo, vt esse æquale, vel inæquale &c. ergo vtrique quantitati dari debet aliquis proximus gradus, ex quo tales manent proprietates; Hic non potest esse nisi quãtitas in communi; Ergo proximæ species quantitatis sunt continuum, & discretum.

Pro solutione.

Notandum, quod numerus alius dicitur numerus numeratus, alius numerans, numerus numerans nihil aliud est, quam actus intellectus, quo plures vnitates colliguntur, & ordinãtur inter se ad constituendam vnam rationem numeri: numerus numeratus est ipsa collectio vnitatum in vna ratione numeri; quando ergo quæritur sitne numerus vna species quantitatis, quæ cũ cõtinuo proxime ponatur sub supremo genere, quod est quantitas, non est sermo de ipso actu intellectus, & numero numerante; sed de numero numerato, siue de ipsa ratione numeri. Pro quo considerandum est, quod multum refert ad decisionẽ quæstionis videre, quæ sit ratio formalis quantitatis, vt constituit prædicamentum; & quoniam diximus rationem formalẽ quantitatis mathematice esse rationem mensuræ, Physice esse extensionem, siue quantificationem substantiæ considerari debet, quod si prædicamentum constituatur per rationem formalem extensionis, numerus non potest esse propria species quantitatis, quod ostendunt rationes factæ pro secunda sententia; neque enim numerus est aliquod accidens physicum à continuo distinctum, quod recipiatur in substantia ipsam extendendo, & quantificando; sed accidens potius est metaphysicum, & habet extensionem quandam impropriam, quatenus partes ipsius faciunt quodammodo molem, & extensionem, quod est ad summum esse extensionem analogicè; Vnde in hac ratione cum continuo non potest magis conuenire, quam analogice, Verum si prædicamentum constituatur per rationem partiũ, vt sunt mensuræ, siue per rationem mensuræ, vt videtur constituisse Aristoteles, tunc considerandum est, quod ipsa ratio mensuræ non minus conuenit numero, quam continuo, imo in continuo fere assignantur partes per ordinem ad numerum; vnde est, vt multæ figuræ continui examinentur à mathematicis per numeros; numeri autem non examinentur per continuum; debet ergo ratio mensuræ, & partium abstrahi à numero, atque à continuo, cum si specifice spectetur numerus magis adhuc ipsi conueniat talis ratio, quam continuo; & ex alia parte vere continuo conueniat, vt proinde ex numero, & continuo abstracta ratio cõmunis constituere possit primum genus prædicamenti; quod est quantitas, ex quo est æqualitas, & inæqualitas, & multæ aliæ proprietates, quæ specifice considerantur secundum diuersos specificos gradus, ad quos contractæ consequuntur, quæ & in Geometria, & Arithmetica demonstrantur. Quare.

Dicendum quantitatis spectatæ sub ratione mensuræ mathematicę primas species esse continuum, & discretum, siue numerũ patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur; Quia in vnaquaque quantitate assignatur totum, partes, dimidium, & alia huiusmodi, quæ ex ratione mensuræ nascuntur, dico nascuntur ex ratione mensuræ intelligendo quoad nos; Quia quod vna linea, vel numerus cognoscatur à nobis æqualis alteri, vel maior, vel minor &c. non est nisi ex aliqua mensura assumpta. Nam quod duo latera alicuius trianguli sint æqualia, non habet causam proprie distinctam à tali magnitudine ipsorum laterum; æqualia enim sunt; Quia vtraque sunt tantæ magnitudinis; quoad nos autẽ & intelligibiliter fere sunt æqualia; Quia eodem modo se habent ad communem mensuram iuxta mathematicum pronunciatum. Quæ æqualibus sunt æqualia ad inuicem sunt æqualia. Confirmatur vlterius conclusio ex Philosopho 4. metaphy. Tex. 5 dicente. nam & quẽadmodum numeri prout numerus est, proprie passiones sunt, vt imparitas, paritas, commensuratio, æqualitas, excessus, defectus, & hæc

tum absolutis, tum mutuò relatis in sunt numeris; similiter solido & immobili, & mobili, & leui, & graui aliqua propria sūt, ita & enti prout ens est &c. ex quibus sic probatur conclusio, ex Aristotele numerus ex natura rei habet proprias passiones quātitatiuas reales, idest quæ identificantur cū aliquo reali, & non fictitias, & hoc tam clarum est per ipsum, vt certius sit de passionibus numeri, quam de passionibus entis, cum per passiones numeri philosophus manifestet passiones entis; sed huiusmodi passiones quantitatiuæ non possunt conuenire numero nisi participet rationem quantitatis; Ergo participat; non participat autem extendendo substantiam, vt accidens physicum, vt certum est; ergo eam participabit vt dicit totum & partes mensurabiles. Et his addi potest alius locus ex philosopho primo posteriorum Tex. 63. vbi hæc habet. Figuratum autem faciens sciçe maxime prima est; Etenim mathematicæ sciētiæ per hanc demonstrationes faciunt, vt Arithmetica, Geometria, & perspectiua; non potest autem demonstrare Arithmeca, sicut illæ, nisi numerus, de quo demonstrat, habeat aliquam veram rationem quātitatis; Ergo.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod numerus Physice non est ens per se vnum, sed multa entia, metaphysice autem, & ratione intelligibili siue essentia vnum est; Quoniam vniuscuiusque numeri ex natura rei est vna ratio determinata, quæ est principium certarum passionum, & hoc non perfictionem; sed sicut dictum est ex natura rei, vt proinde numerus vere sit vnum per se ens in ratione essentiæ, cuius vnitas consistit in integritate indiuisa determinatæ collectionis. Non enim numerus est vnum ens in ratione simplicis entitatis, sed in ratione simplicis formalitatis. Atque sicut physice loquendo multa conspirant ad faciendum vnum per hoc solum, quod ad inuicem ordinata sunt, & aliqua eorū sunt vt actus, aliqua vt potentia, vt certum est in omnibus physicis compositis, & maxime in animalibus positis in eis formis partialibus carnis, nerui, ossis. &c. Sic multo magis loquendo mathematice, & metaphysice multa sub certa ratione intelligibili concurrere possunt in vnam essentiam, quod a posteriori cognoscitur ex passionibus de ea demonstratis à priori; Quia inter illa multa ex natura rei aliqua se habent vt potentia, alia vt actus, quod perspicuum erit in numero, si quis illum comparet cum aceruo, qui procul dubio est ens per accidens. Nam ad constituendum aceruū non requiruntur determinatæ vnitates; tam enim erit aceruus lapidum si sint centum vnitates; siue lapides, quam si sint decem, vel viginti; sed non erit centenarius si sint nonaginta nouem vnitates, & qui ex centum vnitatibus vel vnam detrahat, semper destruet centenarium.

Et hæc ad primā rationem, reliquæ procedunt de ratione formali quantitatis vt est extensio, & quantificatio accidentalis substantiæ, ac proinde non sunt contra conclusionem.

Oppones ratio mēsuræ supponit pro fundamento in quantitate rationē extensionis; Ergo si numerus formaliter & vniuoce cōuenit cum continuo in ratione mensuræ, conueniet etiam in ratione extensionis.

Respondeo dicendum, quod ipsa extensio eatenus est fundamentum ad Rationem mensuræ, quatenus fundat rationem partium; ad partes autem, & totum eum non fit necessaria extensio nisi præsuppositiue, numerus proinde conuenire poterit vniuoce cum continuo in ratione mensuræ, etiam si non conueniat vniuoce in extensione, nec dicat extensionem distinctam ab extensione continui.

Art. 7. Vtrum omnis numerus sit species Quantitatis.

PRo sententia affirmatiua est Arimin. in 1. dis. 24. art. 1 Auteol. eadem distinct. Ricar. dis. 10. & 24. & eadem dist. 24. Ocā & Gab. Auicen. apud Auerr. 4. met. com 3. & 10. met. com in 8 Quæ etiam videtur fuisse sententia Pythagoræ, & Plat. vt significat S. Thomas. 1. parte quæ. 11. art. 1. ad primum.

Contraria sententia negatiua est eiusdē S. Tho. 1. par. q 3. art. 3. q. 11. Art. 1. & 2. quæ. 30 art. 3 & alibi Duran. dis. 22. quæ. 2. Capreoli Heruæi & aliorum.

Pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima Quantitatis discretæ ratio in

in eo consistit, plures vnitates sint non solũ ad inuicem distinctæ, sed separatæ, seu non continuæ; sed hoc habet etiam multitudo rerum spiritualium; Ergo multitudo quarum cunque rerum est vera species quantitatis, & verus numerus.

Secunda ratio. Numerus nihil est aliud, quam vnitates numerabiles ab intellectu; sed multitudo in rebus spiritualibus importat plures vnitates numerabiles ab intellectu; Ergo est vere numerus.

Tertia ratio. non minus est ternarius numerus constans ex tribus Angelis, quam qui constat ex tribus corporibus, nec minus quaternarius, qui constat ex quatuor animabus, quam qui constat ex quatuor lapidibus &c. nam eędem passiones, quæ demonstrantur de quaternario lapidum demonstrari possunt de quaternario animarũ; vbi autem eędem sunt passiones, eadem est essentia; Ergo.

In contrarium pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima ex Aristotele 3. phys. Tex 41. At vero nec numerus hic est vt separatus, & infinitus; idest non est separatus à materia, & quanto, & Tex. 68. Numerus est vna plura, & quanta quædam. Primo metaphy. Tex. 38. arguens contra Platonem ponentem numerum in ideis, ait, Necesse erit aliud quoddam numeri genus ponere, circa quod Arithmetica. Ex quo loco sic licet argumentari. Arithmetica solum considerat numerum in materialibus, & quantis continuis &c. Sed Arithmetica considerat numerum, qui est species quantitatis; Ergo numerus, qui est in alijs rebus à materialibus & quantis, non est species quantitatis. Confirmatur ex secundo loco. Numerus est quanta res quædam, res spirituales non sunt quantę; ergo res spirituales non constituunt numerum, qui sit species quantitatis.

Secunda ratio. Vnitates specificæ, & genericæ comitantur sua genera & species; Ergo reductiue pertinent ad prædicamenta suorum generum, & specierum; ergo & numerus ex illis conflatus; ac proinde, & numerus rerum spiritualium.

Tertia ratio. Quantitas non abstrahit à materia re & ratione; sed numerus in rebus spiritualibus abstrahit à materia re & rõe; Ergo non est propria species quantitatis.

Pro solutione.

Notandum, quod numerus, qui est species quãtitatis, participat, sicut dictum est, rationem quanti mathematici, quæ consistit in mensura; vnde debet habere rationẽ partium dicentium rationem mensuræ, cũ per partes quanta mensurentur; ei debet cõuenire æqualitas, & inæqualitas, totum, dimidium &c. quæ non conueniunt multitudini rerum spiritualium, nam considerandũ est, quod ratio totius, & partis prout habẽt quandam latitudinem, & constituũt varias figuras, & sunt considerabiles per mensuras, propria est quantitatis, quę cum homogenea sit, potest conspirare in vnum, cumq; habeat latitudinem, varias figuras causare potest; Verum res spirituales nec proprie habent rationem partium, nec totius, nec æqualis, nec inæqualis, nec per mensuram considerabiles à nobis sunt, cum mensura & rata, & homegenea esse debeat, & cadere sub humanam imaginationem; res vero spirituales sint ignotæ, nec conspirent ad vllam figuram constituendam; Vnde in multitudine spirituum non est quadratum nec triangulus, nec alia huiusmodi, quæ in numeris mathematica considerat. Verũ quidem est, quod in multitudine rerum spiritualium aliquomodo fingere possumus ea, quæ sunt in numero quantitatiuo; sed hoc non efficit, vt talis multitudo sit proprie numerus, qui est species quãtitatis; Etenim secundo considerare oportet, quod sicut cętera physica à metaphysicis distinguũtur, etiamsi, & in illis, & in his sit ratio actus, & potentiæ, & alia huiusmodi, quę habent ad inuicem similitudinem aliquam, & analogiam; vnde etiam aliqui arri puerũt occasionem existimandi vnam esse scientiam physicam & metaphysicam; & sane negari non potest, quod ad probanda physica non accipiamus aliquando media metaphysica; nec tamen proinde repudiatur inter res physicas & metaphisicas à peripateticis cõstituta distinctio; ita in proposito, & si inter numerum mathematicũ, siue quantitatiuũ, & inter numerum, dicere possumus; metaphy. similitudo aliqua est, & analogia; tamen quia hæc similitudo non est in eadem abstractione, & intelligibilitate, nec eadẽ ratio mensuræ mathematicæ potest vtriusque conuenire numeris, ideo.

Dicendum si proprie, & cum rigore loqui

ubi volumus non esse quemcumq; numerũ speciem quantitatis. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ Confirmatur; Quia non omnis vnitas pertinet ad quantitatem, cum hæc in vniuersum accepta sit passio Entis, Et altioris abstractionis; Ergo neque quæcunque multitudo est numerus quantitatiuus. Præterea si quæcumque multitudo esset species quantitatis, & numerus proprie dictus, multitudo specierum substantialium, quę est in prædicamento substantiæ, Er multitudo specierum qualitatis eriam essent in prædicamento quantitatis, & illius species, & sic vnitas non esset transcendens.

Ad rationes in contrarium. Ad primam respondeo dicẽdum, quod falsa est maior; Quia ad numerum requiruntur tales vnitates, non autem quæcumque vnitas. Nam ratio quantitatis discretæ consistit in habendo ex natura rei rationem partium mensurabilium ab hominibus, quæ ad inuicem habeant æqualitatem, vel inæqualitatem, Et alia huiusmodi, quæ proprie conuenire non possunt nisi multitudini conflatæ ex vnitatibus quantitatiuis, & quæ de se cadunt sub Imaginatione humana.

Ad secundam respondeo dicẽdum, quod numerus importat tales vnitates, sicut dictum est, ex quibus compositis existere possint mathematicæ figuræ, & passiones, quæ vt certum est non emanant ex quacumque compositione vnitatum.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod ternatius, quo constituitur, & mensuratur triangulus, & qui alia huiusmodi habet ad mathematicam spectantia, non est nisi quantorum; Vnde quando dicitur, quod non minus est ternarius &c. si sermo sit de ternario quanto, & a Mathematica considerato falsum est, quod sit tam ternarius angelorum, quam lapidum; si vero sermo sit de quadam analoga ratione ternarij, qua intelligibiliter accipitur conflatum ex tribus, quæcumque illa sint, tam est ternarius Angelorum, quam hominum & lapidum, sed hoc non est contra Conclusionem. quare ad Confirmationem falsum est, quod eædem passiones conueniant numero proprie dicto, & cuicumque multitudini; nam duplum, simplum etc. non dicuntur proprie de multitudine rerum spiritualium nisi abusiuè; & per metaphoram.

Opponẽs S. Aug. lib. 2. de libero arbitrio c. 16. significat numerum esse intelligibile quidpiam, & in cunctis rebus inueniri. Respondeo dicẽdum, quod Aug. loquitur ibi de numero vt est in cunctis rebus harmonia quædam, symmetria, & correspondentia, q̃ facit in illis venustatem, de qua videtur dictum sapientiæ 11. Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti. Vult enim ibi S. Doctor sine isto numero nihil esse, & in rebus delectet, quod ne arrideat intellectui.

Art. 8. Vtrum sint tres species quantitatis continuæ Linea, superficies, & corpus.

Communis peripateticorum sententia est tres esse species quãtitatis cõtinuę. In contrarium tamen pro parte negatiua sunt hæ rationes. Prima Dimensio secundũ longitudinem, latitudinem, & profunditatem pertinet ad essentiã corporis; Ergo est vna tantum species. Probatur Antecedens quoniam in definitione corporis tanquam differentia tres illę dimensiones designantur; dicimus enim corpus quantitatiuũ esse quantitatem cõtinuam diuisibilem, vel extensam secundum trinam dimensionem; Ergo omnes tres dimensiones vnam solum adæquatam essentiam corporis constituunt, ac proinde vna sola est species.

Secunda Ratio. Differentia diuisiua generis, & constitutiua speciei non potest esse negatio; Quia vt forma metaphysica cõponit cum genere nouam a genere essentiã; sed inter lineam, superficiem, & corpus nulla est differentia positiua, sed solum negatio: Nam linea distinguitur a superficie per negationem latitudinis, latitudo distinguitur a corpore per negationẽ profunditatis; Cum ergo res omnes per illud constituantur, per quod distinguntur, linea in esse lineę, & superficies in esse superficiei cõstituentur per negationes; sed ex dictis nullius speciei realis differentia cõstitutiua potest esse negatio: Non sunt igitur Linea, superficies, & corpus tres species quantitatis.

Tertia Ratio. Omne accidens reale habet subiectum inhæsionis sibi adæquatum; sed linea, & superficies nullum habent

habent subiectum; Ergo non sunt accidentia realia, sed meræ negationes dimensionis.

Pro parte affirmatiua contraria sunt hæ rationes.

Prima. illæ sunt species distinctæ, quæ sub eodem genere dicunt diuersam rationem essentialem; sed sub quantitate continua talia sūt linea, superficies, & corpus; Ergo sūt tres species distinctæ quantitatis: Maior patet; minor probatur. Nam linea dicit diuersam rationem formalem extensionis à superficie, & superficies à corpore; Ergo linea, superficies, & corpus sub quantitate continua dicunt tres distinctas species.

Secunda ratio. diuersæ sunt proprietates, quæ consequūtur naturā lineæ ab illis, quæ consequuntur naturam superficiei, & quæ consequuntur naturā superficiei ab ijs, quæ sequuntur naturam corporis; sed vbi sunt diuersæ proprietates, sunt diuersæ essentiæ; Ergo diuersa est essentia lineæ ab essentia superficiei, & huius ab essentia corporis: Ergo sunt tres distinctæ species. maior probatur ex diuersis partibus Geometriæ, quarum aliæ considerant lineas, & Eius proprietates, aliæ considerant corpora; patet etiam ex perspectiua, quæ considerat lineas in visu, & ex multis proprietatibus, quæ in dictis scientijs de linea, non autem de superficie, & corpore demonstrantur. Minor etiā manifesta est; nam proprietates consequuntur Essentiam, vnde diuersę proprietates ad diuersam essentiam consequi natæ sunt, nisi vna fundet aliam.

Tertia ratio Linea dicit diuersam diuisibilitatem à superficie, superficies à corpore diuersam etiam rationem mensuræ; diuersam æqualitatem etiam; Ergo & essentiam diuersam, atque adeo diuersam speciem. Consequentia patet. Antecedens probatur; Quia linea dicit diuisibilitatem secundum longitudinem, superficies secundum latitudinem, Corpus secundum profunditatem: Ergo,

Pro solutione.

Notandum, quod ad distinctionem specificam non est necessaria distinctio realis, vt alibi dictum est; sed sufficit distinctio formalis, quod ex eo Euidens est: Quia si hoc sufficit ad distinguenda duo prædicamenta, multo magis sufficiet ad distinguendas duas species in eodem prædicamento; Linea ergo, superficies, & Corpus realiter dicunt eandem Entitatem, cum nulla sit linea, nec etiam esse possit quæ lata, & profunda non sit; Vnde admonet S. Augustinus de quantitate animæ cap. 11. Cauendum nobis esse ne cogitemus aliquam longitudinem, quæ nullam adhuc latitudinem assumpserit; attamen non sunt idem formaliter, cū formaliter dicant diuersas rationes extensionis, linea dicat longitudinem, superficies dicat latitudinem, Corpus dicat in suo formali profunditatem: nam aduerti debet, quod licet corpus dicat omnes tres dimensiones, & superficies duas longitudinem & latitudinem; tamen non æque primo illas dicunt; sed aliquas dicunt quasi materialiter, & præsuppositiuè: sic superficies dicit longitudinem, & Corpus longitudinem, & latitudinem; cum tamen formaliter, & secundum suam propriam rationem, & tanquam suum vltimatum constitutiuum, & distinctiuum superficies dicat latitudinem, & corpus profunditatem, propter quod & ad inuicem essentialiter distinguntur. Illud tamen vlterius de linea, & superficie aduertendum est, quod aliud est illas considerare, quatenus dicunt talem rationē extensionis; aliud quatenus habent solū rationē terminandi quantū, linea quidem superficiem, superficies vero corpus; Linea superficiē terminat, quatenus habet negationem vlterioris extensionis, sicut & superficies profunditatem corporis; vnde talis ratio indiuisibilis est ipsis; acceptis vt terminis, formale significatum; talis vero ratio extensionis reperitur tunc in eis solum materialiter, quę e contrario formalis in illis est, quatenus quædam sunt species quantitatis. Quare

Dicendum tres esse species quantitatis continuæ lineam, superficiem, & Corpus. Patet ex dictis, & rationibus primæ sententiæ. Confirmatur Quia concipimus lineam, vt distinctam à superficie, superficiē à profunditate, & cum illas ita cōcipimus obiectiue in mente nostra habent diuersas rationes formales, Et quæ dicimus de vna cum veritate, non possumus dicere de alia: neque quæ de vna demonstrantur demonstrare licet de alia; Ergo inter se formaliter distinguntur, atque adeo specie; quæ tamen omnes, cum dicant rationem extensionis continuæ, species erūt cōtinuæ quantitatis.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod illæ tres dimensiones pertinent quidem ad essentiam corporis, sed aliæ quasi materialiter, sicut dictum est, & præsuppositiue, profunditas autem formaliter; vnde formaliter corpus ab alijs dimensionibus per profunditatem distinguitur.

Ad secundam patet ex dictis vnamquamque dimensionem habere suam propriam rationem formalem positiuam, per quam distinguitur.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod accidens reale, acceptum pro prædicato accidentali reali, non necessario habet subiectum distinctum, & sibi adæquatum à subiecto prædicati accidentalis realis, cum quo identificatur, licet tam hoc, quam illud habeat aliquod subiectum reale, quod tamen adæquate idem est.

Oppones. dantur aliæ species quantitatis nimirū locus, tempus, motus, oratio; Ergo male tres tātum species quantitatis assignatæ sunt. Respōdeo dicendum, quod locus, quatenus est quantitas, non est distinctus à superficie: tempus proprie quantum non est, sed habet suum peculiare prędicamentum; motus, quantus est solum ratione subiecti, vel spacij, vel termini: Nam latitudo illa partium, quam dicit motus in sua successione, vt sic, proprie quantitas non est, cum non sit vera extensio subiecti, solum ad quantitatem reduci potest mathematice considetatus, & sub ratione mensuræ; sicut & oratio ad numerum.

QVAESTIO SECVNDA

De Indiuisibilibus, & partibus Quantitatis,

INuenta propria ratione formali quantitatis, Eiusque speciebus, tum vt mathematice, tum vt physice considerari debet, quærere oportet de terminis ipsius, qui esse dicūtur indiuisibilia, & de partibus, quibus omnis quantitas constitui humano more intelligitur.

Art. 1. Vtrum in Continuo dentur Indiuisibilia.

PRo sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima. Omnia quæ sunt in quantitate ipsam constituentia sunt quantitas; Ergo in quantitate nullum est indiuisibile. Probatur consequentia; Quia quantitas essentialiter est diuisibilis, ita vt diuisibilitas ex ea nascatur, tanquam propria passio; Ergo nihil quantitatis est indiuisibile: patet consequentia; nam nisi dicere velimus quantitati conuenire opposita, in quantitate non sunt indiuisibilia; sed iam probatur Antecedens primi Enthimematis. Quantitas est res homogenea; sed nisi ea, quibus ipsa constat, essent quantitas, nō esset homogenea; Ergo omnia, quæ sunt in quantitate ipsam constituentia, sunt quantitas.

Secunda ratio. nulli enti potest aduenire ratio destructiua essentiæ ipsius; sed si quantitati demus indiuisibilia hoc eueniet; Ergo in quantitate nulla sunt indiuisibilia. Maior probatur; Quia ratio destructiua essentiæ alicuius destruit ipsum; non igitur cum eo se compari potest. Probatur Minor. ratio indiuisibilis destruit rationem diuisibilis; sed quantitas est diuisibilis; Ergo si illi demus rationem indiuisibilis, hæc destruet priorem.

Tertia ratio. si dantur indiuisibilia in cōtinuo, vel hæc sunt continuatiua, vel terminatiua; neutrum dici potest; ergo in continuo nulla sunt indiuisibilia. Maior patet; Quoniam omne indiuisibile, quod assignant Philosophi ad alterum ex illis duobus mēbris pertinet; nam vel terminat continuum, & sic est indiuisibile terminatiuum; vel connectit partes continui, & sic est indiuisibile continuatiuū. Minor probatur de indiuisibilibus continuatiuis; si hæc darentur continuum non esset continuum, sed discretum; Quoniā omnes partes Eius essent actu distinctæ. præterea in ipso essent infinita indiuisibilia, & infinitæ partes, & infinities infinitæ, quæ dici non possunt sine magna absurditate. Probatur Eadem minor de indiuisibilibus terminatiuis; si hæc dantur hæc maximæ Erunt Linea, superficies, & punctum; Aliud enim indiuisibile non as-

signatur; sed non datur superficies; nam superficies est latitudo sine omni profunditate; nulla autem est huiusmodi latitudo in mundo, nec esse potest. Non datur linea propter similem causam; nam omnis longitudo habet aliquam latitudinem, & profunditatem; Linea autem dicitur esse lōgitudo sine latitudine, & profunditate. Preterea nulla est longitudo, quę non copulet aliquam latitudinē cum alia, ac proinde nulla est longitudo expers omnis latitudinis.

Quod autem non detur punctum multo magis sic ostenditur. punctum dicit negationem omnis extensionis, secundum scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, ergo punctum est mera negatio quantitatis; Quia omnis quantitas continua tribus illis speciebus continetur; sed impossibile est in quantitate reperiri talem negationem ipsius; Ergo nullum datur punctum terminatiuum, ac proinde nulla sunt huiusmodi indiuisibilia.

In contrarium pro parte affirmatiua, quæ est communis peripateticorum sententia, sunt hę rationes. Prima ex ipsa definitione continui; Nam continuum est illud, cuius partes termino communi copulantur inter se; sed hic terminus non potest esse aliquid diuisibile; Quia iam haberet partes, quæ etiam termino communi copularentur; vnde iā quæreremus de illarum termino, & sic in infinitum; Ergo erit aliquid indiuisibile; dantur ergo indiuisibilia.

Secunda ratio. Quando duo plana se tangunt non se tangunt secundum profunditatem; quoniā se penetrarent; ergo solum se tangunt secundum superficias, ac proinde secundum indiuisibile; dantur ergo indiuisibilia; Et hoc ipsum ostenditur cum illuminatur aliquod corpus opacum: nam cum illuminari non possit secundum profunditatem; Quia opacum secundum profunditatem non est capax illuminationis, debet illuminari tantum secundum superficiem, atque adeo lumen producetur in aliquo indiuisibili carente omni profunditate.

Tertia ratio corpus perfecte sphęricum tāgit planū in pūcto, sicut & cylindr⁹, qui est acuminata columna; sed non tangeret, si nō esset; Ergo vere in continuo est punctū; hoc est indiuisibile; Ergo dantur indiuisibilia.

Pro solutione.

Notandum, quod de indiuisibilibus quātitatiuis duobus nodis, quantum facit ad prepositum, potest esse quæstio: primum quidem vtrum dentur indiuisibilia, quę sint res aliquæ distinctæ ab ipsa quantitate continui, & de hoc quæremus postea; secundo vtrum dentur in continuo secundum suam rationem formalem, siue deinde idem re sint cum ipso continuo, siue non; & in hoc sensu nunc tractatur hec quęstio, quæ vt decidatur considerandum est, quod loquendo de indiuisibilibus terminatiuis, ea dari cōuincit quidditas ipsa quantitatis naturalis; Cum enim omne quantum, quod est in natura sit finitum, necesse est, quod secundum triplicem dimensionem finiatur, ac proinde, quod in eo dentur indiuisibilia. nam finiri debet secundum longitudinem; Quoniam non infinite in longum protenditur; Ergo in eo assignari debet aliquis terminus, per quem vt sic finiatur, hic autem esse non potest nisi punctum; nam dicere negationem vlterioris extensionis secundum longitudinem, ac proinde non esse vlterius secundum illam diuisibile proprium est pūcti, quod in suo formali dicit negationem quidem omnis extensionis, sed primario, & quasi in recto dicit negationem extensionis secundum longitudinem, cum alias duas negationes quasi præsupponat ex linea, & superficie. Finiri debet vlterius quantum secundum latitudinem, cum nullum sit infinite latū; sed terminus latitudinis vt sic est linea, quæ in suo formali dicit cum longitudine negationem omnis latitudinis: dabitur ergo & aliud indiuisibile, quod dicitur Linea: præterea cum omne quantū adhuc finitum sit secundum profunditatem; Quoniam si infinite profundum esset, simul esset infinitæ longitudinis, & latitudinis, vnde & simpliciter secundum omnem dimensionem esset infinitum; Quia in infinita profunditate necessario includitur infinita longitudo, & latitudo; ideo dabitur aliud indiuisibile, quod dicitur superficies; Quoniā esse indiuisibile secūdum profunditatem, ac proinde secundum eam non vlterius extendi proprium est superficiei, quæ formaliter est latitudo siue profunditate. Quare formaliter loquendo.

Dicendum est dari in continuo indiuisibilia nimirum punctum, lineam, & superficiem. Patet ex dictis, & rationibus partis affirmatiuę. Nam quod aliqui respondeant

ftent ad illam tertiam rationem petitam à mathematica sphæram tangere in parte diuisibili, vel non tangere immediate, sed semper mediate aliquid diuisibile, in quo fiat tactus videtur dictum ad vitandam difficultatem. Nam cum sermo sit de eo præcise, quod in plano ita respondet tactui sphæræ, vt se æquent, & sint immediata ad inuicem, certum est illud vt sic non posse esse aliquid diuisibile; secus enim curuum mensuraretur recto, quod est impossibile, & Mathematicæ demonstrationes de hoc essent falsæ, quibus magis standum est, quã huius, vel illius dicto.

Quod autem necessario non sit contactus mediatus ex eo patet; Quia si per diuinam omnipotentiam in aliquo loco aeris fiat vacuum, & ponatur ibi sphæra grauis super planum necessario debet illa inniti plano, nisi velimus eam sine fulcro stare pendulam in loco aeris, & non niti deorsũ; in hoc autem casu contactus proculdubio fiet in puncto.

Ad rationes in oppositum. Ad primam respondeo dicendum, quod licet ea, quæ sunt in quantitate ipsam constituentia sint quantitas; tamen adhuc in quantitate necesse est aliquo pacto dari indiuisibile; nã quantitas etiamsi diuisibilis sit, tamen secundum quod non vlterius extenditur, non est diuisibilis; vnde cum hoc, quod si diuisibilis, optime stat, quod secundum quid sit indiuisibilis, secundum nimirum suas extremitates non vlterius extensas. Quare in forma negatur consequentia, & ad probationem dicendum quantitatis esse proprium esse diuisibilem, sed non secundum suas extremitates non vlterius extensas; sed secundum has proprium eius esse indiuisibilem esse; atque adeo quantitas simpliciter & categorematice est diuisibilis, secundum quid, & syncategorematice est indiuisibilis; sicut homo simpliciter est risibilis, secundum quid non est risibilis, vt puta secundum quod animal est, & secundum quod habet pedes, & ex his patet.

Ad secundam rationem, neque enim si ponamus in continuo indiuisibilia, statim dici potest aduenire illi rationem destructiuam essentiæ ipsius; Quoniam ratio indiuisibilis secundum quid non destruit rationem diuisibilis simpliciter, sicut rationem risibilis in homine non destruit ratio non risibilis secundum manus, vel secundum animal.

Art. 2. Vtrum indiuisibilia sint meræ negationes.

PRo parte affirmatiua citatur Ocam in Logica cap. 44. & 45. Ariminensis in secundo distinctione secunda quæst. 2. art. 1. & alij, qui tamen non negant dari in quanto positiuam longitudinem, quæ sit linea, & latitudinem, quæ sit superficies; sed negant longitudinem, quæ nullam habeat latitudinem, & latitudinem, quæ omni careat profunditate: punctum vero solum admittunt esse mere quid priuatiuum conceptum à nobis per modum positiui carentis omni extensione.

Quod autem indiuisibilia sint meræ negationes probari videtur his rationibus. Prima. indiuisibile nihil aliud est, quam negatio diuisibilitatis; sed negatio diuisibilitatis est quid negatiuum: Ergo.

Secunda ratio in quãtitate vt in re homogenea, præter ipsam quantitatem, nihil aliud esse potest, quam quædam negationes; Indiuisibilia sunt in quantitate, & non vt quantitas; ergo vt negationes.

Tertia ratio, quod est vnum positiue non potest positiue multiplicari; quantum in re est vnum positiue; Ergo positiue non potest multiplicari; Ergo plura indiuisibilia, quæ in eo assignantur erunt negationes.

In contrarium pro parte negatiua sunt hę rationes. Prima, meræ negationes non habent munus positiuum; sed indiuisibilia habent munus positiuum; Ergo indiuisibilia non sunt meræ negationes. Minor patet; Quia superficies tanguntur; quædam sustentant accidentia; transmutantur in alteratione etc. quæ sunt realis entis muneta.

Secunda ratio. Omnis negatio alicuius entis negatio est; Ergo indiuisibilia si sunt meræ negationes erunt alicuius entis negatio; sed assignari non potest, cuius entis sint negatio in quantitate; Ergo non sunt meræ negationes. assumptum probatur; Nam si sunt merę negationes in quantitate, erunt negationes omnis entis, vel certe ipsius quantitatis; primum dici non potest; Quia essent negationes Angelorum &c. neque

etiam dici potest secundum; Quia tangere Proprium est quantitatis, non vero negationis; ergo.

Quarta ratio. vel corpora in mundo se tangunt per sua extrema realia, vel inter ipsa intercipitur spatium aliquod non reale; si secundum, Ergo naturaliter datur vacuũ, si Primũ extrema illa sunt positiua, & tamẽ indiuisibilia; Ergo indiuisibilia non sunt, meræ negationes.

Pro solutione.

Notandum, quod ad vitandas difficultates non sunt ponenda ea, quæ aduersantur manifestis, quod faciunt proculdubio, qui dicunt corpora cum se tangunt tangere se per negationes; Nam si corporum contactus est per negationem, consequenter tatio sustentandi maximum pondus cum vnũ corpus est supra aliud, erit negatio; Quia suppositum corpus proxime, & immediate sustentat supra positum per id, per quod tãgit illud; incredibile autem hoc est, & contra experientiam. Nam supra positum corpus extrudit, si quid mediat molle, vel fluidum; quod non faceret si tantum tangeret per negationẽ corpus, quod sibi proximũ est. Præterea contactus sensitiuus ostendit nobis nos tangere positiuum, non negatiuũ: Illuminatio superficiei corporis opaci, & aliæ huiusmodi actiones idem ostendunt; neque enim fieri possunt in negatiuo, vt manifestum est; Quare indiuisibilia in quãtitate meræ negationes non sunt, sed latẽ sub negatione dicũt illud positiuum, cuius proxime sunt negationes, quod vel ipsa quantitas est inadæquate accepta, & vt dici solet syncategorematice, vel aliquid quantitatis; Et obiter pro termini illius intelligentia notandum, quod syncategorematice distingui debet à categorematice eo pacto, quo categorema in logica distinguitur à syncategoremate: In logica autem terminum habentem significationem determinatam appellamus categorema; vt hoc nomẽ petrus, habentem vero significationem indeterminatam, & non prorsus actualem, & distinctam dicimus syncategorema, vt petri vel petro, quod notasse volumus; quia nõ nulli dictos terminos opposito prorsus modo accipiunt in hac materia de quantitate, infinito, & tempore. Sed iam ad quæsitum.

Dicendum indiuisibilia non esse meras negationes. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ Confirmatur ex 5. Physi. Tex. 22. tangere est duorũ corporum extrema simul esse absque aliquo intermedio; sed extrema corporum non sunt negationes, licet adiunctas habeant negationes coniunctionis, quas non habent partes cõtinuæ; si enim extrema essent negationes, & negationes deberent esse media corporum; nam loquendo de corporibus homogeneis eiusdem rationis videntur extrema, & media; Ergo contactus non fit in negationibus, tametsi, vt dictum est ex parte tangentium sint requisitæ negationes coniunctionis; Quia coniuncta quantitatiue non iam dicuntur se tangere, sed esse continua. Præterea ex secundo de generatione Tex. 10. humida vt aqua, & cæteri liquores sunt extrinseco termino facile terminabilia; sed hic non potest esse negatio; tam enim negatione terminarentur dura, quam mollia; Ergo est quid positiuum, puta extremum vasis, in quo humida ponuntur.

Ad rationes in contrarium.

Ad primã respõdeo dicendum, quod indiuisibile ex vi ipsa nominis dicit aliquid positiuum, cum negatione alicuius diuisibilitatis: Quia est nomen quasi priuatiuũ, quod ponit aliquid positiuum. Quare negatur maior, & consequentia.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod quãtitas sumi potest dupliciter, vno modo pro ea entitate, & forma accidentali, quæ quantitas dicitur, alio modo vt dicit partes quantitatiuas, & mathematicas. Primo quidquid est in quantitate est quantitas, & hoc pacto indiuisibilia quantitates sunt, secundo modo non est quantitas quidquid est in quantitate. Et instantia potest esse in ipsismet speciebus quantitatis mathematice acceptis; Quia si accipiatur quantitas sub determinata dimensione mathematica, vt tricubitum, certum est, quod talis quantitas non est quocunque modo diuisibilis; nõ enim diuidi potest in quatuor cubitos; vnde non est quantitas quatenus quantitas dicit omnem diuisibilitatem, & tamen quantitas est sub alia diuisibilitate; vnde etiam mathematice quantitas est, & simpliciter quantitas est; Quia est talis forma accidentalis. Indiuisibilia ergo simpliciter quantitas sunt physice, & mathematice pariter sunt quantitas secundum aliquam rationẽ, exce-

excepto puncto; Quia sunt tales formæ accidentales inadæquate acceptæ, quæ sub certa ratione habent partes mathematicas, vt secundum latitudinem superficies, secundum longitudinem linea; sub alia autem ratione negant omnes partes mathematicas, ac proinde indiuisibilia sunt, & termini quantitatis. Simile est in gradibus methaphysicis de differētia, & maxime de hecceitate, quæ in certo indiuiduo pura in Petro cum idem re sit cum specie, & composito illo, quod realiter dicit species; habet tamen rationem termini speciej, & vltimi illam indiuisibiliter, & incommunicabiliter constituentis; cum tamen re in illo singulari idem sit, vt dictum est, cum specie.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod illud, quod est vnum positiue; sed non est Omnimode simplex potest multiplicari acceptum inadæquate, & secundum diuersas rationes.

Art. 3. Utrum indiuisibilia sint aliquid realiter distinctum à quantitate continua, Et Vtrum tam ipsa, quam partes sint actu in continuo.

PArtem affirmatiuam communiter defendūt Thomistæ Soncinas 5. metaphy. quæ 20. Capreolus & alij vt videri potest apud Suarez in metaph dis. 40. sect 5. quos ipse sequitur a numero 28. Contrarium fere tenent cęteri Duran. in 2. dist. 2 quę. 4 Greg. Arimin. ibidem Quæst. 2. art. 1. & alij & est sine dubio sentētia Aristotelis, quam sępius significat lib. 6 7. & 8. physicorū, & aperte huius vlt. lib. Tex. 68. dicens. In continuo autem in sunt quidem infinita dimidia, sed non actu, sed potentia. & infra ait. Quare dicendum est ad interrogationem, si cōtingit infinita transire, aut in tempore, aut in longitudine, quod est quidem sic, & antē non sic, actu enim si sint, nō cōtingit (supple transire infinita) Potentia autem cōtingit. Quæ ostendunt à Philosopho in continuo concedi solum partes, & indiuibilia potentia, non actu, quæ si actu essent consequenter secundum ipsum essent infinita, & pertransiri non possent; vnde & vim haberent argumenta Zenonis, quæ ex hoc principio putat se sufficienter dissoluisse.

Tamen pro sententia ponentium indiuisibilia, & partes actu in continuo est ratio illa de sphæra tangente punctum in plano, & ratio petita à contactu corporum, & à productione luminis in superficie opaci, & alijs productionibus; nam vbi desinit productio formæ non potest esse nisi indiuisibile, & pars, quæ est sub forma producta non est pars continui, quæ est illi immediata, in qua forma non est producta, & inter has non mediat nisi indiuisibile. His accedit ratio, quam aliqui putant validissimam petita à ratione identitatis, & compositi; nam in continuo vna pars non est idem cū alia; ergo actu est distincta ab alia: & in composito vna pars componens nō est alia; si enim vna esset alia non componeretur ex illis totum tanquam ex pluribus; sed sine compositione esset omnimoda simplicitas. Quibus etiam fauet, quod sicut in tempore vere datur instans continuatiuum præteriti, & futuri, quod non est tempus; ita & in continuo dari debent indiuisibilia partiuū continuatiua, quæ non sunt partes, quod si dantur continuatiua multo magis dabūtur actu terminatiua, cum de his sit maior ratio.

In Contrarius Pro sentētia negatiua sunt hæ rationes & primum quidem, quod non dentur in continuo indiuisibilia actu. Probatur sic. Si indiuisibilia sunt actu in continuo, & consequenter aliquid actu distinctum à partibus continui poterunt per diuinam omnipotentiam ab eo tolli, tollantur ergo, tunc peto vel in eo cōtinuo quidquam restat, vel non, si secundum ergo continuum componitur ex solis indiuisibilibus & non est quantitas; si primum, vel illa, quę restant habent partes indiuisibilibus continuatus, vel nō; si primum; ergo contra suppositionem non sunt ablata omnia indiuisibilia, quæ erant in cōtinuo ab eo distincta, cum adhuc remaneant illa, quæ copulant partes quantitatis, quæ remansit; si non; ergo illa, quæ restant sunt indiuisibilia, & tūc sequunt duo absurda, & quod non sint ablata omnia indiuisibilia, contra suppositionem, & quod continuum nihil aliud sit, quam aggregatum ex indiuisibilibus. Dices

in continuo non posse corrumpi omnia indiuisibilia. Sed contra; Quia si indiuisibilia sunt aliquid realiter distinctum à quantitate cōtinui, cur id non possit Deus? cur enim ex duobus actu realiter distinctis nō potest conseruare vnum, & destruere alterum? & quæ ratio afferetur cur id sit denegandum Deo, nisi illa ipsa absurda, quæ contra positionem ipsam consequuntur, vt necessario in ista responsione petatur principium.

His accedit, quod si indiuisibilia distincta ponentes, in mēte sua vident hanc realem distinctionem actualem, consequenter fatendum ipsis est, quod eam possit Deus ponere à parte rei, cui non est impossibile vllum verbum, sicut dixit Angelus; si enim non potest; ergo in realitate vnius inuoluitur realitas alterius, vt necessario realitas continui inuoluat realitatem suorum indiuisibiliū, & è contra, ac proinde formabile non sit verbū mentis de indiuisibilibus, cui à parte rei non respondeat realitas continui.

Secunda ratio. si tria dicta indiuisibilia, & inter se, & à continuo realiter distincta sunt; Erit ergo superficies distincta à profunditate, & à linea, & linea à superficie, & profunditate. accipiatur ergo folium cartę; superficies ipsius est distincta realiter à Lineis, peto ergo vbi sint lineæ; Non in ipsa superficie; Quia hæc est distincta ab ipsis, post superficiem autem statim sequitur Profunditas, quæ etiam à lineis distincta est. secetur folium in duas partes, iam ibi erunt duæ lineæ, & non erunt simul; Quia ex toto folio conficiebatur vna profunditas, quæ erat re distincta à lineis. Quomodo ergo, quod erat realiter distinctum à lineis, transiuit in lineas? Et vlterius si in centum partes secetur superficies folij ducentę fiēt lineæ, vbi illæ erant? vel ergo necesse erit totā superficiē esse aggregatū ex lineis, quod si dicatur destruet aduersariorum positionem, vel certe necesse est dicta indiuisiblia in re non esse distincta, nisi quatenus intelligibiliter, vt distincta accipi possunt, & fundare diuersas proprietates; & quatenus ratione diuersarum negationū, quas acquirit quantitas, dicuntur in ea esse diuersa indiuisibilia. His accedit, quod minus superficiei est terminare profundum; lineæ vero terminare superficiem; si ergo actu sunt distinctæ, tollat illas Deus, tunc vel sine superficie nōn minus æque bene erit terminatum profundum, vel superficiei alia erit immediata superficies, & sic totū continuum aggregatum quoddam erit indiuisibilium, quod valet proportionaliter in linea.

Tertia ratio. Implicat in re finita aliquid esse Infinitum actu; Quia esset finitum, & infinitum. Patet; Quia in re finita datur Prima, & vltima pars, Primum & vltimum indiuisibile; secus enim non finiretur; nam si in pede formicæ sunt partes infinitæ, nulla erit, quæ ipsum finiat; sed aliqua est; quæ ipsum finit; secus enim quomodo haberet talem figuram, talem locum finitum, imo tale indiuisibile actu terminatiuum, quod ponitur actu ab aduersarijs? Quare componendo partes, & indiuisibilia actu in continuo necesse erit ponere in eo infinitū, imo & infinities infinitum; Quia nulla est pars quantumuis minima, quæ secundum illam doctrinam non habeat actu partes infinitas, consequenter oportet in illa positione admittere contradictoria, & idem facere finitum, & infinitum. Sed iam.

Pro solutione.

Notandum, quod inter illos, qui pōnunt indiuisibilia actu realiter. distincta à continuo non conuenit; nam aliqui volunt esse vere res distinctas, alij volunt esse solum distincta vt modos, ac proinde de indiuisibilibus maxime continuatis loquendo putant illa esse quasi vniones quantitatis, & quidem infinitas, sicut supra dicebatur. Sed hoc non bene dicitur. Nam præter absurda de infinitate, & alia, quæ ex illa positione consequuntur, quæ sunt tacta in rationibus pro secunda sententia, Considerandum est, quod duplicis generis sunt res in natura, aliæ res sunt simplices, & homogeneæ, aliæ hetero geneæ, & compositę. Pro hetero geneis, nisi habeant ad inuicem rationē actus & potentiæ, & ex natura rei conspirent ad vnum quid tertium, non male ponuntur actuales vniones ab ipsis distinctæ, quæ ipsas in vnum connectant; Pro simplicibus vero & homogeneis male ponuntur; nam natura ipsa homogeneorum hæc est, vt se ipsis vniantur, si non sint impedita, sicut vnum simplex sunt. Considerandū enim secundo est, si homogenea vnionibus distinctis indigeret, quod duo sequerētur absurda, primum est, quod totum id, quod

sunt,

fuat, essent vniones; secundum, quod homogenea non essent, sed hæterogenea. Probatur primum. accipiatur quæcunque forma, quæ habeat latitudinem entitatis, siue extensiuam, siue intensiuam, in ea non potest accipi tam minima pars, quæ non concipiatur posse diuidi in duo; Ergo & illa duo debent suas distinctas vniones habere, & sic in infinitum, ac proinde omnes partes tandem degenerabunt in vniones; Quia nulla est, in qua sisti possit, & de ea dici, quod sit sine vnione. Secundum etiam absurdum sic manifestatur, in quacunque entitate homogenea est compositio per doctrinam oppositam ex entitate, quæ dicitur indiuisibilis, & alia quadam entitate diuisibili, quę illi prorsus opposita est; Ergo totum, quod ex illis resultat, homogeneum non est; Ergo homogenea non sunt homogenea, sed conflata ex duobus oppositis entitatibus. His accedit, quod si recte philosophamur, eandem difficultatem inueniemus in istis vnionibus, & indiuisibilibus, quæ est in partibus; nam difficultas est per quid indiuisibilia vniantur, siue ad inuicem, siue cum partibus, si se ipsis, hoc poterat primum dici de ipsis partibus, & parcì absurditatibus illis, quæ nascuntur ex illa infinita partium actualium, & indiuisibilium, atque vnionum turba. si media vnione, peto vtrum ista vnio peruadat totam partem, quam nectit, an partem illius; si primum simul vna vnio peruadet infinitas alias vniones; Quia nulla est pars tam parua, quæ non sit diuisibilis in infinitum, ac proinde infinitas actu partes non habeat, & consequenter infinitas vniones: si tantum partem, vel illa indiuisibilis est, vel diuisibilis, si hoc secundum, tota recurret difficultas, vt apparebit consideranti; si indiuisibilis est; ergo pars non est; Quia pars continui continua est, & sic de cæteris. Præterea quomodo facit latitudinem entitatiuam, vel quantitatiuam pars indiuisibilis cum indiuisibili? Itaque alia ineunda est via, & sicut dicebatur sic statuendum est homogenea, quæ habent latitudinem entitatis, si absit impedimentum, se ipsis ad inuicem copulari, & fieri vnum; dico si absit impedimentum; Quia quantitas verbi gratia, cum de se sola non fit, sed in subiecto, in quo aliæ quoque sũt dispositiones, vt durities, & aliæ huiusmodi, fit proinde ex hoc capite, vt duæ quantitates remaneant separatæ, duritie impediente, & retinente negationem coniunctionis; si autem non sit dispositio impediens coalescunt illæ duæ quantitates inter se in vnam se ipsis, & non per nexus distinctos; sed ex eo, quod amittunt negationem actualem coniunctionis, quam habebant; Quia homogenea se ipsis vnum fiunt, sicut & omnis actus, & potentia tali actui proportionata positis debitis conditionibus se ipsis vniuntur, & fiunt Vnum; Quia ex natura rei instituta sunt ad conflãdum vnum quid tertium. His diligenter expensis.

Considerandum tertio est, quod eo ipso, quod quantitas est finita, prout finitur secundum vnam dimensionem, debet esse non vlterius secundum illam diuisibilis, ac proinde indiuisibilis, & hoc ex natura rei; idest ex ratione quantitatis, vt finita est; si ergo ponantur indiuisibilia terminatiua ab ipsa re distincta, adhuc alia dati debebunt cum ipsa re identificata, & distincta solum formalitate; Quia semper quantitas, vt finita, secundum vnam dimensionem, sub ista ratione formali formaliter est secundum eam indiuisibilis. Quare indiuisibilia terminatiua nihil aliud esse possunt, quam ipsa entitas quantitatis inadæquati accepta, & vt dici solet syncategorematice vna cum negationibus, quas vt sic dicit. Extremitas enim profundi, quæ vnum est cum toto profundo, vt finita est, & consequenter negat vlteriorem extensionem profunditatis, est superficies: extremitas superficiei, vt finita, & negat vlteriorem extensionem latitudinis est linea: punctum vero dupliciter spectari potest vno quidem modo, vt per imaginationem, cum aliquo tamen fundamento in re, concipitur tanquam nexus, & terminus communis partium lineæ, & hoc modo nullum actu datur punctum, nisi per imaginationem cum fundamento, sicut dictum est, in re; Quoniam quatenus imaginari possumus in aliquo continuo duas partes, & tamen illæ discontinuatæ non sunt, licet re se ipsis continuentur, facilitatis tamen gratia concipimus quid medium ipsas

copulans, quod dicitur punctum. Secundo concipi potest punctum, quatenus est terminus, quo fiunt contactus aliqui mathematici quantitatum diuersarum, vt plani & cylindri, vel sphere; & tunc est etiam ipsa entitas plani, sed accepta secundum quoddam minimum, quod non habet rationem partis mathematicæ, qua duæ figuræ eiusdem, vel diuersæ rationis ad inuicem sunt commensurabiles; vnde & mathematice est indiuisibile; Quia non habet rationem partis mathematicæ, & physice; Quia nulla vis physica illud potest diuidere, & tamen nō est mera negatio, sed aliqua minima entitas quantitatis designata à contactu sphere, vel cylindri. Vnde qui punctum illud, sicut cætera indiuisibilia meram dicunt negationem à vero aberrant, & etiam à vero aberrant illi, qui ea actu distincta ponunt à continuo, cum certum sit, rebus realibus iuxta varia connotata, vel quatenus inadæquate accipiuntur, vel simul cum aliqua negatione, posse multa prædicata realia cōuenire; sic spoliatus differt à nudo; Quia connotat detractionem vestium, sic fieri distinguitur à facto esse; quia connotat proxime præcessisse negationem esse illius, quod fit, & cætera huiusmodi. Sed iā ad quæsitū.

Dicendum Primo in continuo tam indiuisibilia continuatiua, quam terminatiua, non distingui realiter à continuo, sed solū ratione; terminatiua quidem ratione ratiocinata, seu ex natura rei; Quia à parte rei habent aliquas negationes, per quas actu formaliter complētur; Continuatiua vero solum ratione ratiocinante; Quia non alia ratione vere sunt, etsi huius conceptus non deest aliquod fundamentum in re, nisi qua concipiuntur ad melius intelligendam naturam continui. Patet conclusio ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur. Quia per nullum sensum cognosci potest vlla actualis distinctio indiuisibilium à continuo; cum tamen continuum sit aliquid sensibile; Ergo non datur talis distinctio.

Dices tangimus superficies corporū, & non tangimus profunditates. Sed contra, si superficies est distincta à profunditate tollat Deus superficiem, & relinquat profunditatem, vel tunc hæc tangi poterit, vel nō, secundum dici non potest; Quia illud est corpus tangibile; si ergo tangi potest, non quidem tangi poterit secundum profunditatem; Quia contactus quantitatiui sunt tātum secūdum extrema, & daretur penetratio; tangetur ergo secundum aliam superficiem, & sic erunt indiuisibilia immediata, & continuum componetur ex indiuisibilibus. Respondeo ergo ad instantiam, quod tangere superficies corporum, sicut etiam superficies corporum videre, est tangere, & videre profunditates realiter, sed syncategorematice, & inadæquate, secundum quod scilicet non vlterius extenduntur, nō autem adæquatas, & secundum se totas, & partes diuisibiles, quod proprie esset tangere, & videre profunditates.

Dices entitas indiuisibilis differt ab entitate diuisibili; sed superficies est entitas indiuisibilis, profunditas est entitas diuisibilis; Ergo maior patet; Quia prædicata contradictoria realia non possunt simul verificari de eodem ente finitæ perfectionis. Respondeo dicendum, quod entitas indiuisibilis differt ab entitate diuisibili simpliciter, si vtraque sit adæquate, & categorematice talis; at si sit talis solum inadæquate & syncategorematice, siue prout certæ adiungitur negationi, & cum ea fungitur certo aliquo munere reali à parte rei, differt tantum formaliter, & realitate inadæquata, sicut in proposito, per quæ etiam patet ad probationem maioris contradictoria realia, realitate tamen inadæquatā, de eodem ente finito verificari.

Ad rationes in contrarium.

Ad Primam de sphæra perfecta tangente planum sunt qui negant in eo casu sphæram tāgere planū. Sed ego non video qua rōne id possit negari, nec respōsiones, quod tangat secundum totum categorematice, & syncategorematice secundum partem indeterminatam videntur solidæ, cum sit actu à parte rei determinatus contactus, & possit à Deo excitari triangulus per lineam deductam à centro sphæræ vsque ad aream plani, vbi fit contactus, extremum autem lineæ punctum sit, & debeat in plano designare punctum, nec intelligitur talis linea aliud tangere in plano quam punctum. Minus etiam placet prius dictum, quod sphæra non tangat planum, & quod interponatur semper aliquid medium: Omne enim quantum non impediatur potest tangere aliud, & quomodo grauissima sphæra ænea

nulli

nulli innitens pendula maneat extra centrum, & deorsum non nitatur quousque tágat aliquod solidum, quo sustétetur? Quid si fiat casus de sphæra & plano in vacuo, vbi non põt esse mediũ corpus? Quid si hoc mediũ, quod dicitur interponi corpus annihiletur à Deo? Quid quod concesso etiam medio corpore responsio non tollit difficultatem? Nam illud corpus mediũ sit aqua, concrescat igitur ista aqua, & ex ea per actualé disiunctionem sub sphæra faciat Deus perfectum planum, vel in ipsamet glacie, vel in corpore & massa ærea faciat Deus sphæram & planum solum partes æris, vel glacei disiungendo, iam non erit mediũ aliud corpus. non ne tanget sphæra ærea subiectũ planum æreum in puncto? Itaque responsio non subsistit. Respondeo igitur sphæram perfectam tangere planum perfectum in aliquo minimo, quod vt substat tali contactui, & per illum designatur, non habet rationem figuræ curuæ, vel planæ; neque rationem vllius partis mathematicæ, vt per illam repetitionem mensurari possit vllum quãtum ac proinde vere esse, et dici ratione dicta indiuisibile; Et dictum quidem minimum ante contactum esse pure potentia, nec esse designabile magis in vna parte, quã in alia. p cõtactũ autẽ sphæræ & talem designationé fieri actu; sicut etiã dicẽdũ est de quacũq; parte quantitatis, quam ita dici mus esse potentia, vt tamẽ putemus eã fieri actu, si vel separetur ab alia, vel designetur, vt distincta, siue per contactum, siue per informationem alicuius formæ, siue per designationem obiectiuam mentis. Nã quocunque modo accipiatur cum distinctione ab alia vt substat tali distinctioni, vel designationi, actu est, sed non simpliciter, sed vt sic. Et hoc bene notare oportet, Quia ex distinctione, quam habent partes, siue indiuisibilia obiectiue in mẽte, vel vt substant alicui designationi, vel determinationi reali, fit transitus ad illud, quod est secundum se, & ante talem designationem, antequam dicimus in continuo partes solum esse potentia, post designationé vero actu, & idem dicendum est de puncto quod fit actu in plano, quatenus substat cõtactui sphæræ, & per illum actu in plano designatur.

Est autem, vt cœpimus dicere, hoc punctum minimum quid quantitatis incommensurabile cum quantitate, qualis est excessus diametri, si præcise accipiatur, & secundum suum formale incommensurabilitatis supra costam. Nã vt ex hoc ipso, quod dicimus de diametro & costa, apparet, in quantitate accipi potest aliquid, quod præcise acceptum, non habet vllam proportionem nec vllam rationem partis, nec mẽsuræ totum mensurantis cum vlla quantitate habẽte rationem figuræ siue planæ, siue curuæ. Patet. Quia si proportionem aliquam haberet, esset cum ea mensurabile; Quia tantum posset repeti, vt tandem eam adæquaret, & tamen hoc minimum, vt est in quantitate potest facere in ea excessum in commensurabilem, quem si non faceret, diameter esset mensurabilis costæ. Itaque quantitatem dicimus formam quantificantem subiectum habentem figuram, vel curuam, vel rectam, in qua accipi possunt partes ad omnem mensuram; pũctum vero est quid minimum, vel vt magis formaliter loquamur est quid quantitatis negans omnẽ rationem partis, & mẽsuræ, ac proinde sub tali ratione & formalitate aliquid indiuisibile est; negat enim omnem per partem mathematicam diuisionem & est designabile, vt dicebatur per contactum sphæræ perfectæ, vel in diametro quadrati per designationem puri excessus improportionabilis; siue in commensurabilis cum partibus quantitatiuis, siue cum quãtitate, vt habet rationem partium, & mẽsurarum mathematicarum, inter quod, & quantitatem, siue partes eius non est excessus infinitus positiuus, sed negatiuus, idest inueniri non potest proportio, siue communis mensura; tamen tam hoc, quam illud positiue est finitum. Et quod dicitur de quantitate, quatenus vna vnius figuræ comparatur ad aliam alterius figuræ, valet etiam de instãti respectu temporis, Quod valde notandũ est ad dissoluenda plura sophismata, quæ fundantur in mala acceptione instantis & temporis, vt illud de merito infinito actus charitatis durãtis per tẽpus respectu actus instantanei in Theologia; neque enim temp° excedit instãs infinito excessu positiuo; sed negatiuo, hoc est improportione, & incommensurabilitate, vt excessus diametri & costa, punctum & curuum siue planũ, cum tamen tam in costa diametri dictus excessus, quam punctum in plano & curuo

concurrat ad faciendum quid finitum, & finiam distantiam, siue molem.

Et hæc non est noua doctrina, sed vetus, & vere Aristotelica. Legatur textus 104. lib. 4. physicorum, & Notentur illa verba. Hoc autem secundum id quod est, idem est; punctum enim aut lapis, aut aliquid huiusinodi est, ratione autem aliud est, sicut Sophistæ accipiunt diuersum Coriscum in lycæo esse, & Coriscum in foro. Quæ manifeste ostendunt eandem entitatem esse puncti & quanti sub diuersa ratione, & quantum entitatiue esse punctum induēs formalitatem impartibilis, siue negantis rationem partis, ac mensurabilis cum parte. Et quod dicit ibi Aristoteles de puncto respectu quantitatis, dicit quoque de nunc respectu temporis; Immo in eo textu sermonem habet de nunc, siue instanti, & exemplificat suam doctrinam etiam in puncto, vt ostendat similem esse vtriusque rationem, Et quod dicitur de puncto respectu quanti, dicendum esse de nunc respectu temporis. Legatur textus 49. lib. 6. phys. & 65. & 68. lib. 8. & lib. 3 de ani. Tex. 23. vbi expresse dicit tempus esse diuisibile, & indiuisibile & nihil prohibet ait philosophus (Verba eius sunt) indidiuisibile intelligere cum longitudinem intelligit. Quia cum, vt ipse præmettit, indiuisibile dupliciter dicatur aut potentia, aut actu, putat actu indiuisibile intelligi intelligendo Quantum sub formalitate impartibilis; Vnde addit indiuisibilis enim actu est, & in tempore indiuisibile; vbi iterum tempus, appellat indiuisibile. Quod autem aliud est proportione tempus indiuisibile, quam quantum, sine linea incommensurabilis eo. quod neget diuisionem, per quam accipiatur siue mensura, siue pars ad mensurandam illam cum costa? Afferri etiam potest ex eodem libro textus sequens, & textu 25. dicitur. Et sic indiuisibile monstratur, sicut priuatio; vult dicere, quod sicut priuatio est positiuum aptum sub negatione, ita indiuisibile est quantum sine tempus sub negatione partibilis, & per partes mensurabilis. Sed ad cætera veniamus.

Ad argumentum ergo conceditur contactus sphæræ & plani in puncto, & dicitur per talem contactum punctum designari, & fieri actu, Quia vt substat tali contactui actu est, cum præciso illo tam in curuo, quam in plano remaneat solum potentia.

Et ex dictis patet ad illud de productione luminis in opaco, vel alterius formæ; nam lumen producitur in minimo aliquo opaci, quod licet idem sit cum reliqua profunditate, vt tamen substat tali productioni fit actu, & idem dicendum est de quacunque alia parte subiecti, vt substat alicui formæ.

Ad rationem acceptam ex natura identitatis & compositi respondeo dicendum, quod triplex est genus rerum, aliæ sunt prorsus simplices, & incomponibiles, aliæ actu compositæ ex pluribus actu, aliæ sunt medio modo, nec prorsus simplices, nec prorsus compositæ; sed cum primis participant, quod actu non habent partes, cum secundis participant, quod habent secundum quid partes compositionis, quod dicimus habere partes potentia, si de primis sit sermo nihil potest in eis accipi per conceptus mentis, quod realiter non sit quidquid aliud in eisdem accipiatur. Vnde verum est dicere, quod plura in eis accepta sunt idem saltem realiter. In secundis verum est dicere, quod plura in eis accepta sunt actu realiter diuersa; In tertijs solum verum est dicere, quod idem sunt in re sine actuali distinctione, & compositione plurium actualium; sed siue in mente distinguente inter plura illorum distinguibilia, siue in re posita varia designatione, & determinatione, quod plura sunt actu: Vnde ante omnem distinctionem habent latitudinem entitatis in plura distinguibilem, post distinctionem habent in plura distinctam, & consequenter ex pluribus actu compositam.

Et ex his apparet quomodo sit intelligendus Philosophus cum dicit continuum esse diuisibile in ea, quæ in sunt, potentia scilicet, si actu non fiant.

Ad illud de instanti in tempore patet ex dictis, & de illo infra pluribus. Sed iam ex his.

Dicendum secundo in continuo non esse, neque partes, neque indiuisibilia siue continuatiua, siue terminatiua actu simpliciter, & vt distincta à continuo, & inter se, sed solum secundum quid, quatenus di-

cunt

sunt ipsum continuum inadæquate acceptum & indiuisilia quidem, quatenus vt sic non habent rationem partium, & mensuræ mathematicæ; sed sunt cum negatione Vlterioris extensionis, vel sunt minimum quid mathematice non mensurabile cum certis negationibus. patet ex dictis; Ex quibus etiam patet per nullam potentiam indiuisibilia esse separabilia a continuo; Quia cum aliquo pacto dicant entitatem continui; separata nullo modo eam dicerent, ac proinde dicerent; & non dicerent.

Obijcies. dentur duæ partes lineæ actu separatæ, tum vniantur, vel per istam vnitionem acquisitum est aliquid inter illas duas extremitates, vel nihil; si nihil, quomodo nunc sunt vnitæ, cum prius non essent? si aliquid; ergo datur actu punctum continuatiuum realiter distinctū à partibus lineæ, & consequenter dantur & partes, & cetera indiuisibilia; Quia non est maior ratio de puncto, quā de alijs indiuisibilibus. Præterea vniuntur illæ partes per aliquam actionem realem; Ergo aliquid de nouo ibi fit, non partes, quæ iam sunt; Ergo vnio, siue indiuisibile continuatiuum, quod prius non erat. Respondeo dicendum, quod per illam vnitionem acquisita est integritas, siue totalitas, quæ prius non erat, quæ tamen totalitas nō est quid distinctum a toto; Attamen partes dum retinent negationem coniunctionis non sunt totum; hac autem negatio sicut in re tollitur, cum vniuntur partes, & non per intellectum, ita a parte rei potest concipi esse aliquo modo actio, quæ pro termino formali nihil aliud habet, quam integritatem dictam, siue totalitatē. Neque hoc videri debet absurdum, quādoquidem a parte rei vere dicitur fieri aliquid si vel solum excludatur aliqua actio, vt cum quis intento brachio, vel pede sustinet aduersarium propellentem; vere enim ille à parte rei dicitur aliquid facere, & tamen assignari non potest, quæ sit actio eius nisi exclusio aduersarij, quæ magis quid negatiuum est, quam positiuum; multo ergo magis si vere tollatur aliquid negatiuum, & nouus sit terminus positiuus saltem secundum quid, sicut in casu, quia iam est vnum, & totum, & prius erant duo cum actuali negatione vnitatis, & cōiunctionis adinuicē, a parte rei saluari poterit aliqua ratio actionis, siue dici aliquid fieri.

Dices in dicto toto facto ex duabus partibus dictis, vere actu sunt duæ illæ partes, ex quibus factum est, & Deus clare videt quousque perueniat prima, & quousque perueniat secunda pars; Ergo in continuo sunt partes actu.

Respondeo negari primam partem antecedentis; Quia simpliciter partes actu nō sunt, nisi retineant negationem, per quam ad inuicem completur distinctio; in illo autem toto hanc negationem non retinent. Ad illud, quod dicitur de cognitione Dei, dico vere Deum cognoscere illud, quod prius erat prima pars, & quod erat secunda, nō videt tamen, vt ad inuicē actu distincta, sed vt vnū totum in duo distinguibile. Dices contra. Videt Deus vnum non esse aliud. Respondeo videt vnum non esse aliud, vt distinctum falsum est, vt distinctum prius, & nunc distinguibile verum est; Quare in continuo, & in omni alia entitate habente latitudinem, siue extēsiuā, siue intensiuam, siue alio modo entitatiuam partes potestate sunt, non actu, idest secundum quid actu sunt, secundum quid potentia; habent aliquid de actu; Quia vere ibi actu entitas est, quæ habet latitudinem actu capacem distinctionis; habent aliquid potentia; Quia actu distinctio non est, quæ necessaria est ad omnimodā actualitatem partium.

Dices actualis distinctio solum necessaria est ad separationem partium. Respondeo in homogeneis distinctio, & separatio a parte rei fere in idem concurrere; Quia ibi actualis distinctio partium in re non est, nisi separentur, nam dum non separantur, semper retinent vnitatem; per quam habent, vt actu distinctæ non sint, & sint distinguibiles multis modis; neque enim dictum totum magis distinguibile est in duas partes, quam in quatuor vel decem.

Instabis vna ex illis duabus partibus iam dictis sit alba, altera nigra, tunc negari nō poterit ad inuicem esse actu distinctas, etiam si separatæ non sint. Respondeo in se simpliciter non esse distinctas; per albedinem autem, & nigredinē dici posse distinctas esse; sed à secundum quid non valet argumentari ad simpliciter.

Dices in illo casu inter quantitatem, quæ as-

affecta est albedine, & quantitatem, quæ affecta est nigredine, vel aliquid mediat, vel nihil; si secundum, quomodo vnita est quantitas, & non sunt vnitæ albedo, & nigredo; si primum; ergo datur actu indiuisibile continuatiuum; Quia illud non potest esse pars; nam vbi finitur albedo, incipit nigredo. Respondeo nihil mediare, sed esse extrema ipsa quantitatis sine actuali negatione disiunctionis, siue se ipsis excludentia negationem actualem disiunctionis, & vnita, per quod fit ipsa integritas totius; inter albedinem autem, & nigredinem actu talis negatio est, ac proinde ad inuicem vnitæ non sunt; talis autem negatio est; Quia formæ diuersæ rationis sunt, quæ ex natura rei non sunt aptæ fieri vnum. Itaque inter quascunque partes assignabiles quantitatis, vbi negatio coniunctionis actu non est, coniūctio ipsa est, & integritas, quæ nihil aliud est quam illud ipsum positiuum entitatis quantitatis sine tali negatione coniunctionis, quod semper habent homogenea, cum non adest impedimentum.

Dices quando in continuo vna pars calefacit aliam, vna vere non potest esse alia; Quia inter agens & passum debet esse realis distinctio. Respondeo quod est vna & alia, & consequenter & vna non est alia, quatenus stant sub his rationibus agentis & passi, simpliciter tamē talem distinctionem non esse actu, sed potentia tantum.

Art. 4. Vtrum continuum componatur, vel componi possit ex Indiuisibilibus.

Ex dictis huius habetur resolutio quæstionis: propter tamen peculiares difficultates, peculiariter tractanda est. Et prima quidem sententia affirmatiua, quæ vult continuum componi ex indiuisibilibus videtur fuisse Zenonis, & Stoicorum; in eadēque fuisse putantur Leucippus, atque Democritus asserentes corpora esse composita ex quibusdam atomis, id est indiuisibilibus. Hæc etiam sententia tribuitur Linconiensi, & Maiori in 2. dist. 2. quæst. 5.

Secunda sententia, quæ negat corpora continua componi ex indiuisibilibus est Aristotelis 6. phys. per multos textus, quē secuti sunt communiter peripatetici.

Pro Prima sententia sunt hæ rationes. Prima Continuum est diuisibile in infinitum; Ergo per diuinam potentiam potest diuidi; Quia possibile posito in actu nullū sequitur inconueniens: Vel igitur tunc partes, in quas diuisum erit, erunt indiuisibiles, vel diuisibiles; si primum; ergo continuum componitur ex indiuisibilibus; Quia ex 5. metaphy. Tex. 18. diuisio continui est in ea, quæ in sunt; si secundum; ergo partes illæ, vt adhuc diuisibiles, possunt adhuc diuidi, & consequenter continuum non est diuisum in omnes sui partes, in quas potest diuidi; cum autem in eas omnes diuisum fuerit partes, necessario erūt indiuisibiles, ac proinde ex indiuisibilibus componetur.

Secunda ratio. Vel omni parte magnitudinis datur aliqua minor; vel non omni parte magnitudinis datur aliqua minor; si secundum; ergo per æqui pollentiam propositionis, aliqua parte non datur minor, quam necesse est esse indiuisibilem; si enim esset diuisibilis in partes daretur aliqua pars minor ipsa; quælibet scilicet ex illis, in quas diuidetur. si dicatur primum videlicet omni parte magnitudinis dari aliquam minorem, tunc sic argumentor. vel illa, quę est minor omni parte magnitudinis est indiuisibilis, vel diuisibilis, non diuisibilis; quia non esset minor omni parte magnitudinis; non enim esset minor suis partibus, in quas posset diuidi; Erit ergo indiuisibilis; sequitur ergo ex alterutra contradictoria data magnitudinem componi ex indiuisibilibus.

Tertia ratio. Primo poster. Tex. 9 per Philosophum substantia lineæ est ex punctis; Ergo ex illis componetur, ac proinde & omne aliud continuum ex indiuisibilibus componetur. Confirmatur. Quia partes definitionis sunt partes definiti; sed puncta ponuntur in definitione lineæ, vt patet ex loco præ allegato primi posteriorum; ergo & eius partes sunt.

In contrarium Pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima. si indiuisibilia conponunt continuum, vel illa tangunt se tota, & nullam faciunt amplitudinem, & molem; vel se tangunt secundum partem, & iam erunt diuisibilia; Quia habent partes & par-

& partes; Ergo continuum non potest cõponi ex indiuisibilibus.

Secũda ratio. si continuũ componeretur ex indiuisibilibus diameter Quadrati esset commensurabilis costæ eiusdem quadrati, imo & illi æqualis; primum est contra Mathematicas demonstrationes, secundum est contra sensum, qui aperte videt Diametrum esse maiorẽ costa quadrati; Ergo continuum non componitur ex indiuisibilibus. Probatur Maior, quo ad primam partem; si tam costa, quam diameter componuntur ex indiuisibilibus, hęc erunt finita; Quia finitum non potest componi ex infinitis, tunc sic. Omnis numerus finitus est cõmensurabilis cum alio item numero finito; Ergo numerus indiuisibilium diametri, ac proinde ipsa diameter erit commensurabilis numero indiuisibilium costæ, ac proinde costa ipsi. Quoad secundam partem probatur eadem maior. ex vno latere quadrati ducantur lineæ paralellæ a singulis ipsius punctis ad singula puncta alterius lateris, & transeant per eundem mediũ diametrũ, vt necessario transire debent lineæ, intersecabunt diametrum in singulis punctis; nam neque duæ lineæ possunt illum intersecare in vno puncto, quia paralellæ etiamsi protendantur in infinitum nunquam coincidunt; Neque potest dari aliquod spatium medium inter pũctũ diametri, quod secat vna linea, & quod secat alia, Quia linea paralellæ semper seruant inter se eundem situm, eandemque distantiam. Quare cum ex suppositione a singulis punctis vnius costæ ducantur lineæ ad singula puncta alterius costæ intersecabunt simul diametrum in singulis punctis; Quapropter in diametro dabuntur solum tot puncta, quot in costa, ac proinde erunt æquales costa, & diameter.

Tertia ratio ex 6. phys. si continuum cõponeretur ex indiuisibilibus diuideretur in indiuisibilia; Quia vnumquodq; resoluitur in ea, ex quibus constat. Omne namque, ex quo est, resoluitur in hoc lib. 3. phys. Tex. 45. sed illud est impossibile; Ergo.

Quarta ratio ex 6 phys. Tex. 10. & tribus sequentibus. Si continuum componeretur ex indiuisibilibus mobile tardum transiret eandem magnitudinem in eodem tempore, ac mobile velox, quod est aperte falsum. Quod autem illud sequatur, sic probari potest. Sit mobile tardum A. mobile velox. B. spatium decem punctorum C. & aliud itẽ decem punctorum D. mobile velox super spatium D. mouetur, & transit vnum punctum; mobile tardum. A. per spatium C. mouetur, vel non, si dicatur hoc secundum, est contra suppositionem, moueatur igitur; si mouetur vel ipsum etiam transit vnum punctum, & sic æqualiter mouetur, ac mobile velox, vel plura puncta, & sic velocius mouetur, quod est absurdum &c.

Quinta ratio. si continuum componeretur ex indiuisibilibus minor circulus esset æqualis maiori, quod sic probatur. describatur circulus maior, & intra ipsum minor, & a singulis punctis circumferentiæ maioris ducantur lineæ ad centrum; hæ lineæ transire debebunt per singula puncta circunferentiæ circoli minoris; Ergo tot erunt puncta in circulo minori, quot in maiori, & consequenter erunt ambo circuli æguales. Dices fore vt duæ lineæ coincidant in vnũ punctum circumferentiæ circuli minoris: sed contra est; Quia pono lineas duci à circumferentia rectas ad centrum, & in centrum perpendiculariter descendere.

Pro solutione.

Notandum, quod hęc quęstio a priori facile decidi potest, si bene intelligatur, quæ sit compositio continui, pro quo considerãdum est, quod duplex est genus compositionis, quantum facit ad præsens negotiũ, vnum quod tale est; Quia in eo vere actu reperiuntur vnita, Quæ licet concurrant ad constituendum vnum tertium, tamen natura vnius ex componentibus non est eadem cum natura alterius, sed diuersa, & hanc appellare possumus compositionem hetero geneorum, cuiusmodi sunt compositiones partium viuentium in vnum totum, & formæ atque materiæ: secundum genus cõpositionis est, in quo componentia vt sic, non actu sunt, nisi in ordine ad separationem, vel designationem; Quoniam omnia cum eiusdem rationis sint, consequenter quantum est de se si absit actualis negatio, quæ earum complet distinctionem, nullam inter se actualem distinctionem habent, sed solum aptitudinalem, quatenus scilicet distingui possunt, cum non distinguantur quoad naturam, nec quidquam habeant aliud, per quod vllam actualẽ distinctionem inter se exerceant, & hanc appellare possumus compositionem homogeneorũ,

siue

siue sit secundum intensionem, siue secundū extensionem; in hac igitur compositione, cum quidquid ad ipsam concurrit sit eiusdē rationis, & consequenter sublata negatione actuali inter ea, quæ in ipso esse concipiuntur, non habeat partes actu, per quas componatur, cum potius sit quid simplex, & constitutio simplicis, quam compositio; non possunt assignari vllæ partes in re distinctæ de se, & quæ diuersæ rationis sint à composito; sed cum indiuisibilia, vt componant, & distincta esse debeant a diuisibilibus; Quia lecus non essent indiuisibilia actu, sed actu diuisibilia, & sint valde diuersæ rationis, immo oppositæ cum continuo; & constitutio continui sit compositio homogeneorum, implicat, quod ex ipsis continuum componatur. Verum quidem est quod ex duplici capite aliqua continuo cōcedi potest compositio, ex actualitate, quā habuerunt partes, antequam vnum conflarent, vt si duæ aquæ iungātur simul; & ex actualitate, quam habere possunt partes, si continuum diuidatur. Etenim cum in primo casu, antequam fiat vnum, vere plura essent, consequenter vnum iam non est, nisi per compositionem, siue per concursum plurium in vnum, quæ censetur esse aliqua compositio. in secundo vero casu, cum ex vno fiant plura, consequenter plura in vno fuisse concipiuntur, ac proinde & composuisse vnum. Attamen cum hæc plura in cōstituto suam actualitatem non seruent, nec id, per quod necessario plura fiunt actu, in vno plura non sunt, sed vnum actu est ex pluribus, non quæ actu sint, sed quæ actu fuerunt, vel futura sunt: Si tamen ex eo, quod actu fuit, & eo quod est, vna procedat denominatio, & illud placeat appellare compositum, tot solum illi actu partes, sed actu quidem transeunte, concedi poterunt, quot actu fuerint; ex quibus cum nulla fuerit indiuisibilis, ex indiuisibilibus continuum componi dici non poterit. Et hoc ipsum valet quoque respectu partium, quæ ex illo continuo actu decidi possunt, quæ tamen cum semper actu finitæ sint, & diuisibiles, nec ex indiuisibilibus, nec ex infinitis dici poterit componi continuum, ac proinde.

Dicendum continuum non componi ex indiuisibilibus. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur. Quia indiuisibile figuræ capax non est; si enim figuræ capax esset, commensuraretur diuisibili; sed omne continuum figuratum est; cū vel linea, vel superficies, vel corpus sit; Ergo nullum continuū componitur ex indiuisibilibus.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod continuum est diuisibile in infinitum syncategorematice, non categorematice; idest est actu diuisibile in finita semper adhuc diuisibilia; vnde diuisa semper esse debent actu finita, adhuc tamen vlterius diuisibilia. Quare finiri non potest diuisio continui absolute loquendo, nec deueniri ad indiuisibilia. In forma ergo distincto antecedente iuxta hęc, distingui etiam debet consequens. Per diuinam omnipotentiam potest diuidi continuum successiue in infinitū, & syncategorematice; nō categorematice, & in actu infinita; Quia hoc repugnat cum natura continui.

Ad secundam rationem respondet Ariminensis concedendo omni parte magnitudinis dari aliquam minorem, & negando illam esse æquipollentem; Ergo aliqua pars est minor omni parte; Quia prima est vera, secunda est falsa; & illatio secūdæ ex prima peccat per fallaciam figuræ dictionis; Quia in prima propositione, quando dicitur omni parte magnitudinis vel datur aliqua minor, supponit pars indeterminate, & confuse, pro aliqua parte; in secunda vero, quando infertur; Ergo aliqua pars est minor omni parte, pars supponit determinate, & singulariter. Exemplum est si mundus futurus esset æternus à parte post secūdum successiuam hominum generationem, verū esset dicere omne homine futuro est aliquis posterior, & tamen falsum esset; ergo aliquis est posterior omni homine futuro confuse accepto. Solutio est bona. Aliter secundo sic solui potest ratio, admittendo primam partem propositionis cum distinctione sic. Omni parte magnitudinis determinate sumpta, & distributiue assignabili, supponente tamen semper signo vniuersali secundum & confuse, datur aliqua minor, non vero sumpta parte indeterminate, & confuse, nondum determinato signo vniuersali ad hanc partem magis, quam ad illam; vnde non bene sublumitur, illam partem, quæ sic est minor omni parte

te magnitudinis, esse indiuisibilem; Quia secus non esset minor omni parte magnitudinis. Nam cum hoc quod sit minor omni parte magnitudinis determinate sumpta, hac scilicet, & illa parte magnitudinis, nulla datur pars minor omni parte confuse sumpta; Quia in suppositione confusa non licet accipere vllum determinatum. Quare solutio paucis consistit in hoc, quod propositio illa omni parte magnitudinis datur aliqua minor, partim supponit confuse, partim distincte, & in conclusione fit transitus à suppositione confusa ad distinctam, vnde variatur suppositio per fallaciam figuræ dictionis.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod ex philosopho substantia lineæ accepta per intellectum obiectiue, aliquatenus est ex punctis; Quia non concipitur linea finita, sine punctis illam claudentibus, in re autem, quod nulla sunt puncta actu, sed potentia, & aliquid æquiualens punctis actu, ipsa scilicet finitas lineæ, quæ præbet occasionem intellectui fingendi actu puncta, & per illa lineam definiendi. Quare quando dicitur, quod ex punctis linea componitur, si sermo sit de compositione in re negatur consequentia; si sermo sit de compositione per mentem obiectiua, conceditur, quod aliqua ex parte linea componatur ex punctis, videlicet secundum extrema, & tanquam ex terminis: de qua etiam obiectiua compositione procedit confirmatio, sed nihil contra conclusionem; Quia ex eo, quod obiectiue linea aliquo modo habeat actu puncta, non sequitur, quod in re actu ex punctis componatur; sed quod in re habeat puncta potentia, & aliquid æquiualens punctis, quod intellectus concipit vt punctum.

Dices non ne potest Deus separare id, quod præcise, iuxta dicta supra, punctum est, à reliqua linea, ratione cuius separationis iuxta quoque dicta, dici poterit lineam componi actu ex punctis?

Respondeo non posse; Quia categorematice de se punctum quantitatiuum separatum dari non potest; secus enim tot æqualia ipsi in continuo accipi possent, vt punctum esset commensurabile lineæ, & diameter costæ, & non habens figuram habenti figuram, & indiuisibile diuisibili, quæ sunt absurda.

Dices potest accipi actu instans in tempore, quod respondet puncto in quantitate. Respondeo ex parte temporis posse accipi tantum secundum quid, & syncategorematice; secus enim instans esset commensurabile tempori, & indiuisibile diuisibili, quæ admitti non possunt; potest quidem fieri aliquid instantaneum; sed in tempore nihil potest accipi actu & adæquate instantaneum.

Dices illud, quod respondet productioni instantaneæ tale erit. Respondeo nihil temporis ex parte sui respondere adæquate productioni instantaneæ; secus enim non solum secundum quid, sed simpliciter tempus mensurari posset per instantia, & ex instantibus componeretur, quæ implicant; Quia tales naturæ ad inuicem simpliciter proportionabiles non sunt.

Itaque ex disparitate naturarum fit, vt adæquate mensurabiles non sint, nec in vna simpliciter possit esse, quod est in alia; sed tantum secundum quid, & vt dictum est syncategorematice.

Art. 5. Vtrum continuum distinguatur à contiguo, & quomodo; & quid sit simul, separatim, tangere, inter, consequenter.

QVod continuum distinguatur à contiguo præter auctoritatem Aristotelis 5. phy. Tex 21. & sequentibus, & peripateticorum commune, Probari potest; Quia Lapis & aqua sunt contigua, & tamen non sunt continua; contra vero duæ æquæ cum vniuntur fiunt continuæ: Non est ergo idem esse continuum, & esse contiguum.

In contrarium pro parte negatiua est quòd philosophus loco citato Tex. 28. ij ter

continua numerare videtur illa, quæ vniũtur clauo, glutine, insitione, quæ tamen proprie sunt contigua; si continuum à contiguo distinguitur.

Pro solutione.

Explicandæ sunt quædam voces, quas explicat loco citato Aristoteles, quæ sunt hæ septem simul, separatim, tangere, inter, consequenter, continuum, contiguum. Itaque.

Notandum, quod simul ea dicuntur, quæ sunt in eodem tempore, vel loco; in eodem tempore simul sunt duæ actiones, quæ fiunt eodem tempore, simul sunt in eodem loco, quæ sunt in eodem loco primo, & proprie; non autem in loco communi; vnde iuxta hæc duo corpora proprie non possunt esse simul; Quia naturaliter se penetrare non possunt, ita vt sint in eodem loco primo; simul tamẽ sunt forma & subiectum, anima & corpus, quæ in eodem prorsus loco sunt. Verum quidem est, quod simul aliquando dicitur latius, & dicitur in corporibus de ijs quæ ad inuicem contigua sunt, & sunt separata. Iam separatim esse dicuntur, quę diuersum habent locum primum, vt duo corpora, quæ si habent extrema simul, se tangere dicuntur; tangere enim dicuntur, quorum extrema simul sunt; sic duo se tangunt, quorum superficies simul sunt absque aliquo intermedio nec positiuo, nec priuatiuo. Inter autem dicitur de eo, quod interiacet inter duo extrema. Iam Consequenter vt aliquid sit non nulla sunt necessaria, primum debet esse vnum tanquam principiũ, ad quod aliud consequenter dicatur; ipsum autem principium non dicitur consequenter, sed illud, quod est post principium: secundo requiritur, quod inter id, quod consequẽter se habet, & id, ad quod consequẽter se habet, nihil sit eiusdem generis; vnde vnus discipulus consequenter se habet ad alium proximum, etiamsi intermediet scãnum, dummodo non mediet alius discipulus. Tertio cõsequenter dicitur multis modis; nam alia consequenter se habent positione, vt domus ad domum, alia perfectione vt vna species ad aliã sibi proximã; alia natura vt vnus numerus ad alium, alia tempore vt secunda hora ad primam. Porro quæ consequenter se habent, & simul se tãgunt dicuntur contigua; vnde ad contiguũ requiritur, vt inter ea, quæ dici debent contigua, nihil mediet nec eiusdem, nec diuersæ rationis, sed habeant extrema simul, & se tangentia. Vltimo continuum est, quod sic alterum tangit, vt vtriusque sit vnus & idem terminus cõmunis, sic medietas lineę alteri medietati est continua; differt ergo continuum à contiguo, quod in contiguo sunt duo termini, in cõtinuo est vnus cõmunis, seu potius secundum rei veritatem nullus terminus est, scilicet distinctus, sed est vna totalis entitas non interrupta, quæ si interrumpatur iam continua non est; per interruptionem autem fiunt ex vtraque parte negationes in extremis tollentes continuationem: Continuum enim est, quod non habet tales negationes. Non enim videtur verum, quod dicunt aliqui tunc rem esse continuam, quando vna pars alteram sibi vnit illam effectiuè attrahendo; secus enim quãdo imminet periculum vacui corpora quãtuncunque diuersa, vt aqua & lignum, lignum, & lapis, erunt continua; quia vnum attrahit aliud, ne detur vacuum, & magnes & ferrum continua erunt; Quia magnes sibi ferrum vnit. Ad continuitatem ergo proprie acceptam requiri videtur vt ea, quæ dicuntur continua quantitatiue se habeant per modum vnius, vnum autem est, quod diuisum non est, diuisum est, quod habet extrema actu, & negationem actualem vlterioris extensionis, sic aqua, & aer ipsam ambiens diuisa sunt. Porro ab ipsa actuali negatione fit, vt duo corpora actu superficies habeant, & non continuẽtur, ac proinde quasi formaliter ex negationibus vltimato est, vt vnum non sit aliud, quantuncũque eiusdem sit rationis, & speciei cum illo; quasi tamen effectiue prouenit vel à motu locali, vel ab aliqua qualitate resistitiua continuationi, vt est durities &c.

His ita explicatis.

Dicendum continuum distingui à contiguo, & distinctionem in eo consistere, quod continuum habet, quæ assignantur extrema, vnione siue integritate, & carentia actualium negationum, quæ ad diuisionem sunt necessariæ, Vnum: Contiguum habet extrema actu, quæ vnum non sunt, & habet actu negationes ad hoc necessarias, ac proinde nec cõcipi possunt vno communi termino continuata; sed diuersis terminis terminata. Ita philosophus loco citato, & patet ex dictis.

Ad

Ad rationem in contrarium respondeo dicendum, quod cum Philosophus ea velit esse continua, quæ vno communi termino copulantur, latius deinde sumendo continuum appellat continuum quidquid cum alio communi vinculo copulatur, siue vinculum ex natura rei coalescat cum extremis copulatis, siue non.

QVAESTIO TERTIA

De Infinito.

QVoniam infinitum non raro sumitur in explicatione continui, vt cum dicimus continuum esse diuisibile in infinitum de infinito iam agendum est. duplex autē assignari solet infinitum, & simpliciter & in certo genere, in certo genere vt in magnitudine, vel numero; simpliciter vt si contineat quidquid entis est in omni genere, quo pacto Deus est infinitus claudens in se omnium ordinum perfectiones sine imperfectione, & sine fine. rursum diuiditur infinitum in certo genere in actu infinitum, & dicitur infinitum categorematice, & in infinitum potentia, & dicitur infinitum syncategorematice: primum simpliciter infinitum censetur, secundum simpliciter finitum est, secundum quid vero infinitum; Quoniam quidquid actu est, finitum est, nec tamen finitum est, quod potest esse, vt diuisio continui per partes proportionales; omnis enim actualis diuisio semper erit finitarum partium, infinitarum tamen in potētia; Quia aliqua posterior erit possibilis.

Definitur autem infinitum à philosopho 3. physic. Tex. 63. infinitum est, cuius secundum quātitatem accipientibus, semper aliquid accipere extra est.

Art. 1. Vtrum in rebus naturalibus detur, vel dari possit infinitum.

PRima sententia affirmatiua fuit antiquorum, contra quos disputat Aristoteles 1. & 3. physicorum à Tex. 35. Anaxagoræ, Anaximandri, Zenophōnis colophonij, & aliorum, qui volebant in rebus naturalibus dari posse, & de facto dari infinitum, contra quos sensit Aristoteles, & peripatetici communiter.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima. finitum & infinitum sunt proprietates quantitatis; ergo vtrunque debet dari in rebus naturalibus, quæ quantæ sunt.

Secunda ratio. in continuo sunt partes proportionales actu inter se realiter distinctæ; ergo in rebus naturalibus datur infinitum. Probatur antecedens; Quia vna pars proportionalis non est alia; nec est vlla maior ratio cur detur vna actu, & non alia; omnes igitur erunt actu inter se realiter distinctæ; sed omnes finitæ non sunt: Ergo.

Tertia ratio. sit Luminosum, quod illuminet opacum, tum per motum illi magis ac magis approximetur; antequam illi approximaretur producebat Verbi Gratia lumen, vt quatuor, ita vt in vltimo instanti illuminationis ante motum verum esset dicere, luminosum producere in superficie opaci lumen vt quatuor; sed postea in quacunque parte motus, & in quocunque instanti verum est dicere aliquid plus luminis actu producere; ergo producet infinitū; Quia in tempore illo motus sunt partes, & instantia infinita.

Quarta ratio. Deus est agens naturale, seu agit cum causis naturalibus, & habet potentiam agendi infinitam; ergo agendo cum causis naturalibus eam poterit ad actū reducere; & sic naturaliter efficiet infinitum.

In contrarium pro sententia negatiua, & primum quidem quod non detur Infinitum in quantitate continua probat Aristoteles cum 3. phys. à Tex. 40. ad 45. tum 1 cæli à Tex. 33. ad 70. Omne corpus est mobile ex suis intrinsecis principijs; sed si esset infinitum moueri non posset; ergo naturaliter nullum corpus potest esse infinitum: Probatur minor de motu recto. Mobile, quod mouetur motu recto, debet relinquere spatium, vbi erat, & acquirere aliud, in quo non erat; sed corpus infinitum, si daretur, repleret omnia spatia; Ergo motu recto moueri non potest. Probatur de motu circulari. Fingātur in isto corpore infinito duæ lineæ, quæ alicubi concurrant in vnum angulum, & protendantur ex alia parte in infi-

nitū, tunc sic, si moueatur mobile infinitum motu circulari, necesse est alterā lineā deuenire ad locum alterius; sed simul necesse est vnam lineā distare ab alia per spatia infinita, quæ non possint pertrāsiri; Ergo implicat corpus infinitum moueri motu circulari; nullo ergo modo moueri posset, si esset corpus infinitum; & tamen omnia corpora naturalia sunt mobilia, vt dictum est. Plura alia Aristoteles locis citatis.

Secūda ratio. Omne corpus naturale aliqua figura figurarum est, sed quod est figuratum, est finitum; Quia non efficitur figura nisi per terminos quantitatis; ergo omne corpus naturale est finitum. præterea hoc corpus, si naturale esset, vel esset elementare, vel non, si non, esse non posset vbi sunt elemētata, & tamen si esset infinitum deberet occupare omnia spatia, & omnem locū; si esset elementare neque infinitum esset; quia finiretur vbi inciperet aliud. & hæc de quanto continuo; de discreto fit.

Tertia ratio. Quantum discretum nō cōponitur nisi ex singulis continuis; ergo infinitum quātum discretum haberet infinita numero cōtinua; sed quodlibet illorū postularet distinctum locum ab alio; quia continua se penetrare non possunt; ergo requirerent infinitum locum, ac proinde locus mūdi non posset finiri per vltimū cœlū, quod patet esse falsum. Quare falsum est posse esse infinitam quantitatem discretam naturaliter.

Quarta ratio. omnis numerus vel est par, vel impar, nec intelligi potest numerus, qui nec par sit, nec impar; sed omnis numerus par vel impar est finit[9]; Ergo in rerū natura nulla datur quantitas discreta infinita.

Pro solutione.

Notandum, quod nihil in rebus naturalibus admitti debet infinitum; quia natura vitat infinitatem, & confusionem, omniaque habet certis limitibus circūscripta; nā præcipua ex naturalibus totum constituētia cū sint materia & forma, quæ finitæ sunt, & locū finitū postulāt, & dispositiones, & virtutes actiuas, & alia huiusmodi finita exigūt. præterea partes principales mundi, elemēta nimirū, & cœli, vt cōstat ex motu finita sūt, cætera vero, de physicis loquendo, ex ijs cōstāt p̄ generationē, ad quā necessariæ sūt dispositiones, & principia generatiua finita; quia secus nūquā absolueretur generatio; vnde necesse est omnia naturalia finita esse. prætetquamquod omnia naturalia finitæ quædam essentię sunt, cū sint quædam limitatæ præcisiones entis, finitæ autem naturæ finitas vires postulāt, & perfectiones, vt proinde necessario omnia, quæ in natura sunt, finita sint. nam vel essētiæ sunt, vel essentiarum vires, & perfectiones, omniaque accidentia entis sunt entia, idest naturarum substantialium additamenta, quæ intra finitatem restringi & ipsa debent naturarū: incongruum enim esset infinitū esse accidēs, vbi finita est substantia, cuius est accidens; nam actus secūdus & entitatiuus respōdere debet actui primo, & essentiæ. Quare in natura nihil infinitum est; nam infinitas, quam aliqui actu admittunt incontinuo supra exclusa est, & a doctrina peripatetica valde remota est, vt prçter alia dicta proximæ etiam manifestarūt Aristotelis rationes. Quare

Dicendum in rebus naturalibus non dari infinitum, nec continuum, nec discretum. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia omnia naturalia sunt propter suas operationes; sed ad operationes necesse est, quod sint finita; ergo omnia finita sunt. Minor probatur; quia operationes physicæ vel sunt generationes, vel augmentiones, vel alterationes, vel lationes, vt iam ostensum est: hæ autem in infinitis esse non possunt, non lationes, vt dictum est; non alterationes; quia nunquam finientur; & cum fint propter generationem, nunquam fieret generatio: Non augmentationes; quia infinitum augmentum requirit infinitum spatium, in quo fit, nec etiam finiri potest; vnde nunquam actu erit; non generationes; quia generatio constat ex finitis, & determinatis principijs: Ergo.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, Quod infinitas; quæ est proprietas quantitatis est infinitas syncategorematica, idest finitas actu cum vlteriori potentia ad aliud in infinitum. Quare quantitatis proprietates sunt non finitas, & infinitas simpliciter; quia cum vna neget alteram repugnat, quod vtraque conueniat perse quantitati; quia nulla res per se postulat pugnantia; sed est finitas simpliciter, & infinitas secundum quid, nempe syncategorematice; quia

quia data quacunque diuisione in cõtinuo, cum partes diuisæ sint continuæ, adhuc illis idem conuenit: Nam continuum, vt homogeneum, non potest diuidi in nõ continua, vt proinde finiri eius non possit diuisio; Sed hoc procedit de diuisione obiectiua; nam à parte rei deuenitur ad minimum physicũ, ita S. Thomas prima parte q 7. art. 3. & cum illo ibi Caietanus § ad vltimum.

Ad secundam Patet ex dictis partes proportionales non esse actu in continuo, nec infinitas actu esse posse, cum inter se neque actu distinctæ sint, quod adhuc magis apertum fiet, si cõsideremus, quod talis est natura partium proportionalium, vt posterior non sit sine destructione prioris; nam si debent esse tertię, vel quartę medietates actu, iam debent desijsse esse primæ, & secundæ medietates; imo cum primæ, & secũdæ medietates eandem dicant entitatem, quam dicunt tertiæ & quartæ, impossibile est, quod hæ sint ab illis realiter distinctæ.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod in illo tempore, quo ponitur approximati luminosũ ad opacũ neque sũt partes, neque instantia infinita, sed partes actu assignabiles, & instãtia sũt actu finita, quibus possũt correspõdere in lumine producto partes & mutata esse finita, per quæ maius censetur factũ lumẽ; & certe cũ experiẽtia doceat lumen productum in illa suppositione esse finitum; imo nec forte peruenire ad octo gradus manifeste arguuntur falsitatis illi, qui ponunt actu aliquod instans, aut partes in continuo; quia posito, quod in illo tẽpore, puta horæ, quo est facta intẽsio, sint partes, & instãtia actu infinita, cũ in singulis ĩtẽsio sit facta maior, necessario in fine erit infinita. Nã quod quidã respõdẽt, nõ esse infinitã, licet instãtia sint actu infinita; Quia vnũ instans non sequitur post aliud; sed post instãs sequitur tempus nihil est; quoniam in singulis instantibus in lumine erit aliquid maius, & in singulis partibus interiectis inter instantia het aliquid luminis distinctũ; nec illos tuetur quod addunt, quod sicut tẽpus est finitum, ita & intensio; nã si infinitæ essent partes, & instantia temporis actu, neque tempus esset finitum, neque intensio. Quare si demus in primo instãti productionis fieri aliquid luminis, hoc, & si instãs nõ habet proportionem cum tempore, nec cũ eo mẽsurari potest, tamen mensurari potest cum reliquo lumine, & habet cum eo proportionem; Quia eiusdem rationis est cum illo, nimirum sicut illud aliquid determinatum formæ diuisibilis. Neque enim productum retinet rationem mensuræ, in qua producitur, vt non sit proportionabile cum reliquo producto, sicut instans non est proportionabile cum tempore.

Dices tantundem formæ productæ erit accipi infinities in infinitis instantibus assignabilibus; ergo infinita forma.

Respondeo primum quidem non esse assignabilia positiue infinita instantia in tempore, sed dici solũ infinita instantia negatiue, quatenus cum nulla parte tẽporis instãs proportionabile est, sicut & excessus diametri excedit costã infinite negatiue per negationem scilicet proportionis, & mensurabilitatis.

Secundo vero dico, quod dum agens per aliquod tempus operatur non habet se ad nouam actiuitatem pro instanti assignabili in illo tempore, cũ sicut instans se habet, vt indiuisibile complementum temporis illud finiens, ita & quod in eo fit sit vt indiuisibile complementum eius, quod productum est, & exercitium actiuitatis non possit esse, vt nouum exercitium, sed vt complemẽtũ indiuisibile eius, quod vsque ad illud instans durauit in actu, vt proinde neque ex parte producti, neque ex parte producẽtis quidquam de nouo accipi possit, nisi per modũ indiuisibilis spectantis ad diuisibile præcedens, vt eius terminus indiuisibilis, quod nõ auget formam, neque nouam dicit actiuitatem producentis, & dispar ratio est de potentia finitæ actiuitatis, quando non est in actu, & præparatur ad actum: nam tunc nõ videtur impossibile, quod exeat in actũ aliquem instantaneum si sine motu agat, Verum si sit in exercitio agendi pro aliquo tempore impossibile est, quod pro instanti illius habeat se, vt potens ad nouum actum, quia sicut tale instans spectat vt indiuisibile ad tempus, ita & actiuitas spectat ad actiuitatem, quæ iam est in actu, & in suæ actionis exercitio consumpta est, siue consumitur.

Dices lumen, quod producitur in instanti sit vt vnum, & intendatur per quadrantem, tunc in minoribus, & minoribus partibus quadrantis plus luminis erit productum; Ergo in quadrantę in-

intensio si non sit infinita ad minimum erit summa, qualem fieri non experimur in quadrante.

Respondeo in tali casu duo attendi debere, vnum est approximatio, qua fit intensio, quæ cum sit certæ latitudinis certā quoque dicit latitudinem excessus in virtute actiua luminosi comparata ad passum, vt proinde in quacuque parte assignabili quadrantis, solum tantū plus luminis possit luminosum producere in passo, quatū excedit actiuitas cōparata ad approximationē maiorē, quā dicit tūc luminosum, quę cū sit intra tantam latitudinem, puta tota in toto quadrante erit forte, vt vnum, proinde tanta erit quāta diuiso illo vno in partes ęquales, & acceptis partibus correspondentibus formæ exhauriatur illud vnum. Secundū quod attendi debet est, quod aliud est loqui de forma, quæ fit per se, aliud de illo eius, quod in ea fit cum alia; per se semper fit forma alicuius determinatæ magnitudinis, sed in ea potest fieri minus & minus in infinitum, vt proinde quilibet excessus in forma fatis fit ad æquandum excessum, qui erit in tempore intensionis respectu instantis, cum sit æque, ac ille, diuisibilis in infinitum, & consequenter in qualibet parte tēporis assignabili fiet aliquid formæ de nouo; non quod de se acceptum tantum sit, vel plus, quantum factum est in primo instanti, sed quod augeat illud seruata debita propositione huius partis ad totum excessū actiuitatis per maiorem approximationem. Itaque in qualibet parte assignabili non debet tantum plus fieri de forma, quantum factum est in primo instanti; Quia non sic se habet excessus actiuitatis ad passum, sed solum aliquid augens illam, quod seruet suam proportionem ad totum excessum, qui est in toto quadrante intensionis, attento augmento actiuitatis agentis per approximationem proportionali: In quolibet autem instanti assignabili solum acquisitum erit aliquod mutatum esse, quod proprie non auget formam.

Art. 2. Vtrum infinitum actu dari possit in rebus creatis saltem per diuinam Omnipotentiam.

PRima sententia affirmatiua, quæ concedit infinitū fieri posse a Deo est Ocami in secundo Quæ. 8. Almaini ibidem Ariminensis in primo dist. 43. q. 4. Aliacensis dist. 42. quæst. 13. art. 3. Pererij l. 15. cap. vltimo. pro qua etiam citantur Algazelus, Auicenna, & alij.

Secunda sententia negatiua, quę negat in vllo genere posse fieri infinitum actu videtur S. Thom. quod l. 9. art. primo. prima parte q. 7. art. 2. 3. 4. Caiet. ibidem S. Bonauent. in primo dis. 43. q. 3. Ricardi ibidem q. 5. & 6. Durandi q. 2. Capreoli & Hispalensis q. 1. Scoti in 2. dis. 2. quæ. 3. & aliorum.

Pro prima sententia sit prima ratio. In singulis instantibus vnius horæ potest Deus creare singulos angelos, vel etiam plures; sed dicta instantia non sunt finita; Ergo poterit Deus producere infinitum.

Secunda ratio. potentiæ operatiuæ debet correspondere propositionatus actus, præsertim cum operatur secundum suum vltimum posse; sed potentia dei creatiua est infinita; ergo illi correspondere debet effectus infinitus; poterit ergo Deus producere infinitum. Confirmatur quia si Deus non ageret libere, sed ageret ex necessitate naturæ, vt verbi gratia agit ignis, vel effectus, quem efficeret Deus esset infinitus, vel finitus; non finitus; Quia finito effectu exhauriri posset potentia Dei, ac proinde esset valde limitata; ergo esset infinitus; sed cum non minus possit Deus ex eo, quod agit ex libertate; cur enim non possit agendo libere, quod potest naturaliter? Ergo Deus efficere poterit infinitum.

Tertia ratio. non implicat Deum facere quidquid potest facere, cum hoc depēdeat solum ex eius voluntate: faciat ergo; vel hoc erit finitum, vel infinitum, si infinitum, habetur intentum; si finitum, Ergo Deus non potest facere malus quocunque finito. quod est aperte falsum apud omnes catholicos, & sapit errorem Petri Abailardi, de quo

quo Valdensis Thomȯ primo suorum operū lib. 1. art. primo cap. 1 o. quod postea tenuit ViKleff, & ante hos quidam philosophi, vt habetur ex S. Augustino. 12. de ciuit. cap. 18. qui putarunt Deum non posse facere nisi quæ fecit:

Quarta ratio. Deus cognoscit actu infinitum; Ergo illud potest facere. Probatur consequentia primo; Quia Diuina omnipotentia non est minor diuina intelligentia. secundo si repugnat fieri infinitum, hoc nō potest esse ex parte diuinæ omnipotentiæ; Quia argueret in ea impotentiam, & imperfectionem; repugnabit ergo, si repugnat, ex parte infiniti; sed hoc non potest esse, nisi quia infinitum inuoluat aliquam repugnantiam; sed non minus illam inuoluit in diuina cognitione; Ergo vel à Deo non cognoscitur, vel ab eo potest effici.

Dices Deum cognoscere quidem actu infinitum. sed ly actu cadere supra Diuinam cognitionem, ita vt propositio hæc. Deus cognoscit actu infinitum faciat hunc sensum diuina cognitio, qua Deus infinitum cognoscit est tota simul actualis, sicut est etiam tota simul actualis, qua nos cognoscimus rem aliquam successiuam, licet res cognita non sit simul actu. sed contra est; Quia ea, quæ cognoscit Deus, simul sunt obiectiue, nec prius Diuinæ cognitioni repræsentatur vnum, quam aliud, nec vnum repræsentatur confuse, & obscure, alia clare; & distincte; sed omnia clarissime, & distinctissime illi repræsentantur; Ergo Deus cognoscit infinitū actu prout terminus actu determinat infinitum; & illud distinguit ab infinito syncategorematice, atque adeo terminus obiectiuus diuinæ cognitionis est infinitum actu; ergo poterit hoc ad extra Deus producere; nam si aliquo modo repugnat eodē modo repugnabit quatenus stat obiectiue in diuina cognitione.

Secunda ratio. nullum est tantum corpus, quo Deus non cognoscat aliud. maius esse possibile; Ergo cognoscit aliquod infinitum; Ergo illud poterit efficere. Confirmatur. quia Deus cognoscit infinita spatia imaginaria, quæ ipse replet sua immensitate; Ergo cognoscit infinitum quantum, quo illa spatia repleantur; Ergo & illud poterit facere.

In contrarium pro sententia negatiua, quod Deus non possit facere infinitum actu sunt hæ rationes; prima si potest facere infinitum actu, hoc sit corpus aliquod; tum in corpore illo infinito ducantur duæ lineæ, quæ se intersecent, & faciant angulum, tum protendantur in infinitum; vel illud spatiū contentum lineis erit finitum, & hoc non; Quia lineæ protenduntur in infinitum; vel infinitum, & hoc non; Quia est contentū lineis, & per eas finitur; Ergo neque erit finitum, neque infinitum; imo & finitum, & infinitum erit, quæ dicunt contradictionē. Confirmatur ex Aristotele primo phys. Tex. 38. vbi hæc habet. Amplius autem in infinitis corporibus inesset vtique iam caro infinita, & sanguis, & cerebrum separata tamen ad inuicem, nihil autem minus entia, & infinitum vnumquodque, hoc autem irrationabile est. ex quibus sic licet argumētari. si faciat Deus corpus infinitum, hoc cōstet tribus partibus heterogeneis, carne, vt dicit Philosophus, sanguine, & cerebro: nihil enim refert si faciat Deus corpus infinitum homogeneum, vel heterogeneum; singulæ eius partes non poterunt esse finitę; Quia non facerent vllum infinitum; Ergo erunt infinitæ; sed hoc vt ait Aristoteles est irrationabile; tum. Quia partes essent ęquales toti; tum quia esset vnum infinitum, & multiplex; Ergo.

Secunda ratio. Nullum potest esse corpus, quod non sit in aliqua spęcie mathematica, puta vel quadratum, vel rotundum &c. Ergo nullum potest esse corpus infinitum: Patet consequentia; Quia corpus infinitum nec esset quadratum, nec rotundū &c. Vlterius nullum potest esse corpus sine figura; sed corpus infinitum esset sine figura; Ergo non potest esse corpus infinitum.

Tertia ratio de infinito in quantitate discreta, vel infinitus ille numerus, quem ponitur Deum posse facere, esset par, vel impar; si par, illi addi poterit vnitas. & fiet impar, ac proinde non erit infinitus; si impar; eodem modo illi addi poterit vnitas, & fieri par.

Dices futurum nec parem, nec imparem. Contra Quia non minus est de natura numeri, quod sit par, vel impar, quam sit de natura hominis, quod sit capax disciplinæ, & de natura animalis, quod sit rationale, vel irrationale; sicut ergo non potest fieri ani-

animal, quod non sit rationale, vel irrationale, ita nec numerus, qui non sit par, vel impar.

Quarta ratio. si potest fieri infinitum in numero; fiant ergo infiniti homines, vel plures erunt capilli ipsorum, & sic erit aliquid maius infinito, vel non plures, & hoc repugnat, cum singuli homines habeant multos capillos. Præterea in numero infinito, vel plures essent binarij quaternarijs, vel non; si dicatur primum pars maior erit suo toto; si secundum; contra est; Quia singuli quaternarij habent duos binarios.

Quinta ratio. De ratione numeri est, quod colligatur ad faciendũ aliquod vnũ; nam vnitates per se seorsim non sunt numerus, vt certum est; sed infinitum non potest colligi, nec numerari; Ergo non potest numerus esse actu infinitus. Præterea quicunq; ponatur numerus, in eo esse debet primus binarius, & prima vnitas, cum non ascendatur ad binarium, nisi per vnitatem; neque ad ternarium, & quaternarium, cæterosque numeros nisi per binariũ. Nec dicas, quod in numero infinito sunt infiniti binarij; nã in nullo numero actu plures sunt, quam vnus binarius. Quoniam quæcunque vnitates binarijs addantur, constituent alios numeros, nõ binarium; sed si datur primus binarius, consequenter dabitur & prima vnitas, & sic omnis numerus habebit principium; vbi autem principium est, & finis quoq; est, ergo omnis numerus est finitus: Implicat ergo quod aliquis fiat numerus infinitus. Confirmatur ex 3. phys. Tex. 41. vbi censet philosophus de ratione numeri esse, quod possit numerari; cum tamen si esset infinitus numerari non posset. ait enim. At vero nec numerus sic est, vt separatus, aut infinitus; numerabile enim est numerus, aut habẽs numerum; si ergo numerabile potest numerari, & pertransire vtique possibile erit infinitum. Hæc Aristoteles.

Sexta ratio. Quidquid fit cadere debet sub certa intentione facientis; sed infinitus numerus non potest cadere sub certa intentione faciẽtis; Ergo non potest fieri à Deo. patet maior; Quia nullum agens per intellectum agit, si per intellectum determinatum non sit. Minor probatur; Quia sub certa, & determinata intentione est certum & determinatum obiectum; sed numerus infinitus non est determinatus; Ergo non cadit sub determinata intentione, ac proinde producibilis non est.

Pro solutione.

Notandum, quod nunc sermo est de eo, quod potest fieri à potentia Dei absoluta. Nam licet in Deo vna tantum sit potentia, secundum tamen nostrum modum intelligendi, in duas quasi distinguitur, cum res nobis huius distinctionis præbeat occasionem, distinguitur inquam potẽtia Dei in absolutam, & ordinariam siue ordinatam; ordinatam appellamus diuinam potentiam, vt subiat decreto diuinę sapientię res creatas ordinantis, quas cum fecerit in certo numero, pondere, & mensura, diuina potentia vt sic est determinata ad certos effectus, & modos operandi, quos cum obseruat non solum ordinatam potentiam, sed ordinariam appellamus. Verum absolutam potentiam vocamus eandem potentiam vt nulli subsiat particulari decreto diuinæ sapientiæ, sed vt respicit diuinam voluntatẽ, & sapiẽtiã secundum omnem latitudinem, quæ proinde dicitur potentia extraordinaria; Quia operatur supra decretum ordinarium Dei, & Omnipotentia; quia habet pro termino quidquid quocunque modo est factibile; vnde multa non sunt intra obiectũ ordinariæ Dei potentiæ, quæ sunt intra obiectum potentiæ absolutæ; & solum intra obiectum huius dicitur nõ esse illud, quod repugnat, & inuoluit contradictionem; Quia huiusmodi ens non est ens, sed repugnantia entis, ac proinde factibile non est; Quoniam factibilitas est passio veri entis ab alio, quale est omne ens creatũ, & creabile. Itaque cum quæritur vtrum à Deo fieri possit infinitum in natura sermo est de ente ab alio, & creabili, pro vt respicit potentiam absolutam Dei: Vtrum scilicet aliquid in ordine creato, quod sit infinitum possit fieri à Deo, quod idem est ac si quæratur vtrum ratio infiniti in ente creato implicet contradictionem. Quæstio est valde perplexa & difficilis, & quæ humanum superat captum; quando tamen humana curiositas nihil inausum, intentatumque reliquit, audendum est. Et primum considerandum est, quod hoc potest quęri vel de ente in aliquo particulari genere, vel de ente absolute; ens absolute infinitum videtur illud, quod tale est in ratione substantię, & ratio est; Quoniam cętera genera sunt quę-

dam

dam complementa substantiæ, vt proinde si substantia finita non sit, nihil ei possit addi, nec per aliud, quod sit extra genus ipsius compleri: Nam si quid addendum est, quo careat, carentia, & negatione huius finita, & limitata erit; cum vt essentia per se stans, non habeat in se aliquid, quod proinde extrinsece accipere debet, quod si in suo intrinseco actu haberet, non acciperet extrinsece; Quia habens illud in meliori actu frustra acciperet in actu deteriori: Quod autem in se essentialiter, & in actu sui habet omnem perfectionem, substantia intellectiua est; & quia primus gradus substantiæ intellectus est (primum autem esse oportet, quod cæterorum contineat melius, quam illa, dignitatem) Et quia non vniuntur perfectiones entis simpliciter nisi in esse intellectiuo, quæ dum sparsæ sunt, & limitatæ sunt; cum vnaquæque ita in suo esse coarctetur, & sub ente solum sit aliquid entis, cum aliquid aliud entis sit in alio, quod nec in eodem genere in se habet, nec in esse meliori, vt proinde simpliciter in ente nihil possit esse infinitum, nisi sit substantia intellectiua in actu intellectiuo omne habens intelligibile, & ita quidem habens, vt necessario à se habeat, vel ad minimum ita habens, vt illud ipsum habeat, quod habet substantia, quæ à se habet, cum qua proinde vnum erit; Quia illud ipsum erit, cuius vnitas passio est, nimirum illud ipsum primum illimitatum ens intelligibile continens omnem rationem entis in prima perfectione, & gradu entis, quod est intelligibile; vnde non poterit esse ens creatum; Quia quod habet summam, & infinitam actualitatem in ente, non potest esse potentia, & ex potentia transire ad actum; Quod autem creatur, cum creatione accipiat actum, potentia ex se est, non actu; vt proinde hæc duo repugnet esse simpliciter infinitum in esse, & esse creatum. Quare nihil creatum simpliciter poterit esse infinitum.

Vtrum autem in aliquo particulari genere aliquid possit esse infinitum, considerandum est. Et sane cum in quocunque genere, ens creatum de potentialitate participet, nec ita dari ei possit actus, vt potentialitate penitus exuatur; quia quod alicui essentiale est, ab eo tolli non potest; de essentia autem cuiusque entis creati est, non esse sibi sua essentia tale, quod est; consequenter ita tale est, vt possit non esse actu tale; vnde siue quantitas, siue qualitas, quæ facta est, potuit non fieri, & fieri maior; vel minor, & hæc potentialitas ab eis tolli non potest, quia essentialis est; si enim linea hæc non est idem, quod linea, consequenter hæc linea poterit esse, & nō esse, & poterit fieri maior additione, & minor detractione, nec erit, quod est alia linea, sed poterit vnum esse cum illa. Quia omne continuum cum alio vnibile est, sicut & diuisibile est; sed si aliqua linea sit infinita, nec erit omnis linea; Quia in ea esse lineam, & esse hanc idem non est, ac proinde, sicut dictum est, simpliciter in genere lineæ actus non est; poterit ergo cum alia vniri, & fieri maior, ac proinde infinita erit; Quia talis ponitur, & infinita non erit; Quia negatione & carentia illius lineæ, quæ ipsa non est, finita erit; finit enim negatio, non positiuum, cum magis hoc faciat latitudinem entis, vt proinde etsi infinitum ex vi nominis, & notatione eius sit illud, cuiusquantuncūq; accipientibus extra, vt dixit Philosophus, semper est accipere; tamen ex vi rei illud esse oportet, cui negatio repugnat alicuius in eo genere, qua finiatur, vt consequenter si infinitum esse debet, & exuere debeat omnem potentialitatem, & omnem actualitatem includere, quæ excludat omnem negationem eius, quod ei possit addi; Quia dum eo caret, negatione eius finitum est: Quare sit perfectum, sit totum, cuius nihil extra est; non erit tamen infinitum, extra quod aliquid est, cuius actu carentiam habens, consequenter carentia, & negatione eius finiatur; Quia infinitum, & finitum erit; sed cum dato cuiuscunque particularis generis infinito, Verbi gratia quantitatis, adhuc possibilis sit quantitas, ad quam in potentia est, & actu carens illa, finitum, & infinitum erit; Vnde infinitum in ente creato pugnantia inuoluet, nec factibile erit; Quia omne limitatum erit, cum non possit non habere actu carentiā, & negationem alicuius in eo genere, quo limitetur, & finiatur; vnde sicut

alibi diximus, limitatum est omne creabile, & consequenter multiplicabile, & in re infinitum cum toto aliquo, & perfecto coincidit non cuius, sed cui nihil extra est. Totū autem, siue perfectum est, cuius aliquid extra non est. Quanquam Philosophus definiens infinitum in quantitate, nomen definiuit, non rem, quam non putauit definibilem; Quia putauit repugnare, nisi magis dicere velimus, solum definiuisse infinitum syncategorematicum; tamen siue hoc solū, siue illud etiam definiuit, nominali tantum definitione explicauit, non essentiali; Quia repugnantium sicut non est essentia, ita nec vera definitio; cum hoc autem, quod notio nominis infiniti in aliquo genere sit, de quo accipientibus sēper extra adhuc est accipere, optime stare poterit, vt quo ad rem, si vere aliquid infinitum sit, negatione, & carentia finiri non possit, ac proinde & totum saltem continere debeat, quod in illo genere entis est; neque enim dicimus infinitum, cuius nihil extra est, sed cui nihil extra est in illo genere; non quia hoc directe dicat infinitum; sed quia directe excludit negationes, quibus finiatur, quæ non possunt ei adesse, nisi aliquid extra sit, cuius sint negationes. Sed iam

Dicendum infinitum in essentia, & substantia nullo modo esse creabile à Deo, sed nec creabile videri infinitum actu in vllo alio genere entis. Vtraque pars satis patet ex dictis. Secunda vero inductione confirmari potest; Et primo in quantitate discreta, quæ numerus est, cui illud essentiale esse videtur, vt ab vltima vnitate constituatur, ita quinarius, ita senarius &c. In infinito autem vltimum non est, vt proinde verus numerus infinitus esse non possit; nam, & numerus, qui quantitatis species sit, mēsurabilis esse debet, Quia ratio quantitatis mathematice, sicut dictum est, consistit in mensura; infinitum autem mensurari non potest. Itaque nullus verus numerus infinitus esse potest; sed nec esse potest infinita multitudo; Quia talis vnitatum collectio haberet omnes vnitates, nulla enim careret ne secus carentia, & defectu alicuius finita, & limitata esset, cum sicut dictum est, negatio positiui maxime cum capacitate ad illud, finiat; nam sicut positiuum dilatat, ita; oppositum negatiuum contrahit, & finit; desinit enim ibi vlterius extendi. Quia re ne simul sit finita, & infinita multitudo; infinitum in ea concedere non debemus; neque enim tot vnquam fieri poterint vnitates, Quin à Deo fieri possint aliæ: quibus multitudo illa actu careat, & possit augeri, ac proinde tali carentia in suo genere limitetur, quæ cum valeant quoque in continuo siue quantitatiuo, siue intensiuo nec in illis infinitum concedere licebit. Solum de duratione infinita à parte ante maior aliqua posset esse difficultas. Sed neq; tale actu cōcedi potest infinitum, quod deducitur ex iisdem principijs potentialitatis, quam in se necessario includit ens creatum, cum qua repugnat infinita actualitas, quam necessario dicit infinitum actu, vt autem breuiter in hac quoque re id ostendatur.

Illud tanquam certum constituendum est: Omne ens creatum ex eo, quod à se non est, consequenter ex nonesse transire debere ad esse, & prius saltem natura fuisse non esse, quam esse; vnde semper actu finite ponitur in esse: non enim infinite; nam secus ex suo intrinseco non diceret aliquid incompossibile, & repugnans, nimirum potuisse non esse. repugnat enim cum infinita latitudine essendi intrinseca rei existentis posse non esse, & esse ex non ente; cum ergo omnis duratio creata sit ex nonente, ac proinde intrinsece finita, si fieri debet æterna, euadere debet infinita solum extrinsece ex manutenentia in esse per infinitum tempus a parte ante, sed hoc esse non potest; Quia ex vi acceptionis esse, quid finitum est, sicut dictum est, quod proinde vt sic solum coexistit finito; per manutenentiam vero in hoc esse euadit durans infinite post finitum; Ergo non est infinita a parte ante; Quia infinitum a parte ante non potest habere pro principio finitum. Et hæc ratio si bene penetretur conuincit intentum; Vnde Gregorius Ariminensis sententiam contrariam defendens in 2. dist. 1. quæ. 3. cum incidisset in rationem, quæ ex parte coincidit cum dicta, & conatus fuisse eam soluere videns vt est ingenij perspicacis solutionē nō satis facere cōcludit illam verbis illis. Cui non placet hæc responsio procuret meliorem. sed de hac quæstione plura tractatu sequenti, vbi euidentius monstrabitur hæc veritas.

Solum hic addendum illud, quod sequitur

tur ex dictis, non posse esse eandem rationem de æterna verbi diuini productione, & de productione creaturæ ab æterno. Quia productio verbi intrinsece, sicut habet latitudinem actualem infinitam diuinæ naturæ, ita, & habet intrinsecam durationem infinitam ex haurientem omne tempus; Vnde in nulla parte temporis coexistit, vt deficiens intrinsece, sed vt excedēs: productio vero creaturę coexistit intrinsece vt deficiens; Quia in qualibet parte illius temporis, siue etiam si accipiatur instans, vere recipit totum esse, vt quantum est ex suo intrinseco pro alia parte temporis, vel alio in stanti possit non esse, ac proinde creatura omnis accipit Intrinsece durationem finitam; vnde non potest esse ab æterno; Verum productio verbi diuini, & omnis actus diuinus accipit intrinsece durationem infinitam; ac proinde hæc excedit omne tempus; vnde negari debet de illa, quod conceditur de hac, cum quo ruit præcipuum fundamētum, quo prædictus auctor dogma conatur stabilire oppositum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod in hora solum actu possunt accipi finita instantia, vt patet ex dictis supra de cōtinuo, & illud probat; Quia secus successiuum trā siret in permanēs, & hora finiri nō posset.

Ad secundam respōdeo dicendum, quod potentiæ æquiuocæ & excedenti nō potest correspōdere vnus actu effectus, qui ipsam adæquet; Quia tunc non esset potentia excedens; sed tantum syncategorematice plures, maiores, & maiores; diuina autem potentia, quæ commensurata est diuino esse excedit in omni perfectione esse creatum. Ad confirmationem respondeo dicendum, quod si Deus ageret ex necessitate naturæ, non esset Deus, nec posset facere quidquid modo potest facere; Quoniam multa potest nunc secundum differētias temporum, quæ simul sunt impossibilia; Quæ non minus impossibilia essent in illa positione; quia non esset diuina libertas, quæ determinaret diuinam potentiam ad vnum potius ex repugnantibus, quam ad aliud. Præterquamquod in eadem mensura finita deberet esse diuina natura, vt causa necessaria cum suo effectu, ac proinde diuina omnipotentia in se non esset æterna magis quam sit quodcunque creatum.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod implicat, quod Deus faciat quidquid potest facere aliter quam potest facere; vnde si potest facere solum infinitum syncategorematice, vt solum potest, repugnat quod illud faciat simul, & categorematice.

Ad quartam respondeo dicendum, quod extra se Deus non videt vllum infinitum in essentia, & substantia; in quantitate autem discreta, & continua si videret aliquod non posset illud facere saltem ex suppositione, quod vellet ea, quæ sunt eiusdem rationis multiplicare, & alia de nouo constituere; magis autem nullum videt; Quia omne ens creatum ratione potentialitatis, quā in sua essentia includit finitum est; Quare cum dicitur Deus cognoscit infinitum actu distinguendum est cognoscit infinitum actu ex parte potentiæ, idest actu infinito suæ cognitionis, siue cognitione actuali distincta, quæ est infinita, non autem cognoscit infinitum actu ex parte obiecti, sed actu quidquid cognoscit extra se distributiue finitum est.

Dices ergo solum actu cognoscit finitū? Respondeo etiam ibi distinguendum actu finitum, distributiue cognoscit solum actu finitum, distributim & confuse non cognoscit actu finitum, sed infinitum, siue finita in infinitum; non tamen tot, quin plura; nec tamen vnquam actu infinita sicut posito, quod duraturus sit mundus in æternum nunquam actu erunt dies infiniti, nec simpliciter tamē erunt finiti, sed copulatiue finiti, copulatim infiniti, quod illud infinitum est, quod appellamus syncategorematicum. Et per hæc patet

Ad quintam rationem Deum scilicet cognoscere corpora maiora, & maiora in infinitum, nullum tamen actu infinitum. Dices omnia simul? Respondeo copulatiue finita, copulatim infinita, sicut & de numeris dicendum est, si hoc quæratur de illis, & de diebus futuris in æternitate.

Ex dictis patet solutio ad illud, quod sic obijciunt aliqui. Prædicatum infinitatis, seu ratio infiniti non repugnat neque in primo, neque in secundo modo dicendi per se prædicatis creaturæ; Ergo a diuina Omnipotentia cum illis est componibile. Patet inquam repugnare saltem in secundo modo dicendi per se; Quia excludit a creatura prædicatum potentialitatis, quod imbibi-

turin quocunque ente creato, sicut cætera prædicata transcendentia in inferioribus.

Objicies contra conclusa hic & superiori articulo; in doctrina peripatetica mūdus est æternus; Ergo actu infinitæ fuerunt cęli circulationes, & dies, & quod maius est actu infinitæ sunt animæ hominum, quæ post mortem hominum infinitorū, qui fuerunt, immortales adhuc perseuerant, vt 3. de anima docet Aristoteles.

Ad hunc nodum tollendum de animabus Alexander posuit animas hominum mortales, quod & fecit Auerroes de omnibus animabus docens remanere solum vnum quid, quod est omnibus commune nimirum intellectum agentem: alij transmigrationem animarum in corpora concesserunt, non multū a dogmate Pythagoræo, vel platonico abhorrentes. Alij dixerunt repugnare solum infinitū actu in corporibus, & in ijs, quæ habent ad inuicem ordinem, quod S. Thomas scundo contra gent. cap. 81. putat principijs ab Aristotele positis non repugnare. Ego existimo cum alijs in hoc doctrinam Peripateticam pati veritatis defectum, vt fere solet sine speciali Dei priuilegio in aliquo omnis doctrina creata; Nam cum sæpius Aristoteles neget infinitum, & non semel repetat illud. non posse dari terminum; & vltimum in infinito, quod esset illud finiri, ponit deinde mundum ab æterno, in quo necesse est dari infinitum, & hoc infinitum simul esse finitum; Quia & mundi hodie datur vltimus dies, & vltima anima hominis, qui modo genitus est; Ad quos terminos cum per ordinem ex primis ad sequentes ventum sit, consequenter habuit finem, quod positum est infinitum, quod est simul ponere idem finitum, & infinitum. Nec dificultatem tollit, qui dicit, fuit infinitum a parte ante; nam siue ante, siue retro in infinito non venitur ad vltimum procedentibus per ordinem, ita vt omnia transeantur, Ex prioribus autem diebus per ordinem ventum est ad hodiernum vltimum, non ex hodierno processit natura ad præteriros, per quod suæ imaginationi blandiuntur aliqui, Quasi in præteritis non reperiatur primum: Nam si non fuisset primum, nunquam ordinate esset omnium transacta collectio, & ventum ad vltimum; sed adhuc infinita esset distantia vsque ad hodiernum, qui est omnium dierum vltimus.

Et magnum discrimen est procedere per imaginationem ex hoc vltimo ad priores, & ex prioribus actu ventum esse a parte rei ad hunc vltimum. Nam dum per imaginationem ex hoc procedimus ad priores nunquam in nostra supputatione venimus ad vltimum; vnde tota nunquam finitur collectio; At vero a parte rei cum ventum est actu ex illis prioribus ad hunc vltimum, collectio tota actu finita est, & consequenter non potuit esse infinita, neque ab æterno, sicut ponitur; Quin simul ponantur opposita. Sed de his tractatu sequenti fusius.

DISPVTATIO TERTIA.

De Loco.

Corporibus, quia quanta sunt, conuenit locari, & locare; quare ratio loci maxime connexa est cū ratione quātitatis, post quantitatem igitur, & quęstionem de infinito, quæ cum quantitate tractanda fuit, de loco agere oportet, & primū quidem inuestigare necesse est, quid locus sit, & cui loci ratio conueniat; tum de loci proprietatibus, & ijs, quæ in loco sunt, ad quæ sequetur quæstio de vacuo, vt quod locus quodammodo sit, licet actu rationem loci non exerceat.

Inuocatio.

De loco dicturis faue Maiestas, quam non capiunt cæli, nec vniuersi spatia, nec locorum interualla; non longitudo quam finis, non latitudo, quam terminas, nō sublimitas, quam excedis, non profundum, quod sustentas; tu enim omni profunditate profundior, omni latitudine latior, omni longitudine longior, excelsior omni sublimitate; nam amplitudo cælorum, & la-

& latitudo elementorum, abyssorumque profunditas calculus est exiguus, & stilla situlæ, & gutta roris antelucani in conspectu tuo, & omnes gentes quasi non sint sic sunt coram te, quas exterres solo tuo nutu, & beas solo aspectu. O gloriæ immensæ maiestas, sine partibus vbique tota, & in cælo, & in terra, & in omnibus abyssis; non distracta spatijs, non angustata locis, non finita terminis; intra cælos non inclusa, supra cælos non diffusa, extra cælos non exclusa; nam supra & infra, intra, & extra apud te non sunt, sed apud creaturam tuam, quā fecisti, sicut voluisti, latam, longam, & profundam, cum nihil tale tu sis; quia & istæ, & quæcunque aliæ entis differentiæ sunt, apud te tales non sunt, & tamē apud te erant, antequam esset creatura tua, nec tamē sic erāt in te, vt in creatura tua, quā limitant, & coarctant, & diuersā faciunt, cum fine limitatione, & finitate, ac diuersitate apud te sint, qui omnem solus possides perfectionem sine omni imperfectione; latitudo enim est in te sine partibus, longitudo est, eritque sine extensione, sublimitas est maiestatis sine eleuatione, profunditas est sapientiæ sine depressione, idemque in te profunditas, & sublimitas, longitudo, & latitudo, proindeque simplicissima entitas tu es, & actus purus, quem impuri nos veneramur, & toto cordis affectu obsecramus, vt tollat ab oculis nostris multiplices sordes, & cæcitatis caliginem, vt in gloriam tuam, & vtilitatem nostram, vera videamus, & doceamus.

QVAESTIO PRIMA

De natura, & quidditate loci.

PEr locum intelligimus illud, in quo est ens positiuum substantiale per se stās; nam quæ sunt in alio vt in subiecto, vel vt pars in toto in loco propriè esse non intelliguntur; sed solum per accidens, ratione subiecti, & totius.

Art. 1. Vtrum locus sit interuallum quoddam positiuum.

PRima sententia affirmatiua, quæ vult locum esse interuallum varios habet modos sentiendi, nam primo Proclus apud Simplicium in digressione post Textum quadragesimum nonum vult locum esse spatium quoddam reale sphæricum, diffusum per totum vniuersum, & concentricum cum illo, quod totum vniuersum permeat, & primas ipsius partes vniuersi, atque hoc spatium putat esse corpus lucidum, immateriale, immobile, simplicissimum. spatium etiam per vniuersum diffusum admittunt Strato Lampsacenus, & Democritus, sed ex se vacuum, quod semper corporibus impletur; formatum illud censuit Syrianus, & alij Platonici, vt videri potest apud Simplicium loco citato, qui etiam alias opiniones refert.

Secunda sententia negatiua est communis Peripateticorum, & Aristotelis, qui cum eodem ponunt locum Physicum esse vltimam superficiem corporis continentis. Pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima ratio. huic interuallo coueniunt omnes proprietates loci; ergo vere est locus; patet consequentia; antecedens probatur, hoc interuallum est immateriale, separabile à locato, illique æquale; reperitur in quolibet motu locali etiam vltimæ sphæræ cui non potest assignari ille locus Aristotelicus. Ergo.

Secunda ratio. Illud debet esse locus, quod occupat corpus locatum; sed corpus locatum occupat huiusmodi interuallum; ergo hoc interuallum erit locus; maior patet; quia quod est in loco occupat ipsum locum; minor probatur, nam aqua, verbi gratia, quæ est in aliquo vase, vt constat ad sensum, occupat illud interuallum, quod est intra latera vasis, ac proinde tale interuallum erit ipsius aquæ locus.

In contrarium pro sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima ratio. Si locus est tale interuallum, quale dicitur nēpe positiuū, & corporeū, dabitur

bitur naturaliter corporum penetratio; quia cum hoc corpore penetrabuntur omnia alia corpora; sed, vt certũ est, penetratio dari nõ potest; ergo locus non potest esse tale interuallum corporeum.

Secunda ratio. vel hoc interuallũ est corpus Mathematicum, vel Physicum; non primum; quia hoc non potest existere sine subiecto, cum sit accidens; neque potest esse indiuisibile; vt esse deberet, si permearet omnia locata, cum sit quantitas; neque secũdum; quia hoc etiam esset diuisibile, mobile, & materiale, quæ repugnant cum interuallo, & loco, quem ipsi ponunt.

Tertia ratio, in isto interuallo non erit sursum, & deorsum, quæ sunt differentiæ loci; sed non potest esse locus sine suis differentijs, vt patet; ergo locus non potest esse huiusmodi interuallum; minor, & consequentia constant; maior probatur; quia totum illud interuallum est eiusdem rationis ergo non habet sursum, & deorsum.

Quarta ratio. hoc interuallum positiuũ, vel est substantia vel accidens; si primum vel materialis, vel immaterialis; si substantia immaterialis; ergo non poterit esse extensa, ac proinde non habebit trinam dimensionem; si substantia materialis; ergo debet esse mobilis, quod ab ipsis negatur; si accidens, vel in se subsistens, vel inhærẽs; primum dici non potest; quia nullum accidens naturaliter est sine suo subiecto, cum hoc ipsi repugnet; si inhærens; iam assignari debet subiectum, quod necessario erit substantia aliqua materialis, quæ tamen ex dictis esse non potest.

Pro solutione.

Notandum, quod plerique qui ponũt dictum interuallum, has illi assignare solent conditiones, primo dicunt ipsum habere debere æquales dimensiones cum locato, vt sit æquale locato; secundo nullam ex se habere materiam, aut formam materialem; quia debet indiuisibile, & impartibile esse, ne diuidatur quantumcunque permeetur à corporibus, & penetretur; censent enim nõ repugnare talem penetrationem, sed penetrationem repugnare ijs tantum, quæ habẽt materiam, quam non habere ponunt hoc interuallum; tertio debere esse distinctum à corporibus, quæ in eo continentur, quod semper idem remaneat, quantumcunque corpora moueantur, vel corrumpantur; quarto nunquam esse siue corpore aliquo, ne detur vacuum, sicuti materia etiamsi diuersa sit à forma, nunquam tamen est sine forma; deniq; esse immobile, quia si moueretur daretur locus loci. hæc illi de hoc interuallo. sed cõsiderãdũ est, quod nõ statim datur interuallũ, & habere eas cõditiones; quia illi eas fingimus, sed vel sensu constare debet esse, & dictas conditiones habere, vel ratione conuinci; sensu certè nihil nobis constat de interuallo positiuo, siue ponatur esse corpus, & substantia, siue tantum accidens, restat ergo vt ratione cõuincatur illud esse admittendum; ratio nulla firma afferri potest, cùm inductione non colligatur, quod illud sub sensum non cadat, vt fieri possit inductio, nisi forte ex ipsa mutatione locati & successione plurium corporum in eũdem locum argumentari velimus; nam cum plura copora sibi in eundem locum succedant, videtur locus esse aliquid positiuum, corporum receptiuum, quod cum ipsis simul sit penetratiue: sed iã illud perpendere oportet, quod cum inductione, & ipsa ratione constet, quid quid est per se subsistens substantiam, & omnem substantiam corporeã præditam esse aliquo accidente sensibili, contra rationem est, vel ponere aliquod accidens per se subsistens; vel aliquam substãtiam corpoream, quam nullo sensu deprehendamus; huc accedit, quod corpus locatum, vt sit in loco, non videtur exigere penetrationem cum vllo alio corpore; sed potius respuere, ne duo sint in eodem loco & magis requirere videtur pro loco, vbi sit, negationem corporis, quam corporis; nã cum locatum sit quasi complementum, & expletio loci, & expletio quidem loci quasi ipso negati, vt visus est actus oculi, ad recipiendum locatum prærequiri potius videtur quid negatiuum, quàm positiuum. quare

Dicendum, locum non posse esse interuallum aliquod positiuum, quodcunque hoc ponatur patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia hoc interuallum vel est à se perpetuum, & æternum, & hoc dici non potest; quia nihil à se est nisi Deitas; neque ens tam imperfectum, quale est hoc interuallum, quod fingitur, potest esse à se; vel est à Deo factum, & hoc necessario dici debet, si autem factũ est, vel factum est antequam fierent elemẽta, & cæli, & hoc dici non potest; quia ex scri-

scriptura, ante productionem cælorum, & elementorum habemus nihil factum esse à Deo, præsertim corporeum; si factum est post; ergo fuerunt locata ante locum, quod est absurdum, & locus potius receptus est in locatis, quàm locata in loco; adde, quod, etiamsi daretur factum esse hoc interuallũ ante cætera corpora cælestia, & terrestria, tamen non sufficeret; nam cum factum est hoc interuallum, alicubi factum est; ergo fuit locus ante locum; quia fuit locus, vbi reciperetur hoc interuallum, antequam esset interuallum, quæ sunt absurda.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod non possunt cõuenire proprietates loci rei, quæ locus non sit, quare in hoc peccat argumentum, quod supponit esse, quod probat esse, ac proinde petit principium.

Ad secundam respondeo dicẽdum, quod si locatum occuparet hoc interuallum positiuum, illud penetraret, & cum necessario quantum esset, duo quanta se penetrarent, quod naturaliter esse non potest; occupat ergo locatum solum interuallum negatiuũ factũ à superficie concaua locantis, siue loci.

Obijcies, locus est id, ad quod tendunt corpora per motum localem, vt in eo conseruentur, & conquiescant; sed corpora non mouentur ad vltimam superficiem, nec in ea conseruantur; sed potius ad interuallum, vel spatium, quod est inter latera corporis continentis, in quo conseruantur; ergo interuallum potius est locus, quàm vltima superficies; probatur minor; quia lapides, verbi gratia, non mouentur ad vltimam superficiem aquæ, quæ secundum Aristotelem est locus terræ, sed ad centrum eiusdem terræ, in quo reperitur interuallum recipiens.

Respondeo dicendum, quod cum corpora moueantur, vt vnumquodque seruet suũ locum in mundo, & graue sit sub eo, quod est leuius, & leue sit supra graue, consequẽter mouẽtur ad superficiem, graue leuioris, magis graue minus grauis, ex quo est, vt lapides; quia grauiores sunt aere; & aqua moueantur, vt sint sub aere, & aqua, vnde si vsque ad centrum perduraret aer, seu aqua, eousque mouerentur lapides, non proprie, vt occuparẽt aliquod interuallum positiuũ, sed vt essẽt sub corpore magis leue; ac proinde in forma concessa maiore, negatur minor; nam vere grauiora conseruantur sub superficie leuioris, quantum scilicet conseruari potest locatum à loco.

Art. 2. Vtrum locus sit aliquod interuallum negatiuum.

Prima sententia affirmatiua est quorundam apud Auicennam secundo sufficientiæ capite sexto, quam etiam Plutarcus libro primo de placitis tribuit Epicuro, & Stoicis; Simplicius in digressione post textum quadragesimum nonum tribuit Democrito, & alijs; eandem sequitur Scaliger exercitatione quinta numero tertio.

Secundam sententiam negatiuam sequũtur communiter Peripatetici.

Pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. locus est terminus motus localis. sed terminus motus localis reperiri debet ĩ omni motu locali; solũ autẽ hoc interuallũ negatiuũ reperitur in omni motu locali; ergo solũ hoc interuallũ erit locus. quod locus sit terminus motus localis patet, quia res mouẽtur, vt aliquẽ locũ acquirãt; quod autẽ solum tale interuallum negatiuũ possit reperiri in omni motu locali probatur; quia si aliquid moueatur supra vltimam sphoeram nõ poterit habere pro termino sui motus, ac proinde pro loco, vltimam superficiem, nec vllum interuallum positiuum; ergo solum habebit hoc interuallum negatiuum, quod idem ostenditur, si fiat motus in vacuo.

Secunda ratio, si locus per se daretur corpori quanto, quod videtur docere Aristoteles quarto Physicorũ, textu sexto, ergo daretur etiam vltimæ sphæræ, quæ quanta est, sed nisi dicamus locum esse interuallum dictum hęc nullum habebit locum; quia pręter tale interuallum, & ipsam sphæram, nihil aliud est, vbi est suprema sphæra; ergo locus nihil aliud est, quam interuallum negatiuum.

Tertia ratio. illud est locus, quod communiter omnes intelligunt nomine loci, neque enim circa rem maxime sensibilem putandum est errare omnes homines; sed homines naturæ ductu intelligunt per locũ illud spatium, quod occupant corpora; ergo tale spatium negatiuum est locus. Confirmatur, quia dicimus singula corpora, & totum

torum vniuersum esse in suo loco; & quod, si totum vniuersum deprimeretur, singula corpora seruarent eundem ordinem inter se, & tamen dicerentur mutasse locum; non mutassent autem nisi interuallum negatiuũ ergo vere tale interuallum est locus.

In contrarium pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima ratio, corpora quãdo mouentur ad locum, non mouentur ad nihilum; quia non intendunt pro termino consequi nihil; sed tale interuallum negatiuum nihil est; ergo tale interuallum non est locus.

Secunda ratio. locus debet continere locatum, illud ambire, illi esse equalis; &c. sed hæc non habet dictum interuallum, vt certum est, quomodo enim contineat locatum, & illud ambiat, si nihil est; ergo.

Tertia ratio. locus debet habere differentias positionum, debet scilicet habere sursũ & deorsum, & debet esse separabilis à locato; sed in negatiuo interuallo hæc nõ sunt; non ergo tale interuallum est locus.

Pro solutione.

Notandum, quod cum versemur in re maxime sensibili, difficilis tamen est ipsius decisio intellectu, imaginatione que non bene cohærentibus; nam imaginatio non concipit locũ sine aliquo interuallo vel positiuo, vel negatiuo actu; Intellectus nõ capit, quo modo habeat esse actu hoc interuallum negatiuum, dum in eo est corpus. Considerandum igitur est, quod hæc est natura quantorum, vt simul esse non possint nisi secundum sua extrema, quod non est in alijs rebus, quę quanta non sunt; nam de spiritibus certum est posse illos simul esse, nec ex eo, ꝙ vnus est alicubi excludere alium; cum ergo quãta simul esse non possint, nisi secundum extrema, & tamen sint in loco secundum se tota, Quærendum restat, vtrum habeant esse in loco ab extremis, & quid prærequirant vt sint in loco; nam locus videtur prærequiri ad locatum; sciendum igitur est, quod cũ vniuersum sit sphæricum, & constet pluribus corporibus, item figuram sphæricam retinentibus necesse est vnum contineri ab alio & cum contineri sit quodammodo locari, necesse erit vnum corpus respectu alterius habere rationem loci; sed tamen cum corpus contentum videatur occupare certum quoddam spatium, spatium autem non sit vltima superficies corporis continentis, sed ad summum ab ea fiat spatium, adhuc quæritur vtrum secundum rem ad corpus locatum prærequiratur spatium negatiuum, an vero solum mera imaginatione constet hoc spatium negatiuum. Et sane cum talis sit natura quantitatis, vel vt melius dicam ex quantitate nascatur, vt partes, quæ in ea assignari possunt, non possint sibi mutuo esse præsentes, neque etiam esse præsentes eidẽ parti spatij, quod imaginamur ibi esse, vbi est quantitas, certum est, vbi cõcipitur vna esse quantitas, ibi præsupponi ab illa quantitate negationem alterius cuiuscunque quantitatis, & vbi est vna pars quantitatis præsupponi negationem alterius partis; illud tamen vlterius dubium est, an tota ipsa quantitas præexigat siue vlla prorsus imaginatione negationem simpliciter tantæ quantitatis, & talem negationẽ præexistentem, eo pacto, quo potest præexistere negatio, tollere debeat quantitas, quæ intelligitur collocari alicubi: res est in cõtrouersia apud Auctores, de qua tamen copiosè sequenti articulo, nunc certum sit, quod si Deus relicto aere, vbi est nunc cum cæteris corporibus, quæ sunt supra ipsum aerẽ, annihilaret terram, intra superficiem aeris nihil esset, & tamen esset negatio tantæ determinatæ magnitudinis, & non maioris; neque enim dato illo casu videtur intra latera aeris quicquam posse collocari, quod maius sit ipsa terra; certe hoc dicere est sine vllo fundamento, & ratione; cur enim cum ante annihilationem intra superficiem cõcauam aeris non posset comprehendi nisi corpus tantæ magnitudinis, quantæ est terra, post annihilationem terræ sine miraculo recipi possit corpus maioris quantitatis, & magnitudinis, quàm sit terra? si ergo in dato casu absque beneficio imaginationis est negatio tantæ magnitudinis, quæ tolleretur per reproductionem terræ, si ibi reproduceretur terra, absolute videtur vbicunque collocetur aliquid, ibi ex natura rei præexistere negationem determinatã, quæ si non tolleretur per positionem ibi huius, vel illius corporis, ibi esset vacuum; hæc si vera sunt, vt vera videntur, & pluribus infra ostendemus, iam ad propositum, cum nos per locum intelligamus aliquod interuallum, hoc autem posito corpore alicubi, iam ibi non sit distinctum ab ipso corpore, quoniam illud negatiuum, quod præ-

requi-

requirebatur, ex natura rei sublatum est per positionem positiui; negatiuum enim illud respicit tale positiuum, vt suum actu; restat tale interuallum quoad imaginationem nostram, quod dici potest locus imaginatiue, re tamen vera corpus locatum non continetur, nisi à corpore ambiente; quare re vera interuallum negatiuum non est locus Physicus, nisi imaginatiuè, cum præcisa imaginatione, posito corpore in loco iam non sit, quod apparet in dato casu de annihilatione terræ remanente aere; interuallum enim negatiuum, quod concipitur intra latera aeris, & vere est negatiue post annihilationem terræ, iam non est, postquam iterum terra est reproducta; quia negatiuum tollitur per positiuum contrarium, sicut cæcitas per visum. Attamen licet locus non sit tale interuallum, nisi imaginatiuè; quia tamen ista imaginario non est merè ficta; quia locatum ibi locatum non esset, nisi ibi præfuisset tantum interuallum negatiuum, inde est, vt per tale interuallum imaginatum comparatum præsertim ad alia interualla positiua saluentur ferè omnes denominationes, quæ prouenire solent corpori locato à loco, vnde quando cætera desunt de corpore locato multa vere dici possunt per hoc interuallum imaginatum, vt multa dici possunt vere de oculo cæco per cæcitatem; quare si sermo solum esset de loco, vt satisfacit denominationibus, & multis imaginationibus nostris, sufficeret ponere quocunque modo hoc interuallum; quia tamen sermo est de loco, vt passio est rerum Physicarum, & actu in loco sunt, congrue dici non potest, locum esse tale interuallum. Quapropter

Dicendum locum rerum Physicarum nõ esse aliquod interuallum negatiuum. Patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ.

Confirmatur præsertim illa ratione. locus tunc maxime est, quando actu locat corpus illud, quod in eo est; sed interuallum negatiuum tunc maxime non est, quando corpus est in loco; ergo eius locus non est hoc interuallum negatiuum. maior de se est clara, minor etiam patet in casu dato de annihilatione terræ; quare certa est consequentia.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod terminus motus localis non est aliquod interuallum negatiuum, si loquamur de eo, quod est naturaliter; nam non mouetur vllum corpus, vt sit præcisè in spatio negatiuo, seu quod præconcipitur ad motum fuisse negatiuum; sed vt respectu vniuersi talem ordinem habeat ad cetera corpora, & sub tali sit determinato corpore, eiusque superficie contineatur; quare pro loco assignari debet terminus, qui propriè terminus sit motus localis, & motus quidem naturalis; nam sicut cæteri motus non sunt propriè ad certa loca, ita nec proprios ac certos terminos habent, nec vero debent assignari tanquam loca illi termini, qui in quocunque motu concipiuntur à nobis esse tanquam termini, sed qui vere termini sunt ex natura rei; imo motus illi, de quibus in argumento, qui fierent supra vltimam sphæram non essent ad locum Physicum; quia ibi talis locus non est; quare ad argumentum in forma sic distinguenda est maior; locus physicus est terminus motus quacunque ratione positi neganda est maior, si locus inquam propriè, & physicè accipiatur.

Ad secundam patebit infra.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod in proposito cum imaginatio discrepet à ratione, non debet accipi pro loco illud, quod quocunque modo homines imaginantur esse locum; sed quod docent esse locum sapientes.

Ad confirmationem respondeo dicendũ, quod singula quidem corpora vniuersi in suo loco sunt, totum autem vniuersum propriè dici non potest esse in loco; quia vniuersum potius est entium locus, quam locatum; vniuersum enim est locus omnium entium, tamen secundum imaginationem nostram vniuersum dici potest esse in loco respectiuè ad alia spatia imaginaria.

Articulus tertius. Vtrum detur spatium, quod dicitur imaginarium, quod sit supra cælum, & esset vbi nunc est mundus antequam esset mundus.

PRima sententia affirmatiua est Molinæ prima parte qu.8. art.1. disp.3. Caier. in illud Io.c.12. Ego lux veni in mundum, Maioris in primo dist 17.qu.2. Soti 4 phys. quæst. 2. Conim.8 phys. Suarez in metaph. disp.30. sect 7. Ferrarien.8 phy. qu.4 Altisiodorensis lib.1. suæ summæ cap.16. idem tenuisse censetur S Thomas quol 11.art.1. Et Sancti patres agentes de immẽsitate Dei sese extra mũdum effundente. S. Gregorius Nissenus orat.2. de Theologia S. Basil. homil. 16. S.Dionysius cap.1. de diuinis nom. & cap.9. S Athanasius in Epist. Synodi nicenæ S.Hylarius in psal. 116. S. Augustinus lib.11. de ciui.cap.5. vbi habet illa verba. An forte substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco; sed de ea, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia, vbique totam à tantis locorum extra mũdum spatijs absentem esse dicturi sunt, & vno tantum, atque in comparatione illius infinitatis, tam exiguo loco, in quo mundus est occupatam? non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros. Idem censuerunt antiqui philosophi platonici, & Ficinus. lib 2. de immortalitate animæ cap.6. idem Eugubinus de perenni philosophia lib.4.ca 1. & ex antiquis Democritus, & Trismegis in Asclepio, & alij.

Secunda sententia negatiua est Scoti in primo dist 37.qu. vnica. Durandi. quæst.1. Andreæ de nouo castro qu.vnica, Vasquez prima parte. disp 29. cap.2. qui citat alios, & aliquos patres, & appellat hanc sententiam communem.

Pro qua sunt hæ rationes. Prima. spatium imaginarium, est per imaginationẽ; sed quod est per imaginationem non est à parte rei, Ergo non datur hoc spatium imaginarium à parte rei, sicut nec datur Chimæra, & alia, quæ fingit imaginatio.

Secunda ratio, vel hoc spatium imaginarium est aliquid positiuum, vel negatiuum; Si dicatur primum contra est; quia nihil positiuum fuit antequam Deus illud crearet in principio mundi. Et præterea positiua omnia sunt in mundo, in quo non est spatiũ imaginarium; Quia in mundo est spatium verum, & reale. Quare spatium hoc admitti non potest sine magna absurditate, & errore; Esset enim ens à se, & increatum, æternum, infinitum; si dicatur esse quid negatiuum; Ergo erit nihil; nihil autem non habet esse nisi ficte, & per imaginationem; non ergo hoc spatium poterit vere esse à parte rei præcisa omni imaginatione, vt ponitur.

Tertia ratio, si alicubi est hoc spatium maxime erit extra cælum. Assignetur ergo ibi per imaginationem spatium tripalmare, tunc sic licet argumentari; Vel in illo spatio tripalmari potest poni tãtum corpus tripalmare, vel potest poni totus mundus; hoc secundum est absurdum, vt apparet; Ergo primum; sed hoc etiam est falsum, quod probatur; Quia si ibi non potest esse nisi corpus tripalmare maxime quia ibi tantum est capacitas recipiendi corpus tripalmare; Et est negatio tãtum corporis tripalmaris; Sed vtrumque est falsum; Ergo. Probatur de secundo; Quia ibi non magis est negatio corporis tripalmaris, quam omnium aliorum corporum, & totius mundi; Quod probatur, quia dicta corpora ibi non sunt; vbi enim nõ est res dicere possumus ibi esse ipsius negationem. Probatur de primo; Ista capacitas, vel est aliquid positiuum, vel non; si non, erit nihil; si primum; de hoc positiuo sequuntur omnia absurda illata superius; nam dabitur aliquid positiuum extra Deum, quod à Deo factum non sit &c. quę non solum absurda sunt, sed erronea.

In contrarium pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima quando creatus est mũdus alicubi poni debuit; neq; n. totus mũdus potuit poni in spatio, vbi nunc est terra; Ergo ante mundi creationem erat spatium negatiuũ, vbi poneretur mundus mundo æquale, & cuius partes occuparentur à partibus mundi.

Secunda ratio, vel nunc de facto extra cælum

lum est spatium imaginarium, vel non; si primum habetur intentum; si secundum; ergo Deus nullibi est, nisi in mundo; atque adeo ad spatia mundi erit coarctatus, quod est contra veritatem scripturæ, & Patrum; Nam 3. reg. c. 8. habetur. Cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc &c. Caperetur autem Deus à cælis, si alia spatia non essent, quæ sua immensitate repleret.

Tertia ratio. Extra hunc mundum creet Deus alium mũdum, vel alicubi illum creabit, vel nullibi; non secundum; Quia creabit extra hunc mundum, & pono quod illum creet, vel contiguum huic mundo, vel parum distantem, vt iam dici non possit quod illum mundum nouum Deus nullibi creauerit; si autem alicubi creauit, proculdubio non creauit nisi in spatio imaginario.

Quarta ratio, moueat Deus totum hunc mundum in aliquam partem motu recto; vel tali motu acquiret aliquod aliud spatium, & aliquod relinquet, vel nullum; si nullum; Ergo mundus motus est, & non est motus; Quia non potest esse motus localis rectus nisi mobile deferat terminum à quo, & procedat ad terminum ad quem; si autẽ spatium reliquit, & aliud acquisiuit, hæc spatia non sunt, nisi negatiua, quæ dicuntur spatia imaginaria; Ergo datur spatium imaginarium. Confirmatur contra eos, qui negant motum esse formam aliquam realem, docentes esse solum successiuam coexistentiam mobilis ad spatium, & dicta spatia negantes. Impossibile est in eo casu moueri mundum, & non dari aliqua spatia; Quia si talia spatia non sunt mundus nulli rei extrinsecæ coexistet, & ex alia parte in mundo moto à Deo motus nihil est; Ergo mundus mouetur; Quia hoc denegari non potest diuinæ omnipotentiæ; Quæ enim negationis afferatur ratio, nisi effugium difficultatis? Et non mouetur; Quia eodem prorsus modo negatis spatijs se habet, atque prius, & intrinsece, & extrinsece.

Quinta ratio. Creet Deus extra hunc mundum alium mundum, ita vt inter hunc, & illum sit interpositum lignum vnius palmi, postea Deus destruat hoc lignum, & mundi maneant immoti; Vel inter duos mundos erit aliquod spatium negatiuum, vel non erit; si non erit quomodo illi mundi prius distantes immoti iam non distant? Quomodo alter ad alterum sine vllo motu locali approximatus est, cum prius esset distans per palmum? si est inter ipsos spatium negatiuum palmare ergo detur spatiũ imaginarium.

Confirmatur quia, si Deus creet duos mũdos se tangentes, cum vterque sit figuræ rotundæ, & tangat alterum in minimo necessario post contactum inter vtrumque est aliquod spatium, nisi velimus duos globos se tangere, sicut se tangunt duo corpora plana; Sed illud spatium non est positiuum, sed negatiuum; Ergo vere datur spatium negatiuum, quod appellant spatium imaginatium. Præterea post locum contactus in ipso angulo contingentiæ per aliquam distantiam ponat Deus quadratum quod tangat ambobus extremis lateribus vnius capitis vtrumque cælum, vel etiam cælos tanget ambobus extremis lateribus alterius capitis, & hoc non; Quia tangeret per totum latus, & sic linea recta commensuraretur curuæ: vel non tangeret, quod necesse est, & tunc inter latera quadrati, & vtrunque cælum est aliquod spatium, quod cum non sit positiuum erit negatiuum, quod dicimus imaginarium. Præterea in priori suppositione quod Deus creet duos mundos, & inter illos lignum palmare, vel poterit illos Deus ad inuicem approximare, vel non poterit. Hoc secundum quis dicat? si poterit approximare non ratione ligni, quod magis impedit; Ergo ratione spatij interpositi.

Sexta ratio, extra hunc mundum ducat Deus lineam rectam, quæ tangat polum arcticum, & ex vtraque parte extẽdatur linea illa multo plus, quam sit spatium totius orbis, & simul ducat aliam lineam ad polum antarticum, quæ sit priori lineæ paralella, vel illæ duæ lineæ considerataæ ex vna parte secundum capita, & extrema sui distant ad inuicem, vel non distant; si non distant, quomodo duæ lineæ paralellæ, & rectæ, quæ in medio distant quanta est latitudo totius orbis, coniunctæ sunt, & non distant secundum capita? Hoc enim est impossibile. Si distant distantia illa non est positiua; Quia nihil positiuum est inter illas acceptas secundum capita, cum vltra mundũ multum extensæ sint; Erit ergo negatiua, de qua est quæstio.

L 2 Sep-

Septima ratio relicto tantum sole immoto, & hoc cubiculo item immoto anihilet Deus omnia alia, quæ sunt in mundo, vel sol, & hoc cubiculum distabunt, vel non distabunt; hoc secundum videtur ridiculũ quomodo enim sol approximatus est huic cubiculo, & cubiculum soli, cum prius esset tanta distantia; si distant, cum iam nihil aliud positiuum sit in mundo præter solem, & cubiculum, distantia non poterit esse per aliquid positiuum; Erit ergo per spatium negatiuum, quod dicitur imaginarium.

Pro solutione.

Notandum, quod cum nos ex notis procedere debeamus ad ignota in proposito quid nobis dicendum sit videre possumus ex eijs, quæ nota sunt, & extra controuersiam; est autem extra controuersiam, quod si Deus faceret vacuum intra corticem nucis, ibi non esset nisi determinata distantia negatiua, in qua procul dubio recipi non posset nisi corpus, quod haberet magnitudinem nucis; nam si quis dicat, ibi posse recipi montem, aut totam terram, vt quidam dicunt, non erit confutandus, cũ afferat euidenter absurda: nam cur cortex ille, cum ante reciperet solum nucleũ nucis, post corruptionem illius capit montem? vnde iam habet hanc capacitatem, quam non habebat ante? Præter quam quod cum extrahitur e cortice nucleus, vt ibi ingrediatur aer, prius natura debet dari negatio aeris, & tamen non potest in corticem illum plus aeris ingredi, quam esset nucleus: cur ergo iam aliquid maius in corticem illum ingrediatur, si quod debet esse prius natura, fiat prius tempore per diuinam omnipotentiam; & relinquat Deus post extractionem nuclei in cortice ipsius vacuum? Euidens ergo est, quod dicebatur in cortice illo vacuo non esse nisi determinatum spatium negatiuum: Hoc porro spatium negatiuum certe nihil positiuum est, & tamen ibi est capacitas determinati corporis positiui, & non maioris: Neque hæc capacitas est a superficie corticis; nam superficies non est capacitas de se profunditatis, si spatium ibi non sit. Considerandum igitur est, quod capacitas, quam dicit spatium est per modum talis determinati quantitatiui: Etenim cum duæ quantitates naturaliter se penetrare non possint, vt alicubi ponatur aliqua quantitas, præsupponitur ibi prius natura negatio quãtitatis, & quidẽ tãtæ quãtitatis quãta ipsa est; negatio ergo determinatæ quantitatis vt sic à parte rei ante omnẽ cõsiderationem intellectus, est spatium negatiuum, & capacitas, de qua est difficultas, quæ proinde dici solet habere se per modum priuatiui; non quia dicat aliquam aptitudinem positiuam, sed quia a parte rei est negatio determinatæ quantitatis, & non quomodocunque, sed quantitatis ibi locabilis; negatio enim, quæ facit spatium, tolli non potest nisi per determinatum positiuum; similis fere est cæcitas; nam præciso positiuo oculi, sicut cæcitas tolli non potest, nisi per determinatum positiuum, idest per visum; neque enim tollitur per auditum, vel aliud quid huiusmodi; ita spatium imaginarium est negatio determinati quanti, ibi ponibilis. Nam & si nos concipimus ibi esse spatium negatiuum etiam postquam ibi collocatum est positiuum; vere tamen non est eo modo, quo potest esse negatiuũ; sed est positiuum contrarium, sicut quando in oculo posita est visio, non est amplius cæcitas. Quare spatium imaginarium est quid negatiuum ante omnem considerationem intellectus, sicut aliquid negatiuum est cæcitas, etiamsi nullus consideret, & est negatiuum, quod tantum tolli potest per determinatum positiuum, non quomodocunque; sed ibi positi. Nam considerare oportet, quod corpus quantum, cum hoc quod concipitur habere esse reale determinatum, adhuc tamen habet quandam indeterminatam indifferentiam, vt sit hic, vel ibi, ac proinde indifferens est, vt per sui positionem tollat præsequisitam negationem sui, non in esse entis, sed in esse hic, vel ibi locabilis, Hæc negatio cum est a parte rei, facit spatium Imaginarium, cum est inquam a parte rei, non præcise huius, vel illius corporis quanti; sed omnis tanti corporis quanti, quæ proinde tolli non potest nisi per aliquod tantum corpus quantum, siue deinde sit hoc siue illud. Quare.

Dicendum vere nullo cogitante intellectu extra cœlum dari spatium negatiuum, quod nos imaginarium appellamus; quia per imaginationem illud concipimus tanquam positiuum, & huiusmodi spatium fuisse negatiue ante constitutionem mundi,

di, vbi modo est spatium positiuum per corpora creata mundi, Patet conclusio ex dictis, & rationibus partis affirmatiuæ.

Confirmatur; quia sicut negatio entium possibilium, puta negatio Antichristi tolli non potest nisi per positionem antichristi, & negatio Antichristi non est quid mere fictum, sicut negatio chimæræ, ita corporis alicubi locabilis antequam ibi locetur, vere est negatio talis corporis, vt locabilis, & hoc præcisa omni imaginatione, & conceptione intellectus; sed negatio corporis vt locabilis, cum non sit præcise negatio corporis, sed corporis vt tanti, & alicubi determinate receptibilis, debet respicere determinate tantum corpus ibi ponibile, ac proinde dari a parte rei: quam negationem cum nos non concipiamus nisi per modum spatij positiui, bene dicitur spatium imaginarium. datur ergo spatium imaginarium, vbicunque non sunt vlla corpora, ibi tamen ponibilia.

Confirmatur vlterius, quia ex eo, quod Deus est immensus, & omnipotens sunt ab ipso producibilia spacia realia in infinitum; Ergo ante quam illa producat datur negatio talium spatiorum possibilium; sed negatio spatij rei possibilis quanta est spatium imaginarium. Nam negatio tanti spatij realis possibilis, quantus est mundus, erat ante constitutionem mundi spatium imaginarium, vbi modo est mundus; Ergo, & extra cælum spatium mundi ibi possibilis, siue realium negatio spatiorum ibi possibilium creari a deo, est spatium imaginarium.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam patet ex dictis.

Ad secũdam respondeo dicendum, quod spatium imaginarium non est nihil quomocunque sed est nihil tanti corporis ibi locabilis; quod autem hoc pacto est nihil potest esse negatiue a parte rei, sicut est cæcitas; nam cæcitas negatiue est in oculo, nec tamen est oculus, nec aptitudo ipsius positiua ad videndum, neque est proprie extra oculum; sed est in oculo carentia tali determinata forma, quæ in oculo esse potest: Discrimen tamen est, quod in cæcitate supponitur aliquid positiuum, hic nõ; Quia non est sermo de carẽtia formæ in alio, sed de corporis locabilis prærequisita priuatione, quæ non supponit subiectum, sed præsupponitur ad tale subiectum.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod in assignato spatio imaginario tripalmare, non potest esse nisi corpus tripalmare; quia ibi licet dici possit esse quodammodo negatio omnis corporis, non est tamen negatio omnium corporum, vt ibi locabilium, sicut in vola manus dici quidem potest esse negatio omnium corporum, quæ ibi non sunt absolute loquendo, non est tamen negatio omnium corporum, vt ibi locabilium; quia secus in vola manus posset naturaliter collocari mons. Ad illud, quod istatur de capacitate respondeo, quod capacitas spatij imaginarij non est quid distinctum ab ipsa negatione, quam dicit spatium modo dicto; nam esse a parte rei negationem tanti corporis, vt a parte rei locabilis est esse capacitatem, vt tantum corpus ibi collocetur; Quare nihil est, quod instatur; Quia talis capacitas, & negatio hic non differunt, & concessa a parte rei dicta negatione statim est capacitas ad recipiendum corpus, licet hæc omnia nos non concipiamus nisi per modum positiui.

Obijcies. nihil potest esse quomodocunque independens a Deo; sed si daretur dicta negatio, quæ facit spatia, esset independens a Deo: ergo non datur. Respõdeo dicẽdum, quidquid sit de maiore, quę nõ est simpliciter vera; Nam aliquid priuatiuum aliqua ratione est inde pendens a Deo vt hominum peccata secundum suam formalitatem priuationis rectitudinis debitę inesse minorem esse falsam; Quia ex immensitate Dei, tanquam ex primo fonte, nascitur spatium imaginarium; ex eo enim quod Deus est infinitus, possibilia sunt spatia realia finita in infinitum; sicut ex eo, quod Deus est æternus possibilia sunt tempora in infinitum. Porro spatij realis possibilis dum non est existentia, & dum non reducitur ad actum, est negatio; spatiorum autem realium possibilium negatio, est spatium, de quo quærimus, Quæ negatio tanta est, quantum est possibile spatium, & ibi esse dicitur, vbi spatium reale esse potest; vnde cum ponitur spatium imaginarium non ponitur aliquid in-

independens à Deo, sed ponitur, quod poni necesse est posito Deo; nam sicut posito Deo necessario ponuntur possibilia entia creata,& donec actu sint, consequenter est ipsorum priuatio; ita & posito Deo, ipsiusque immensitate necessario ponuntur possibilia spatia realia, quæ dum actu non sunt, consequenter est ipsorum priuatio, quæ dicitur spatium imaginatium.

Obijcies secundo. omnis negatio, quæ datur à parte rei, præsupponit subiectum, in quo fundetur; sed hæc negatio spatiorum realium, quę dicitur spatium imaginarium, non habet subiectum; Ergo non potest dari à parte rei.

Respondeo dicendum, quod quadruplex assignari potest genus negationum.

Primū est illorum entium, quæ repugnāt, & huiusmodi negationes sunt solum in cōceptu mentis; Quia à parte rei nihil est, quod repugnet, nec à parte rei esse potest, vt per hoc, dum non est, dici possit eius esse negatio: nam si repugnantium darentur negationes, consequenter daretur negatio negationis.

Secundum genus negationum est illorū entium possibilium, quæ per se sunt, & tales negationes dici possunt esse à parte rei ratione potentiæ, quæ fundat illorum possibilitatem.

Tertium genus est negationum formarū, & hæ sunt à parte rei, tum ratione potentiæ actiuæ, per quam possunt fieri, tum passiuæ, & subiectiuæ, in qua possunt fieri, & hæ dicuntur esse in subiecto, & sine subiecto non sunt saltem naturaliter; Quia formæ, quarum sunt negationes, sine subiecto esse non possunt.

Quartum genus est negationum entium finitorum quantorum, quatenus in spatio locabilia sunt; & huiusmodi negationes nō solum non præsupponunt subiectum; sed illis subiectum repugnat; Quia vnum subiectum quantum cum alio penetratiue stare non potest naturaliter. Et hæ negationes ante omnem quantitatem fundantur in Dei immensitate, & eius omnipotentia, sicut dictum est, & terminatiue dicunt quanta sic locabilia, & hoc ante omnem imaginationem, & considerationem intellectus. Quare obiectionis factæ negatur maior.

Obijcies tertio, Patres cum respondent Gentilibus, qui quærebant, vbi fuisset Deus ante creationem mundi, dicunt Deum fuisse in se ipso, ita Tertullianus in lib. contra Praxeam cap. 5. ante omnia Deus inquit Tertullianus erat solus, & ipse sibi & mundus, & locus, & omnia, & Augustinus in ps. 122. Antequam faceret Deus cælum, & terram, vbi habitabat? &c. in se habitabat Deus, apud se habitabat, & apud se est De⁹. Et Bernardus lib. 5. de consideratione. Alias inquit, vbi erat antequam mundus fieret, ibi est. Non est, quod quæras vltra vbi erat; præter ipsum nihil erat; Ergo in se ipso erat. ita ille. Sed si darentur dicta spatia facilius patres respondissent, in illis fuisse Deum; ergo non dantur.

Respondeo dicendum, quod à patribus, respondendum fuit, quod erat præcipuum, Deum non indigere loco, vt sit; sed bene Deo locum satis sufficienterque in se esse.

Præterea respondeo non esse Deum in spatijs, tanquam in aliquo ente, quod petebat interrogatio, sed tanquam, vbi possit operari, & facere ens, ac proinde bene non respō dissent per spatia imaginaria.

Adde tertio non fuisse minus controuersum de his spatijs tunc, quam sit nunc, ac proinde responderi non debuisse per id, quod apud omnes non erat exploratum.

Demum non ideo Deus est, & alicubi est; Quia spatia sunt; sed ideo spatia sunt eo modo, quo dictum est; Quia Deus est; ac proinde in se est, & in se immensus Deus; Et quia Deus est immensus, spatia sunt, qualia dicta sunt.

Art. 4. Vtrum locus sit vltima superficies corporis continentis.

PRo parte affirmatiua est Aristoteles lib. 4. physicorum Tex. 39 & 41. & peripatetici communiter, Contra quos tamen pro parte negatiua sunt hæ rationes.

Prima. corpus naturale est in loco quatenus habet trinam dimensionem; Ergo, & locus debet habere trinam dimensionem; sed superficies duas tātum habet dimensiones longitudinem, & latitudinem; Ergo superficies non potest esse locus.

Secunda ratio. locus est æqualis locato; sed æqualitas solū repetitur in corporibus eiusdem mensuræ; Ergo locus debet habere

trinam

trinam dimensionem, sicut & locatum; sed superficies non habet nisi duas; Ergo superficies non est locus.

Tertia ratio. locus est immobilis; sed vltima superficies corporis continentis non est immobilis; Ergo vltima superficies non est locus; maior patet per auctoritatē Aristotelis, & communem sensum hominum, qui putant locum debere esse immobilem. Minor probatur; quia superficies mouetur vna cum corpore continente; non ergo est immobilis.

Quarta ratio. locus est id, ad quod tendunt corpora, vt in eo quiescant, & conseruentur; sed corpora non mouentur ad vltimam superficiem, nec in ea conseruantur; Ergo. maior patet: Minor probatur; quia lapis cum deorsum descendit non mouetur ad superficiem aeris, vel aquæ; sed ad tale spatium. Præterea aer non conseruatur à superficie ignis, cū potius ignis aerem consumpat: Ergo locus non est superficies cōtinentis.

In contrarium pro sententia affirmatiua Aristotelis sunt hæ rationes prima. superficies corporis continentis habet omnes conditiones loci; Ergo est locus; patet consequentia; quia impossibile est omnes conditiones loci quadrare in aliud, quam in locum. Antecedens probatur; conditiones loci sunt continere locatum, nō esse aliquid locati, esse locato æqualem, esse ab eo separabilem, habere positionum differentias nimirum sursum, & deorsum; Esse terminū motus localis; hæc autem omnia conueniunt dictæ superficiei; continet enim locatū; non est pars, vel vlla intrinseca forma locati, est illi æqualis quoad continentiam, cum illud totū ambiat; est separabilis a locato; habet differentias positionum, cum aliæ huiusmodi superficies sint sursum, vt superficies cæli Lunæ, qua continetur ignis; aliæ deorsum vt superficies æris, qua continetur aqua, aquæ qua continetur terra; & est terminus motus localis; Quia ad hanc mouentur grauia, & leuia.

Secunda ratio textu 35. lib. 4 physi. vsque ad Textum 40. locus vel est materia, vel forma, vel spatium, vel superficies prædicta; neque enim aliud de loco cogitari potest; sed non est materia, neque forma; Quia materia & forma non separantur a corpore, cum sint illius partes constitutiuæ; locus autē separatur a corporibus in eo receptis; locus igitur non est materia, neque forma. Præterea quod mouetur, mouetur vt acquirat aliquid, quod non habet; sed corpora, quæ mouentur, & antequam localiter moueantur, & dum mouentur habent suam materiam, & formam; Ergo locus non est materia, neque forma; quod neque spatium sit locus iam probatū est; restat ergo, quod sit superficies corporis continentis.

Pro solutione.

Notandum, quod loquendo de loco Naturali vnumquodque corpus physicum petit sibi eum locum in mundo, quo habito congruenter sit dispositum totum vniuersum, & singula corpora sint in proprio loco; congruenter autem disponitur vniuersum si corpora, quo sunt perfectiora, & leuiora eo locum obtineant nobiliorem, cæterisque sint superiora: & hoc valet præsertim in corporibus simplicibus; quæ primario constituunt vniuersum. Porro cum propter constitutionem vniuersi alia ex corporibus sursum esse debeant, alia deorsum, & quæ deorsum sunt ita copulari oporteat cū iis, quæ sunt sursum, vt eorum extrema sint simul, ne detur vacuū; inde est vt locus corporis inferioris sit corpus superius, cum superius inferius contineat; non est autem locus nisi per vltimam superficiem, qua continet corpus inferius, & quod dictum est de corporibus simplicibus, quæ sunt prima constitutiua vniuersi, valet etiam proportionaliter in mixtis, quæ cum habeant determinatum locum in corporibus simplicibus, vltima superficies ipsorum mixta ambiens reputatur mixtorum locus. quæ vt clarius appareant considerandum est, quod terra nunquam censetur obtinere suum locū nisi fuerit sub aere: neque enim in loco est per tale spatium; Quoniam si mons remaneat in spatio, in quo est modo, & sub ipso ponatur aer, mons deorsum mouebitur, nō vt acquirat spatium; Quia retinet idem spatium, quod habebat prius, quando sub ipso aer non erat, sed alia erat terra; & tamen tunc censebatur esse in suo spatio naturali; vnde quod postea moueatur, & in spatio naturali non sit, causa est; quia tunc censetur terra esse in suo spatio naturali, quando est sub aere, quod idem apparet in aere respectu ignis, & in cæteris corporibus simplicibus, quæ localiter mouentur, vt sint infra,

vel supra aliud corpus simplex, cum quo colligata esse debent, vt vniuersum constituant, & quod dictum est de corporibus simplicibus, valet respectiue etiam in corporibus mixtis, quæ quoniam sequuntur elementum prædominans, ibi esse volunt, vbi cum suo prædominante contigua esse possint, nisi aliud obest; vnde ipsa si grauia sunt petunt esse sub leuioribus; si leuia supra grauiora, quod cernitur ad sensum in quibusdam liquoribus; nam oleum vt mixtum aereum vult esse supra aquam, aqua sub oleo. Quare & corpora mixta, & simplicia localiter mouentur, vt consequantur superficiem corporis sibi congenei, & proportionati, & propter hoc deserūt quoduis spatiū, quod secus ipsis esset naturale, quod argumentum est proprium terminum motus localis physici corporum & locum ipsorum esse non spatium, sed talem superficiem continentis. Quare.

Dicendum locum esse vltimam superficiem corporis continentis. Patet ex dictis, & Confirmatur; Quia corpora non mouentur sine causa; sed corpora, quæ quiescebāt, si non impediantur, per hoc solum mouentur, quod supra, vel infra ipsa est aliud corpus contra ordinem vniuersi; ergo mouentur, vt sint supra, vel infra dicta corpora, iuxta illud, quod exigit ordo vniuersi; sed per talem motum mouentur ad sua loca; Ergo loca ipsorum sunt corpora contigua; & quoniam inter corpora contingua vtrunque non potest dici locus, sed vnum habet rationem loci, alterum locati; locus erit corpus continens, continet autem per suam vltimam superficiem concauam, ac proinde vltima superficies corporis continentis, quæ non potest esse nisi concaua, erit locus.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod corpus naturale est in loco quatenus habet trinam dimensionem in hoc sensu, quod quia habet trinam dimensionem aptum est circumscribi, & contineri ab aliquo corpore, quod est esse in loco; non est autem in loco per trinam dimensionem suam quasi debeat se penetrare cum alia trina dimensione; quia hoc non est esse in loco, sed duo corpora se penetrare. Quare ad argumentum in forma concesso antecedente negatur consequentia; neque enim ex eo quod locatum est in loco per trinam dimensionem sequitur, quod locus debeat habere trinam dimensionem, cum locet secundum extrema, & per extrema.

Ad secūdam respondeo dicendum, quod locatum necessario habere debet trinam dimensionem, non quia per illam proxime fiat locabile, sed quia nihil habet superficiem aptam circumscribi, quod non habeat trinam dimensionem; quoniam superficies non est, vbi non sit trina dimensio, ac proinde trina dimensio quasi remote facit corpus locabile, proxime vero facit locabile, & locat superficies, quæ necessario in corpore præsupponit trinam dimensionem; cum ergo corpus proxime locetur per superficiem, per trinam dimensionem solum remote, inde est vt locus æqualis debeat esse locato per superficiem, ac proinde locus æqualis est locato æqualitate continentiæ, & superficiei; vnde ad argumentum cum distinctione neganda est minor. Nam æqualitas omnimoda non est, nisi inter corpora æqualis prorsus mensuræ: æqualitas continentiæ siue continentis & contenti est inter corpora diuersarum dimensionum, & mensuræ, dummodo habeant æqualitatē secundum aliquam superficiem.

Ad tertiam patebit infra.

Ad quartam respondeo dicendum, quod corpora, vt demonstratum est mouentur ad superficiem continentis, cum moueantur vt sint in tali superficie: quod dictum est de lapide, quod non mouetur, vt sit sub superficie aeris, vel aquę falsum est, quia cum est sub tali superficie conquiescit, cum alias etiam in eodem spatio, in quo erat prius, non quiescat ex eo solum, quod sub ipso est aliquid leuius fluxibile: falsum etiam est, quod addebatur, quod in superficie aeris ambientis non conseruetur locatum, vt postea dicetur.

Art. 5. Vtrum superficies sit de ratione formali loci.

PRima sententia affirmatiua est Toleti 4. physi. q. 4. conimb. q. 1. art. 2. foncin. 5. metaphy. q. 4o. conc. 2. foti 4. phy. q. 1. & aliorum. in contrarium pro sententia negatiua citatur landunus 4. phys. q. 4. dicens in loco esse

esse duo superficiem continentem, & qualitatem quandam conseruatiuam locati; primum se habere ad locum materialiter, secundum habere se quasi formaliter. Videtur etiam Scoti quolib. 11. art. 4. qui vult superficiem esse rationem materialem loci, formalem vero consistere in relatione continentiæ ad locatum, & in ratione distantiæ ad polos, pro hac secunda sententia faciunt hæ rationes.

Prima ratio. superficies est de prædicamẽto quantitatis; sed locus habet diuersum prædicamentum; Ergo superficies non potest esse de ratione formali loci; nam quæ sunt vnius prædicamenti non sunt de ratione formali alterius, cum diuersa prædicamenta distinguantur per diuersas rationes formales.

Secũda ratio. remanet eadem superficies, & non remanet locus; ergo superficies non est de ratione formali loci. probatur antecedens; nam si deus corrumpat aquam, & seruet aerem vt modo est, erit eadem superficies concaua aeris, quæ modo est, & non erit locus aquæ; Ergo superficies non est de ratione formali loci.

In contrarium pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes prima effectus formalis loci est locare; sed locare idem est, atque continere; Ergo forma, quæ dabit hunc effectum erit formaliter locus; sed forma hæc est superficies; Ergo superficies est formaliter locus, siue de ratione formali loci, quod idem est.

Secunda ratio. illud est de ratione formali loci, quod directe est de ipsius conceptu; sed de conceptu loci directe est superficies; Ergo superficies est de ratione formali loci. Maior patet; Quia res formaliter intelligi non potest sine sua formalitate; quæ est constitutiua conceptus eius. Minor probatur; Quia non potest intelligi locus circumscriptiuus, nisi directe intelligatur circumscribens; hoc autem est superficies corporis continentis; ergo superficies est de conceptu formali loci.

Pro solutione.

Notandum, quod superficies multipliciter considerari potest; nam potest considerari, vt est talis extensio corporis, cuius est superficies, & hoc pacto non est locus; sed species quantitatis. secundo considerari potest, vt est terminus profunditatis corporis, cuius est superficies, & hoc modo etiam non est locus. Tertio considerari potest, vt est apta circumscribere, & locare aliquod corpus, & hoc non magis dicit rationem loci, quam vacui. Vltimo considerari potest, vt actu circumscribit, & locat immobiliter aliquod corpus, & sub ista ratione est locus. Considerandum igitur est, quod ratio vltima constitutiua loci est continentia immobilis, porro hæc continentia non est aliquid distinctum à superficie connotante corpus inclusum. Nam non potest esse relatio; Quoniam dato etiam, quod ibi consurgat aliqua relatio prædicamentalis, quæ sit aliquid distinctum a superficie; tamen illa non potest esse formaliter locus; non enim formaliter locus est in prædicamento relationis, præterquamquod circumscriptio, & continentia, si rem altius consideremus, nõ est relatio; circumscribere enim, & continere, est per superficiem concauam ambire aliquod corpus inclusum, ad quod impertinens est relatio. Nam etiamsi tollatur omnis relatio, siue per diuinam omnipotentiam, siue per intellectum, & derelinquatur corpus continens, & in eo corpus inclusum, adhuc vere inclusum circumscribetur, & locabitur, & includetur illud locabit, ac proinde superficies ipsius, vt immobiliter corpus inclusum continens, erit locus; ex quo etiam apparet rationem formalem loci non esse qualitatem aliquam conseruatiuam; non solum quia talis qualitas est indiuerso prædicamento; sed etiam quia siue locus habeat talem qualitatem, siue habeat oppositam, dummodo habeat cætera requisita, adhuc erit locus. Neque enim negari potest corpus quodsit in igne, in aliquo loco esse; nam cur corpora damnatorum in igne Gehennæ posita non futura sint in loco? solum conseruare locatum erit forte proprietas loci physici, de quo postea. Cum ergo iam constet de ratione formale loci esse continentiam immobilem, & hanc non esse realiter distinctam a superficie connotante corpus inclusum, restat considerandum, quomodo ratio superficiei ad modo dictam rationem loci se habeat. Et sane superficies non potest ad illam se habere vt genus; Quoniam

continentia non contrahit superficiem ad aliquam speciem superficiei, sed potius se habet vt subiectum; Nam superficies, præcise considerata sub ratione superficiei indifferens videtur ad suscipiendā rationem continentiæ, & non suscipiendam; Vnde cum illi aduenit ratio continentiæ, etiam si præter corpus inclusum, & includens nihil illi reale addat, tamen ratio ista formalis continentiæ videtur illi quodammodo aduenire, vt subiecto; vnde superficies præcise considerata erit de ratione loci eo modo, quo subiectum methaphysicum est de ratione passionis metaphysicæ, ab eo realiter non distinctæ, materialiter scilicet potius, quam formaliter. At vero superficies vt immobiliter cōtinens erit ipsa ratio formalis & essētialis loci, in quo sēsu superficies, & continentia non erunt duæ rationes, sed vna; sicut neque duæ rationes sunt numerus sonorus, siue linea visualis; sed ad summum erunt duæ rationes inadæquatæ, quarum vna comparata ad alteram sit quasi subiectum alterius. Quare

Dicendum superficies est de ratione formale loci non vt genus, sed vt eadem ratio specifica loci, inadæquata tamen, & quasi solum inchoata, quæ completur per connotationem corporis inclusi, qua fit actualis continentia, quæ formaliter est locus. Patet conclusio ex dictis, & Confirmatur, quotiescunque sunt duæ rationes, quarum posterior nullo modo intelligi potest sine priore, ita vt prior necessario ingrediatur ipsius conceptum formalem, prior est de ratione formali posterioris; sed ratio superficiei, & ratio loci physici, & circumscriptiui hoc modo se habent; Ergo ratio superficiei est de essentia, & ratione formali loci. Minor probatur; Quia intelligi non potest formaliter locus circūscriptiuus sine re formaliter continente, quæ est superficies concaua continentis; Ergo superficies est de ratione loci.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod superficies vt extendens corpus, in quo est secundum latitudinem, est de prædicamēto quantitatis, eadem superficies, vt continens locatum est de prædicamento loci; Non est autem inconueniens eamdem rem secundum diuersas formalitates pertinere ad diuersa prædicamenta.

Ad secundam respondeo, quod nunquam remanet eadem superficies cum omnibus requisitis, & non remanet locus; si autem nō sint omnia requisita ad rationem loci poterit remanere superficies, & non locus, ex quo tamen concludi non poterit, quod superficies non sit de ratione loci; Quia de ratione loci est superficies, sed non quomodocunque, sed vt continens locatum, quæ cum locatum immobiliter continet semper locus est; neque vnquam habet rationem loci, quin locatum contineat. Itaque hæc duo sunt inseparabilia locus, & superficies vt continens locatum, licet separabilis sit locus, & superficies præcise accepta; vel etiam vt extendit in latum corpus, & profunditatem terminat.

Art. 6. Vtrum de ratione loci sit immobilitas.

Quod immobitas non sit de ratione loci probari videtur; quia superficies ambiens corpus, quod est in loco mouetur, sed talis superficies est locus; Ergo locus mouetur. Maior probatur; Quia circa turrim flante præsertim vento subinde mutantur aeris ambientis superficies; Ergo si tales superficies sunt locus, mouetur locus, ac proinde de ratione loci non est immobilitas.

In contrarium tamen sunt hæ rationes prima motus localis est ad consequendum locum; sed si locus non esset immobilis illū mobile per motum consequi non posset; ergo locus debet esse immobilis.

Secunda ratio si locus moueretur, locatū moueretur, & non mutaret locum, & dum non mouetur mutaret locum, quæ sunt absurda. probatur primum; Quia si locus moueretur ad motum locati, locatum secum deferret suum locum, ac proinde semper esset in eodem loco, etiam si moueretur. Probatur secundum; Quia dum non mouetur locatum posset moueri locus, & cum nihil esse possit sub vltima sphæra sine loco, locatum acquireret alium locum, atque mutaret locum, & non mutaret.

Pro solutione.

Notandum, quod valde laborant peripatetici in assignando quomodo locus sit im-

immobilis: aliqui dicunt locum esse immobilem per se, & mobilē per accidens; Quia solum mouetur ad motum corporis, cuius est accidens, & superficies; & quoniam hoc modo mouentur cætera omnia accidentia, adhuc assignant hoc discrimen inter superficiem, quæ est locus, & cætera accidentia, quod cætera accidētia mouentur motu, quo mouetur corpus ad ipsa acquirenda, locus non mouetur motu, quo mouentur corpora ad ipsum obtinendum. V.G. si moueatur lignum motu calefactionis eodem mouetur calor; quia per eum fit; si moueatur motu augmētationis eodē mouetur quātitas, quę augumentatione fit maior; sed si moueatur corpus ad locum per illum motum non mouetur locus, imo locus ad illum comparatus est immobilis; ita immobilitatem loci explicare videntur Conimbricenses. 4. phys. commen. 41. & Iandunus Quæst. 6. contra tamen instari potest; quia locus debet esse per se immobilis; quod autem per se est tale non potest habere contrarium neque per accidens. Præterea siue locus moueatur perse, siue per accidens, sequuntur illa absurda, quod corpus immotum mutet locum, & quod motum non mutet locum, & quod aliquando moueatur corpus, nec tamen possit acquirere locum. Aliqui ergo vt Scotus in secundo dis. 2. q. 6. art. 1. §. ad quęstionem igitur istam, & S. Tho 4. phys. text. 6. volunt locum esse immobilem non simpliciter, & per identitatem, sed per æquiualentiam; Quoniam mota vna superficie ambientis, alia illi succedit. Contra tamen hanc expositionem esse potest; Quia non esset de ratione loci immobilitas; Nam quod est de essentia alicuius conuenit omnibus, & singulis indiuiduis sub ipso contentis; vnde si de essentia loci est, vt sit immobilis, hoc prædicatum conueniet singulis indiuiduis, ac proinde non poterit superficies, quę est locus, esse mobilis, cuius tamen contrarium constat nobis experientia. Præterea noua superficies, quæ aduenit, quando vna mutatur, non est idem numero locus, atque adeo illa prior non erat locus immobilis; sed neque erit locus immobilis superficies adueniens; Quia non minus hæc, quā illa, est mobilis. Alij vt Peretius cap. 3. lib. 11. volunt immobilitatem solum conuenire locis naturalibus elementorum; Quoniam solum elementa habent determinata loca in Indiuiduo, atque adeo mouentur de terminato motu; cętera vero corpora habēt solum locum determinatum in specie, vt pisces in aqua, aues in aere, quæ proinde non debent habere locum determinatum in indiuiduo immobilem. Contra tamen est, quia immobilitas sequi videtur ad rationē loci, & cum ea esse connexa, quæ cum reperiatur in omnibus locis; omnia enim loca, locs sunt, necessario & omnia loca debent esse immobilia: quod autem immobilitas sequatur ad rationem loci ex eo persuaderi videtur; Quia cum locus sit terminus motus localis, terminus esse non potest nisi sit immobilis. Alij ergo dicunt locum esse immobilem, si accipiatur pro pręsentia ad certum spatium, & pro distantia ad centrum, & polos mundi, & hæc bene quidem dici videntur; Contra tamen est; quia negari non debet, locum circumscriptiuū esse superficiem continentem. Itaque superficies continens dupliciter spectari potest, primo præcise, prout est superficies continens, & in hoc non differt a vase; secundo prout est superficies continens certo spatio immediata, & immota, ac proinde & certas fundans siue apta fundare relationes distantiæ, vel propinquitatis ad partes fixas mūdi, Primo modo spectata superficies non est proprie, & adæquate locus; secundo autem modo proprie locus est. Nam considerarī debet, quod ex communi sensu hominum superficies ambiens non est protsus idem locus, nisi cum ambit, & continet in eodem situ, Ad quod respiciens Aristoteles non dixit, quamcunque superficiem esse locum, sed eam solum esse, quæ est vltimus terminus corporis cōtinentis immobilis; cū enim hæc habet superficies, tunc habet omnia requisita ad locum, & perfecte physicus locus est. Quare

Dicendum de propria ratione loci esse quod sit superficies immobilis, ita vt superficies nisi sit immobilis, proprie locus non sit, nec distinguatur à vase. Quare aliud est omnem superficiem ambientem locatū esse immobilem, aliud non habere proprie rationem loci nisi sit immobilis, siue nisi immobiliter contineat in certo spatio, quod vult Aristoteles, & nos cum illo. Patet ex dictis, & hoc probant rationes secundæ sententiæ petitæ a motu locali, cuius locus est terminus, & per quem mobile mutat locum,

cum, & sine quo locum non mutaret. Nam si superficies ambiens quomodocunque esset locus, vas esset locus, locum mutaret mobile absque eo, quod moueretur, & sæpe dum mouetur non mutaret locum.

Et per hæc patet ad rationem in contrarium, mutari quidem superficiem circa turrim, sed in eo casu dictam superficiem non habere proprie loci rationem. Quare ad argumentũ in forma distinguenda est minor, talis superficies vt sic, & prout mouetur est locus falsum est; locus est quando habet requisita, inter quæ est immobilitas vera est minor, sed falsa consequentia. Dices, Ergo in eo casu turris nullum habet locum circumscriptiuum. Respondeo nullum habet locum simpliciter vnum, verum est; nullum habet locum per æquiualentiam, & quatenus locus dicitur etiam de situ, & distantia, vel indistantia a partibus mundi, fixis falsum est: Vnde quod denominationes loci attribuantur locatis, etiam cum non habent superficiem immobilem dici potest, quod superficies mobiles locus sũt per æquiualentiam, quatenus sibi succedunt ad idē.

Art. 7. Vtrum præter locum extrinsecum detur locus intrinsecus, qui sit forma, quam de nouo acquirat subiectum, cum ponitur in loco, quæ dicitur vbi.

SEntentia affirmatiua videtur esse Capreoli in 2 dist. 6. quæst. 1. art. 3. qui vult probabilius esse in sentētia S. Tho. dari hoc vbi, cum eodem sentiunt ex recētioribus suarez disp. 51. metaph. sect. 1. nu. 13. & sequētibus, & alij. 1.

Sententiam negatiuam defendunt, qui volunt vltima prædicamenta constitui per denominationes extrinsecas, & qui per motum localem nihil acquiri volunt intrinsece, quod scilicet post motũ maneat, sed solum locum extrinsecum, quod etiam dixit vt citat Capreolus loco citato S. Thomas 2. sent. dis. 7. quæ. 3. prima parte q 9. art. 9. & alibi, & hæc sententia habet magnum fundamentum in Aristotele, vt postea patebit.

Pro eadem sententia pugnat Ariminensis in 2 dis. 6. Quæst. 1. ar. 2. & alij.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. prima. Mobile quod non erat hic, postea est hic; Ergo est aliquid reale illi superadditũ, quod dicitur vbi; Antecedens probatur; Quia mobile esse hic est aliquid, quod non erat prius, & nunc est nullo cogitante; ergo est aliquid reale positiuum. Nam quod non sit aliquid negatiuum probatur; si enim quid esset negatiuum deberet tolli per positiuam formam oppositam; sed non potest assignari, quæ sit hæc forma opposita, p quã tollatur; Ergo non est aliquid negatiuum.

Secunda ratio. Omnis actio realis est acquisitio alicuius termini realis existentis in subiecto; sed motus localis est actio realis; Ergo debet esse acquisitio alicuius termini realis existētis in ipso mobili; sed hic terminus nõ est aliud, quã vbi; Ergo datur Vbi.

Tertia ratio. Quod ex non præsente huic loco fit præsens realiter mutatur; sed quod mutatur beneficio alicuius formæ mutatur; Ergo & corpus quando de non præsente fit præsens Erit præsens per aliquam nouam formam, sed hæc nihil est aliud, quã vbi; Ergo datur vbi.

Quarta ratio. Corpus A de se est Indifferens ad existendum in hac parte mundi, & in qualibet alia; Ergo debet per aliquam rationem formalem determinari ad existēdum magis hic, quam ibi; sed hæc forma est vbi; ergo datur vbi, quod sit locus intrinsecus &c.

Quinta ratio. Mobile cum tota sua substãtia, & omnibus accidentibus esse potest, & non esse hic, vel ibi; Ergo esse hic, vel ibi est aliquid distinctũ, & non est quid negatiuũ; ergo positiuum; Datur Ergo aliquid positiuum distinctum ab omnibus alijs accidentibus ipsius, per quod ponitur hic vel ibi.

Sexta ratio. Creetur aliquid a Deo in spatijs imaginarijs distãs per 60. palmos à cælo, & moueatur per palmos 50 & fiat distans tantum per decem palmos; vel istud corpus acquisiuit aliquid denouo, vel nihil; si aliquid acquisiuit Iam datur vbi; si nihil ergo eodem modo se habet ac prius, ac proinde non est mutatum, & tantundem distat.

Septima ratio. quotiescunque aliquid nõ est per se tale, & deinde fit tale debet hoc habere per aliquid superadditum; sed corpora per se nõ sũt hic, aut ibi; ergo fieri debent

hic,

hic,& ibi p aliquid superadditū, φ erit vbi.

Octaua ratio ideo mobile coexistit loco extrinseco, qui est hic; Quia & mobile est hic, & nisi esset hic nullo pacto posset illi coexistere; Ergo prius est mobile & locum hic esse, quam sibi coexistere; ergo per aliquid aliud sunt hic; ergo per vbi.

In contrarium pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima. si datur vbi, de quo est quæstio, maxime vt sit ratio constituendi corpus in loco; sed ex communi hominū sententia ratio constituendi corpora in loco est extensio localis, seu extensio subiecti in ordine ad locū; ergo vel duæ sunt formæ, per quas vnum corpus ponitur in loco, ac proinde vnus effectus formalis erit a duabus adæquatis formis, vel non datur vbi.

Secunda ratio. li.8. physic. Tex.59 mobile secundum lationem non mutatur ab esse, vt mutatur cum alteratur, augetur &c. sed si per motū localem acquireretur ista forma realis ab ipsō distincta mutaretur, ergo. Cōfirmatur ex tex. 111. li.1. de cœlo per motū localē nihil generatur; sed si acquireretur hoc vbi; aliquid directe generaretur; Ergo.

Tertia ratio. si vbi ponit corpora in loco, vel id facit per suam rationem specificam, vel per rationem numericam, & indiuidualem; neutrum dici potest; ergo corpora non ponuntur in loco per vbi: Maior patet, neque enim alia potest esse ratio, per quam corpora in loco ponantur. Minor probatur quoad primā partē, quod id non faciat per suam rationem specificam primo; quia effectus formalis in indiuiduo est a forma vt indiuidua; hoc enim albū fit ab hac albedine, non ab albedine in communi; Ergo vbicare hic, vel ibi, si fit per vbi, quod sit forma aduenìens subiecto, licet ab hoc, & illo vbi, vt est hoc, vel illud; neque enim a parte rei potest esse vlla forma, quæ det determinatum, & singularem effectum per rationem specificam, vt contradistinguitur talis ratio a ratione indiuiduali. Secūdo si vbi faceret corpus hic, aut ibi per rationem specificam differret specie vbi, per quod modo collocor hic ab vbi, quo collocatur mihi alter proximus, quod est improbabile; immo si hinc moueor tātillum, iam habeo vbi specie diuersa; Quoniam iam singulæ meæ partes non sunt in eodem loco, licet quo ad totum ego totum locum non mutauerim. Præterea in quocunque motu locali acquirerentur infinita vbi specie distincta. Quoniam in singulis mutatis esse assignabilibus cum corpus sit in diuerso loco, consequēter habebit diuersum specie vbi. Sed quod neq; istud vbi ponat corpora in loco per suā rationem indiuidualē probatur primo; Quia si ego ponor hic ab vbi, quod modo in me est, vt tale vbi est i indiuiduo, Ergo si hīc discedam non amplius potero redire huc, nisi in me reproducantur priora vbi; sed ea impossibile est reproduci saltem naturaliter; ergo impossibile erit me redire huc postquā semel discessero, quod est euidenter falsum. Preterea nullus poterit mihi succedere in isto loco, nisi ponatur in eo meū vbi, quod si essentialiter pendeat à tali subiecto, nēpe a me, quod forte in ea sētētia est necessariū, alius nō poterit vllo modo poni in hoc loco vbi modo sū neq; naturaliter, neq; supernaturaliter. Deinū infinitæ prope formæ producentur singulis momentis, nam si vel tātillum mouear, sicut dictum est, in singulis meis partibus necesse erit esse producta noua vbi, per quę de nouo in loco cōstituātur, & priora esse corrupta, ac proinde ad singulos motus infinitæ prope erunt generationes, & corruptiones sine vlla necessitate.

Pro solutione.

Notandum, quod cum de hoc vbi nullo sēsu nobis cōstare possit, restat vt īducamur ad illud ponēdū, rationib⁹ desūptis ab eius effectu formali, q ponitur esse collocare corpus hic, vel ibi; sed si talis effectus cōmode saluatur sine eo, nulla ratione poterit poni hoc vbi; quia frustra ponetur. Considerandū igitur est, quod ad omne quantū sequitur φ naturaliter sit in loco dimensiuo, siue circūscriptiuo, neq; aliud naturaliter esse potest, Hoc autem sequatur ne; quia extēsio quātī in ordine ad locum fit effectus formalis alicuius formæ ꝓueniētis a quātitate, & sit ipsius passio, vel mod⁹; vel quia talē extēsionē faciat quātitas quasi effectiue, & secūdario, quæ ꝓinde a Deo impediri possit, dubiū est; illud tamē est certū in quocūq; corpore quāto naturaliter esse extēsionē, quæ dicitur localis, qua scilicet corpus quātū extēditur in loco, & hęc extēsio sequitur necessario quātitatē nisi impediatur supernaturaliter, vbicūq; tandem ponatur. Iam ergo cū hoc debeat esse extra controuersiam apud omnes, restat videndum. Vtrum extensio illa, quam habet quantum in ordine ad locum, ipsum

ipsum ita extendat, vt non proprie extẽdat in ordine ad vllum locum particularem, sed sit forma, quæ habeat suum effectum formalem solum in genere; hic autem, vel ibi extendatur quantum per aliam formam aduenientem de nouo. Pro cuius decisione videre oportet inductione in cæteris formis sit ne vlla forma, quæ sic suum habeat formalem effectum in genere, vt nullum faciat in indiuiduo. Et sane si in alijs formis naturalibus discurramus, nullam prorsus inueniemus; sed neque in proposito esse potest, licet esset in alijs. Nam quomodo sit in mundo corpus cum sua extensione situali, & locali dante illi suum effectum formalem, quod est quantitatiue locare, & nusquam illud locet? Non ne si hoc ponatur, erit effectus formalis actu, & simul non erit, quæ sunt contradictoria. Itaque vel quantitas, siue quid ipsius, vel ipsa suo secundario effectu non dat quantitatiue existere; vel si hoc dat, alicubi dat, ac proinde hoc non faciet istud vbi de nouo acquisitũ? Quod & ex eo manifestari potest: nam sit liber vnius palmi in mensa per vbi, quod ponit opposita sententia, & Deus cesset à conseruatione illius vbi relictis cæteris omnibus; adhuc liber per suam extensionem situalem occupabit supra mensam palmum spatij; Ergo erit verè quantitatiuè locatus hic in mensa sine vbi per solam extensionẽ suam localem, quæ sequitur quantitatem, per quam, & aptus erit occupare palmum spatij vbicunque ponatur, sicut vnus & idẽ calceus aptus est induere successiue plures pedes per eandem prorsus formam, & materiam, quam habet solo præmisso aliquo antecedente, videlicet calceatione, siue applicatione calcei ad pedem. Nam ridiculum esset dicere illũ calceum successiue calceare nouos pedes per nouas formas factas in ipso. Quæ enim hæ sint, & vnde istæ formæ, quas ratio non admittit, & sensus excludit? præterea vbi hoc vel habet pro termino spatium, & contra est; Quia spatium quantum non facit nisi quantum, cuius forma quantitas est, non vbi. Vel habet corpus proximum, & tunc erit potius relatio, quam Vbi, & manente corpore locato in eodem prorsus loco poterit amitti, & mutari locus, si videlicet proximum corpus auferatur, & fiat, vel ponatur proximum aliud, quo casu idem corpus in eodem loco erit, quod nõ solum ratione, sed etiam sensu euidens est, & non erit; Quia si sit in tali loco per vbi iam non habet idem vbi; quia non iam habet idem corpus, quod respiciat. Adde his, sicut prius est esse corpus quantum saltem natura, quam subiectare quodcunque aliud accidens quantitatiue; ita, & saltem prius natura erit corpus esse hic, quam habere quantitatiue accidens hic, quod maxime valet si ex. Gr. ponam⁹ hic productum esse corpus aliquod, vel produci a Deo; Nam præcise ex vi productionis terminatę, ad tale corpus cum sua quantitate situali videtur ipsum hic debere esse circumscriptiue; Nam eo ipso quod ponitur cum tali extensione a parte rei ex vi productionis, & localiter poni debere videtur, cum non possit actu poni a parte rei, & nullibi poni; Quare tanquam probabilius.

Dicendum in rebus quantis dum relinquuntur in suo naturali statu non dari vbi, quod sit locus intrinsecus, quod varietur prout variatur locus extrinsecus: Dixi in rebus quantis, dum relinquuntur in suo naturali statu; nam cum supernaturaliter, siue in pluribus locis ponuntur, siue ponuntur in loco indiuisibiliter, non erit forte inconueniens id fieri per aliquam formam Deo notam, quæ faciat hunc effectum ponendi eo modo quantum in loco, & dici poterit vbi. Patet Conclusio ex dictis, quæ proculdubio fuisse videtur sententia Aristotelis, & antiquorum peripateticorum, qui ne verbum quidem vnquam fecerunt de hoc vbi distincto a loco extrinseco; cum tamen Aristoteles 4 physi. & cũ eo peripatetici pluribus de loco egerint. Cõfirmatur Cõclusio quia si detur hoc vbi, vel facit corpus locatum præsens spatio imaginario: vel correspondere per superficiem cõuexam superficiei concauæ loci ambientis; Non primũ; non solum quia satis correspondet corpus per suam substantiam, & quantitatem; præsertim cum pręsens esse corpus spatio imaginario nihil aliud sit, quam positiue explere, & tollere illam negationem quanti locabilis, per quam fieret spatium imaginarium, si nullum ibi esset quantum situaliter; Non secundum; Quia satis loco ambienti correspondet quantum per suam superficiem conuexam, quę cum est extensa in ordine ad locum necessario sine vllo addito vbicunque ponatur correspondebit loco am-

ambienti; sicut & locus ambiens, si conseruetur à Deo in sua superficie concaua, si ex illa extrahatur quodcunque corpus locatum, & ponatur aliud eiusdem magnitudinis, per eandem superficiem concauam illud continebit. Nam & hoc est esse simul, sibi correspondere, & se tangere per suas superficies, quod munus quantitatis est, non vbi.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod quæcunque denominationes conflatæ ex duobus variantur naturaliter, & nullo cogitante intellectu ex eo, quod alterum illorum variatur, vel vtcunque non eodem modo cõnotatiue se habet; Cum ergo esse hic, vel ibi fit denominatio locati per ordinem ad locum siue realem, siue imaginarium, quotiescunque alterum illorum variabitur, talis variabitur denominatio. Quare cum mobile, quod non erat hic, postea fit hic, variatur locus extrinsecus, variatur etiam mobile sed antecedenter; Quia applicatur per motũ localẽ, vel alio modo huic loco extrinseco, cui applicatum non erat prius. Est simile de calceo, qui non induebat pedem, & postea induit, nõ per formam quam intrinsece acquisiuerit calceus, sed per formam quasi extrinsecam, nimirum per pedẽ in ipso receptum; vnde nec pes proprie, nec calceº habet intrinsecã formã, p quã fuerint mutati sed ambo mutati sunt connotatiue extrinsece, calceus per pedem, & pes per calceum. Ad argumentum ergo in forma distinguẽdum est antecedens, Mobile quod non erat hic, &c. est aliquid reale de nouo in ipso mobili falsum est antecedens; est aliquid reale extrinsecum seu est de nouo correspondere alicui extrinseco, verum est antecedens; sed mala cõsequẽtia ac proinde falsum ex eo illatum consequens.

Ad secundam respondeo dicẽdum, quod non omnis actio realis est acquisitio termini realis ab ipsa distincti, vt patet in visione auditione &c. quod multo magis verum est in motu locali, per quem nihil acquiritur, quod vt terminus motus remaneat post motum hoc testante pluribus locis Aristotele, & cum eo consentientibus peripateticis communiter; Nam motus localis essentialiter est ens successiuum, quod non potest habere esse permanens; illud autem vbi esset permanens, ac proinde per motum localem fieri non potest, Neque enim hic est eadem ratio, ac de cæteris formis, quæ in se permanentes sunt, sed tamen ratione contrarij, vel agentis fiunt successiue. Præterea quando nam fiet hoc vbi? an quando est motus? sed tunc debet esse diuersũ vbi ab eo, quod habet corpus post motum; Quia post motũ erit in alio loco; si ergo hoc vbi, quod habet corpus post motum, non potest fieri cum est motus, fiet post motum; sed tunc per quid fiet? cum motus iam non sit; & donec fuit motus fuerit diuersum vbi in corpore? Quia corpus erat in diuerso spatio? cum ergo neque cum est motus, neque post motum hoc vbi fieri possit, vere a parte rei non est.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod illud, quod de non præsente fit præsens realiter mutatur vel in se, vel connotatiue per extrinsecum, hoc est mutat saltem correspondens hic; sicut de dextro fit aliquid sinistrum mutata dextra correspondente in sinistram; eodem modo, quod non erat præsens præmisso motu, & alijs necessarijs antecedentibus, fit præsens tali loco; Quia cum illi prius non esset immediatũ, & correspõderet per suam quantitatem, & superficiẽ, nunc correspondet; sicut pes de non calceato fit calceatus per calceum, & calceus de non continente continens pedem, per hoc, quod in ipso est pes, etiam si omnia alia auferantur; nec si multiplicentur formæ magis pes fiet calceatus, nec calceus plenus magis.

Ad quartam respondeo dicendum, quod illud, quod est indifferens vt forma ad plures formales effectus, sufficienter determinatur per aliquid præuium adipsum effectum, vt per conditionem, vel rationem applicandi. Et sicut forma Albedinis A. quæ de se absolute considerata est indifferens ad faciendum hoc, vel illud album, cum hec, vel illo subiecto sufficienter determinatur ad faciendum hoc album, non per aliquam aliam albedinem, sed per se ipsam, vt applicatam huic subiecto; Eodem modo quantum localiter extensum, quod de se est indifferens ad hoc, vt locetur in hoc, vel illo loco, sufficienter determinatur ad hunc locum ex eo, quod ponitur in illo loco per motum localem, vel productionem, vel alio tali modo. Quare ad argumentum in forma neganda est prima consequentia, cum ad illam determinationem sufficiat

aliqua

aliqua conditio, vel aliquid præuium, quod in casu potest esse motus localis, generatio, vel quid huiusmodi.

Ad quintam respondeo dicendum, quod mobile cum tota sua substantia, & accidentibus potest esse, & non esse hic, vel ibi; sed non potest esse cum omnibus extrinsecis; & quia esse hic, vel ibi est denominatio locati ad extrinsecum; ideo statim atque locatum est cum tali extrinseco est hic, vel ibi. Quare in forma distincto antecedente, eodem modo distingui debet consequens; esse hic, vel ibi est aliquid distinctum à substantia, & accidentibus locati præcise sumpti, bona est consequẽtia; & verum illatum: est aliquid distinctum a substantia, & accidentibus locati sumpti in ordine ad extrinsecum, vel cum extrinseco mala est consequentia, & falsum quod infertur.

Ad sextam respondeo dicendum, quod in spatio imaginario cum detur distantia negatiua, idest determinata negatio corporis quanti, cum mobile motum est per quinquaginta palmos expleuit successiue spatium quinquaginta palmorum, & acquisiuit spatium, quo solum distet per decem palmos à cælo. Quare mobile, quod mouetur in spatio imaginario præter motum localem nihil positiuum acquirit.

Ad septimam respõdeo dicendum, quod quando aliquid dicitur tale simul sumptũ cum extrinseco, vt fiat tale sufficit, vt cum extrinseco sit: locata autem non sunt quidem per se talia præcise considerata, talia tamen sunt accepta vna cum extrinseco. Quare quotiescunque aliquid non est per se tale, sed tamen est tale si accipiatur cum extrinseco, vt fiat tale sufficit extrinsecum, ac proinde sic explicata maiore, & distincta minore, negatur consequentia.

Ad octauam respondeo dicendum, quod loco extrinseco non coexistit corpus; Quia corpus sit hic, quasi esse hic sit quid prius positiue, & distinctum a coexistere tali loco extrinseco; sed esse hic, & coexistere tali loco idem est. Dicitur tamen aliquo modo corpus coexistere loco extrinseco; Quia est hic, quatenus per imaginationem distinguimus esse hic, & coexistere loco extrinseco per conceptus inadæquatos, & esse hic respectiue ad spatium imaginarium, quod posset esse, putamus præcedere ad coexistere loco extrinseco.

Oppones. non est noua denominatio formalis sine noua forma; sed esse corpus hic, vel ibi, cum prius non esset, est noua denominatio formalis; Ergo per nouam formam; Ergo per vbi nouum.

Respondeo dicendum formam in his denominationibus esse complexum, ac proinde nouas esse denominationes vbi complexum est nouum, corpus scilicet cum talibus extrinsecis. Nec dicas posse esse corpus, & talia extrinseca sine his denominationibus; Quia sermo est de his simul, & coniunctim; illud autem solum verum est diuisim.

QVAESTIO SECVNDA.

De ijs, quæ sunt in loco.

Locus non dicitur, vt manifestum est ex dictis, sine locato; vnde ad ipsum connotatiue se habet, ex quo est vt iam videndum sit de illis, quæ sunt in loco.

Art. 1. Vtrum omnia entia sint in loco.

Multiplex hic potest esse difficultas, & prima est de formis, & accidentibus corporum, secunda est de entibus spiritualibus, quæ carent corpore.

Quoad primam difficultatem facilis videtur resolutio si dicamus formas, & accidentia corporum esse in loco per accidens, non per se.

In contrarium tamen est, quod hæc ex se suam habẽt præsentiam loco, ac proinde ex se videntur esse in loco; cum tamen locus commensuratiuus proprius sit quantorum; hæc solum sint quanta per accidens.

Pro solutione.

Notandum, quod cum formæ, & accidẽtia sint in corporibus, & corpora in loco sint simul cum corporibus, & ipsa in loco erunt, per corpora scilicet, in quibus sunt, ac proinde per accidens, siue per aliud, idest per corpora in loco erunt, quorum aliquid sunt. Et hæc quamquam vera sunt, non ideo tamen existimandum est, nullo pacto huiusmodi entibus conuenire esse in loco

per

per se. Etenim considerandum est, quod cum corporibus, in quibus extensa sunt, habent & ipsa præsentiam realem, & diuisibilem cæteris entibus, quibus corpora sunt præsentia. Nam albedo in lacte habet suam præsentiam realem, qua correspondet ambienti, sicut habet lac ipsum, & eius quantitas. Quare distinguendum videtur de ratione formali completiua, & de ratione formali inchoatiua essendi in loco; quantitatiue, & commensuratiue in loco commensuratiuo, & substantia ipsa corporum, & formæ ipsorum sunt, Completiue & tanquam ab vltimo actu sunt per situalem siue localem extensionem, quæ consequitur necessario, si non impediatur supernaturaliter, extensionem quantitatiuam, quam in substantia ipsa, vt in proprio subiecto facit quantitas, sicut & in accidentibus in ipsa receptis; Inchoatiue tamen in loco sunt substantia, & formæ per præsentiam suæ actualis entitatis, ita vt ex entitate ipsa actu existente sub, vel in quantitate, nascatur præsentia ad cætera entia, quæ proxima sunt, & pariter actu sunt. Nam actualis entitas existens in mundo ex natura rei dicit coexistentiam ad alias entitates pariter actu existentes in mundo, non solum quoad durationem; sed etiam quoad præsentiam, siue distantiam; ita vt omnino hæc tolli non possint ab ipsis, licet possint variari; Vnde substantia materialis, & ipsius accidentia, præcisa quantitate & situali ipsius extensione, sicut retinent actualitatem entitatis, & existentiæ in mundo; ita & retinent actualitatem præsentiæ, siue distantiæ, & actualitatem coexistentiæ quoad durationem, & mensuram permanendi in esse; tamen quia talem modum præsentiæ, qualis est commensuratiuus, proxime & completiue habent à quantitate, ipsiusque situali extensione; ideo completiue, & tanquam ab vltimo actu esse in loco commensuratiue habent à quantitate; vnde per accidens dicuntur esse in loco; Qui modus tamen non penitus excludit esse per se, sicut ex dictis manifestum est. Itaque de substantia materiali & ipsius accidentibus præcisa quantitate.

Dicendum est per accidens esse actu in loco commensuratiue, & vltimato; inchoatiue, & secundum quid esse etiam per se. Patet ex dictis, & Confirmatur quia substantiæ, & cæteræ formæ non habent à quãtitate actualitatem exercitam entitatis, & tamen habent talem modum entitatis quantitatiuum in se, & consequenter in loco; Ergo esse in loco tali pacto habebunt proxime, & formaliter ab extensione situali & quãtitate; in qua tamen extensione cum singulis partibus loci respõdeant vere per suã entitatem, inchoatiue à se habebunt talem præsentiam, ac proinde non simpliciter per accidens erunt in loco, sed modo dicto.

Et ex his proportionaliter acceptis ad secundam difficultatem de entibus, & formis spiritualibus patet quoque affirmatiue

Dicendum omnia entia spiritualia, quæ in mundo dicunt actualem, & exercitã existentiam, esse in loco. Deducitur ex eodem principio: Nam si entitas actualis, ex eo quod actu existit, coexistit per præsentiam ad cætera entia, quæ pariter actu existũt, & per præsentiam simultaneam, siue localem coexistet & per durationẽ in esse; Vnde omnis talis entitas siue spiritualis sit, siue corporalis aliquo pacto erit in loco, sicut & aliquo pacto erit in tempore solum ab hoc abstrahet ens rationis; siue entia, quæ solũ habent esse in intẽtione, & sunt in esse cognito: Nam hæc, cum vt sic, nullam aliam dicant actualitatẽm quã cognitionis, & actualitatem existentiæ non habeant; consequenter ab vtroq; abstrahunt, & solum dici possunt esse per accidens siue in loco, siue in tẽpore, per cognitionẽ scilicet, in qua habent esse. Et ex his cum habeatur entia spiritualia in loco esse, Et materialia non solum in loco esse, sed quomodo in loco sint; restat difficultas quo modo in loco sint spiritualia. Nam de duratione ipsorum dicetur disputatione sequenti; sit. Ergo

Art. 2. Vtrum entia spiritualia sint in loco per suam substantiam, an per operationem.

Esse in loco per suam substantiam affirmat Scotus in 2. dist. 2. qu. 6 quem sui sequuntur. Negare videtur S. Thomas prima parte qu. 52. & quolib. 11. qu. 1. art. 1, qui vult angelos esse in loco per operationem, quod variè exponunt Themistæ,

cum alij ipsum intelligant de operatione transeunte; Alij de applicatione, qua se Angeli loco applicant, quæ solum transiens est quoad extrinsecum terminum, ad quem se Angeli applicant, qui est locus, siue corpus indistans. Quamquam S. Thom. 3 parte qu. 52. ar. 2. & quolib. 6. ar. 2. nō videtur discrepare à priori sententia: tamen huius secundæ sententiæ, quæ S. Thomæ esse putatur, fundamentum est, quod sicut dicit Boetius in lib. an omne, quod est, bonum sit. Communis animi conceptio apud sapientes est, incorporalia in loco non esse; Entia enim spiritualia abstrahunt prorsus à materialitate & cōsequenter ab entibus prorsus absolutè materialibus, vt proinde si nullibi operentur, nullibi sint; si vero in aliquo corpore operentur, ibi sint, ac proinde ratio cur ibi sint, ipsa sit operatio, qua sublata in se spiritus sunt, non in materialibus, à quibus abstrahunt; vnde 4. phys. Tex 45 & 57. non omne, quod est, in loco est, sed corpus mobile.

In contrarium pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima. prius est aliquid alicubi esse, quam ibi operari; ideo enim & philosophus Putat primum motorem esse in circulo cęli maximo 8 physi. Tex 84 quod ibi maxime mouere debeat. & 7. physi. Tex. 10. & deinceps, probat in omni motu mouens præsens esse moto.

Secūda ratio. ne intelligibile quidem esse videtur rem aliquam esse, & nullibi esse, omnibusque hominibus hic innatus à natura videtur esse conceptus, quæ sunt, alicubi esse, quæ vero non sunt, nullibi esse; vnde August. de immortalitate animæ, ait; Quidquid est nusquam esse non potest, & Plato in parmen. Nonne si nusquam sit, nihil penitus erit? &c.

Tertia ratio. Deus est vbique per suam immensitatem, non per operationem; imo & vbique operatur, quia vbique est, & angelos creasse censetur in cœlo Empyreo, quos nullibi creasset, si abstraherent ab omni loco.

Quarta ratio. Quam operationem transeuntem habent Angeli in Empyreo? vel etiam quare cogamur, dum ibi sunt ponere in eis actum perpetuum applicationis; Nā vel ista applicatio est actus intellectus, vel Voluntatis, vel potentiæ motiuæ, si intellectus, & Voluntatis immanentes actus sunt, & spirituales, sicut Angelus, qui, si ex eo quod spiritualis est, abstrahit à loco, & abstrahent isti actus; si potentiæ motiuæ, & hæc distincta non sit ab intellectu, & voluntate, idem sequetur; si distincta adhuc spiritualis ista est.

Quinta ratio. Potentia motiua Angeli ideo loco applicat substātiam Angeli; quia ipsi conuenit esse in loco; sicut potentia motiua corporis applicat corpus huic, vel illi loco; Quia ipsi conuenit esse in loco; nam si hoc proportionaliter in Angelo non valeret, posset Angelus simul, & semel se applicare pluribus locis, imo vbique, ac proinde esset immensus Imo ei conuenire non posset motus localis; Quia quod potest haberi per pauciora, & facilius, natura non facit per plura. Si ergo Angelus potest se applicare vbi vult, ex eo quod immediate per applicationem ponat se vbi vult, non erit capax motus localis, qui datus est, vt applicentur nouo loco illa, quæ immediate in eo esse non possunt. Nam & cur, vt factum est in Domini resurrectione, Angelus descendat de cælo, & accedat ad reuoluendum lapidem monumenti, si poterat sine accessu ibi esse?

Pro solutione.

Notandum, quod sicut dictū est, ex actualitate essendi in rerum natura enascitur, vt quæcunque res, quæ sic est, correspondeat alteri sic pariter existenti, & quoad præsentiam, siue distantiam, & quoad permanentiam, & durationem in eis; Vnde Deus, qui summus actus est, immensus, & æternus est, & a se immensus, & æternus, Quia à se actus sine limitatione, & infinit. ac proinde æternitate sua exhauriens omnia tempora, & immensitate sua replēs omnia loca, vt nihil possit esse actu, siue in hoc mundo, siue extra, cui præsens Deus non sit. Verum spiritus creati; quia in se finiti sunt, & à Deo sūt non vbique sunt; sed alicubi, vbi illos creauit Deus, & vbi se constituunt per motum. Nam quia finiti sunt, & consequenter vbiq; esse non possunt, ab auctore naturæ accipere debuerunt potentiam, per quam mouere se possent. Quare non ita per suam substantiam sunt in loco, quasi ratio substantiæ sit ratio essendi in loco, quæ magis est per se standi, sed ex substātia ipsa spirituum, quatenus exercita est, & actualis à parte rei, cō-

sequi-

sequitur tanquam propria passio ratio essendi in loco, quæ est Vbi, siue locabilitas; & ratio durandi, quæ est Aeuum, quod tamen nos explicamus per tempus; sicut ex infinita ipsa diuinæ substantiæ actualitate consequitur secundum nostrum modum intelligendi immensitas, & æternitas. Itaque entis actualis per se stantis in actuali exercita existentia passio est correspondere alteri, quodcunque illud sit, sic pariter existenti; Nam quæ in alio sunt, & per se non sunt, sicut in alio existunt, ita & per aliud videntur esse in loco, vt proinde de ijs per se non dicatur esse in loco, sicut supra dictũ est: Quæ vero sunt per se, quales substantiæ omnes, si actu sic sint à parte rei, & actu alicubi sunt, siue per præsentiam finitam, siue infinitam, iuxta finitam, vel infinitam actualitatem substantiæ; Quamquam completiua ratio sic, vel sic existendi possit esse aliqua forma distincta à substantia, ipsiusque actualitate. Quare.

Dicendum entia spiritualia esse in loco per suam substantiam, non quidem immediate per rationem ipsam substantiæ, quasi ratio substantiæ sit ratio formalis essendi in loco, sed mediante aliquo necessario ex ipsa substantia consequente, si actualis sit à parte rei, quod in Deo dicitur immensitas, in Angelo dici potest Vbi Angelicum. Dixi mediante aliquo necessario ex ipsa consequente, quod in Deo accipi debet secundum modum nostrum intelligendi; Nam summa Dei simplicitas non patitur, vt in eo immensitas à substantia distinguatur; in Angelo tamen aliqua maior potest esse distinctio, vt cui compositio ex substantia, & accidente non repugnat; Quamquam probabile est, Vbi Angelicum non distingui ab eius substantia, nisi formaliter. Patet Conclusio ex dictis, & Confirmatur; Quia operationes immanentes spirituum non minus debent abstrahere à rebus materialibus, & loco, quam ipsorum substantiæ; Ergo si substantiæ non possunt esse illis ratio essendi in loco, nec poterunt esse huiusmodi operationes; sed nec possunt esse ratio essendi in loco operationes transeuntes, quæ iam supponunt præsentem substantiam; Ergo nulla operatio potest esse Angelis vltima ratio essendi in loco.

Ad fundamentum sententiæ contrariæ respondeo dicendum spiritus abstrahere à rebus materialibus, & loco commensuratiuo, & quanto; Quia non habent partes, & materiam, per quam respondeant partibus loci, non autem abstrahere ab omnimoda præsentia ad illas, in qua saluatur ratio loci.

Oppones. vel præsentia ista est diuisibilis, vel indiuisibilis; neutrum dici potest, Ergo spiritus per suam substantiam non sunt in loco: Probatur minor, non est diuisibilis; Quia spiritus non habent partes, nec sunt diuisibiles; non est indiuisibilis; Quia non esset præsentia ad rem diuisibilem. Respondeo dicendum ex parte spiritus huiusmodi præsentiam semper esse indiuisibilem formaliter; Quia spiritus est indiuisibilis, dici tamen potest virtualiter diuisibilis, quatenus facit id, quod faceret diuisibile, Quando sistit spiritum præsentem toti alicui diuisibili, cui tamen & indiuisibiliter facit aliquando præsentem, vt cum spiritus est in puncto, siue minimo. Quare ex parte spatij, & quanti hæc præsentia esse potest, & diuisibilis, & indiuisibilis: ex parte spiritus semper formaliter est indiuisibilis, & aliquando virtualiter diuisibilis.

Oppones secundo. substantia angeli est inuariabilis; sed præsentia eius in loco ex dictis est variabilis; Ergo non consequitur substantiam. Respondeo dicendum, quod substantia Angeli est inuariabilis substantialiter, sed variabilis accidentaliter; neque enim Angelus est immutabilis; sed hæc est perfectio solius Dei. potest ergo Angelus suam variare præsentiam spatio, & mouere se ad maius, & minus spatium, intra tamen certam latitudinem suæ perfectionis, & virtutis.

Oppones tertio. sicut inter corpora & quanta est contactus corporeus, & quantitatiuus, per quem dicuntur esse in loco; ita inter incorporea, & spiritualia solus potest esse contactus virtutis, per quem erunt in loco; non igitur per suam substantiam spiritualia sunt in loco. Respondeo dicendum, quod primum quidem aliud est contactus, aliud præsentia, accidentia in eodem subiecto sibi presentia dici possunt, & corpus Christi Domini in sacramento, & Deus per suam immensitatem omnibus rebus, qui vlterius in rebus est per potentiam, qui modus essendi in rebus proprie dicit contactum virtutis: dicta ergo omnia proprie dicunt

N 2 præ-

præsentiam, nec dicunt proprium contactum. secundo, sicut est contactus quantitatiuus, & virtutis, ita & dici potest contactus entitatiuus, illarum scilicet entitatum, quæ ad inuicem non exercent contactum dimensiuum, vel operationem vllam, vt essent duæ materiæ sine quantitate positæ à Deo in puncto, vel aliter sibi præsentes: Quare inter spiritualia & corporalia, etsi non potest esse contactus quantitatiuus, præter tamen contactum virtutis potest esse contactus, siue præsentia entitatiuum; nam sicut inter illa est aliqua vera, & realis connenientia entis, etsi non tanta, quanta est inter corporea ad inuicem; ita & potest esse realis præsentia entitatum, Quamquam non ea, quæ est corporum ad inuicem; Nec tamen per hoc spiritualia coarctantur ad corporalia, sicut corporalia ad inuicem; Quia spiritualia sunt vbi esse volunt, & præsentia maiori, vel minori spatio, vt eis libet, excipitur tamen Deus, qui sua immensitate omnia replet, ac proinde necessario vbique est, quæ necessitas est felicitatis, non indigentiæ.

Oppones 4. ex Tex. 116. lib. 4. Phys. esse in loco aliquid non est ipsum esse actu, cum fuerit locus, neque intentio eius ait Aristoteles, quod est aliquid esse in loco, est, vt ipsum sit, cum fuerit locus; Quoniā si aliquid esse in loco habet hanc intentionem necesse est, vt omnia sint in quolibet, & cœlum in milio; quoniam cum vnum granum mihi fuerit, cælum erit etiam, sed per accidens. Et tex. sequenti, ait. Vnde necesse est omnia ea, quæ sunt in tempore contineri sub tempore, sicut & alia quæq; in aliquo sunt, vt quæ sunt in loco sub loco; ita Aristoteles; sed spiritualia non continentur sub loco, nec patiuntur à loco, nec clauduntur loco; Ergo non sunt in loco, sed si in loco sunt ad summum erunt; Quia ipsa locum contineant, & ab ipsis patiatur locus, ac proinde in loco erunt per contactum virtutis, & operationem. Respondeo dicendum, quod conceptus essendi in loco commensuratiuo non est sine continentia loci continentis locatum, quo pacto spiritualia non sunt in loco, cum magis ipsa sint continentia locum; Verum cum quærimus vtrum spiritualia sint in loco, quærimus de immediatione spiritualium, & corporalium, & de immediata præsentia ad inuicem; & in hoc sensu accepta quæstione putamus spiritualia non abstrahere à loco. Neque hoc est esse spiritualia cum fuerit locus, sed sic esse ad inuicem, vnde præter actualitatem exercitam in entibus ad locum requiritur immediatio, & quod sic immediata habeant rationem stantis per se; & ex nostro modo concipiendi, quod vnum contineat alterum saltem ratione excessus, quo plus est, quam alterum ei respondens per præsentiam; vnde est vt Angeli tanquam finiti, nec æquantes omne spatium, sint in loco definitiue; nam per talem suam existendi actualitatem correspondentem extrinseco excedenti vna cum negatione distantiæ completur ratio loci definitiui; Ex quo etiam est, vt maior sit ratio, cur tale spirituale dicatur esse in materiali, quam è contra.

QVAESTIO TERTIA

Qua, & in quibus locis possint esse corpora.

CONstat de omnibus entibus dici posse, quod aliquo modo in loco sint, modo videndum est speciatim de corporibus, sint ne omnia in loco, & an plura in eodem loco sint, vel idem in pluribus locis.

Art. 1. Vtrum omnia corpora sint in loco.

PRo prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima. esse in loco est proprietas corporis quanti; sed omnia corpora sunt quanta; ergo omnia corpora sunt in loco.

Secunda ratio. quod nullibi est non est in rerum natura: ergo omnia corpora, quæ sunt in rerum natura, sunt alicubi; sed quæ sunt alicubi, sūt in loco, ergo omnia corpora sunt in loco.

In contrarium pro secunda sententia negatiua sunt hæ rationes.

Pri-

Prima ratio. quod est in loco, vt quantum, ambitur, & circumscribitur à loco; sed non circumscribuntur omnia corpora à loco; non igitur omnia corpora sunt in loco.

Secunda ratio. si omnia corpora sunt in loco, erit processus in infinitum, quod sic ostenditur; singula corpora sunt in loco; ergo singula corpora sunt in alio corpore; quia locus est superficies corporis ambientis; at si singula corpora sunt in loco, hoc erit in illo, illud in alio, & sic in infinitum, vel certè deueniendum erit ad vnum, quod non sit in alio, ac proinde non sit in loco;

Pro solutione.

Notandum, quod in rebus philosophicis sæpe nascitur grauis difficultas, cum qui eas tractant, omnia volunt metiri eodem pede, quod est in proposito: nam dum Philosophi omnia corpora volunt ponere in loco cum Aristotele per aliquam superficiem vix reperiunt, quid de vltima sphæra respondeant: vt ergo tollatur difficultas considerare oportet, quod siue sermo sit de corporibus simplicibus, siue de mixtis, omnia, quæ intra vltimam sphæram continentur, dici possunt in loco esse per superficiem ambientem; quia verè circa se habent aliquod corpus, à cuius superficie circumscribuntur; vnde sicut tali superficie continentur, ita & in loco esse per eam dici poterunt; sed vltima sphæra nullo pacto per superficiem ambientem est in loco, cum supra se non habeat aliud corpus, à quo circumscribatur. verum cum nos non simpliciter intelligamus res esse in loco per superficiem continentem, sed etiam esse in loco dicamus; quia expleant certum spatium negatiuum, siue imaginarium, & dicant talem distantiam, & propinquitatem ad cæteras partes mundi, ideò de vltima quoque sphæra dicimus, quod est in tali loco &c. quare cum ad saluandas simpliciter denominationes locales non sit necessaria superficies continens; sed saluentur per spatium imaginarium, & talem propinquitatem, vel distantiam à cæteris partibus mundi ideo.

Dicendum non omnia corpora esse in loco circumscriptiuè; sed tamen laté accipiendo locum prout dat denominationes locales, omnia corpora esse in loco, etiam vltimam sphæram, locum autem vltimæ sphæræ non esse alium, quam tale spatium imaginarium cum tali connotatione distantiæ, vel propinquitatis; & præsentiæ ad cætera corpora, & loca nobis cognita.

Conclusio patet ex dictis, & rationibus primæ sententiæ. Confirmatur, quia omnium denominationum debet reddi aliqua ratio; sed quod vltima sphæra habeat talem locum in mundo alia ratio reddi non potest, nisi locus; ergo vltima sphæra est in loco; sed locus hic non potest esse nisi tale spatium cum tali ratione distantiæ, & propinquitatis; nam non potest esse vlla superficies ipsius sphæræ; quia hæc solum in sphæra censetur facere, vt sphæra locetur, vbi locatur, non autem locare illam, & esse locum; neque superficies conuexa sphæræ propinquæ, quia nihil potest esse locus sui loci; vltima autem sphæra per superficiem concauam locus est sphæræ sibi proximæ, ac proinde superficies conuexa sphæræ ipsi proximæ non potest esse locus ipsius; sed neque centrum potest esse locus sphæræ vltimæ; quia vltima sphæra non solum non est in centro, sed est omnium corporum à centro remotissima; solum saluari potest in ipsa denominatio loci à connotatione distantiæ ad centrum, & propinquitatis ad alia corpora, quæ tamen præsupponunt rationem spacij, quare sola ratio spatij cum distantia, vel propinquitate, siue præsentia ad cætera corpora erit locus vltimæ sphæræ; vel certè erit id, per quod dicimus vltimam sphæram esse in tali loco.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum non esse propositionem vniuersalem, quod id, quod est in loco, vt quantum, ambiatur actu, & circumscribatur à loco, præsertim laté accipiendo locum, vt præcisè fundat denominationes locales, quare negatur maior, & consequentia ex ea deducta.

Ad secundam Respondeo dicendum, quod si sermo sit de loco pro superficie ambiente

bene

benè procedit ratio; quia verè sequitur processus in infinitum, si ponatur omnia corpora esse in loco; si vero sermo sit de loco quomodocumque, vt scilicet per ipsum saluantur denominationes locales, negatur sequitalem processum, si omnia corpora sint in loco.

Ob. per Arist. 4. phys. tex. 45. vltima sphæra non est in loco, sed tantum partes ipsius, quatenus vna quodammodo continet aliam; ergo ipsi male locus assignatus est.

Respondeo dicendum, quod philosophus solum loquitur de loco continente, quem definiuerat, quod cæterorum corporum locus est. Verum si latius extendatur nomen loci, quatenus scilicet per ipsum de aliquo corpore saluari possunt denominationes prædicamenti loci, non potest Arist. negare vltimam sphæram esse in loco, cum vere dicamus vltimam sphæram esse in vltima parte mundi, & non alibi, occupare tale spatium, distare à terra, non à sphæra immediata, &c.

Art. 2. Vtrum in eodem loco possint esse plura corpora.

Pro parte affirmatiua sunt aliqui apud Alexandrum in opusc. de mixtione, & Fernel. li. 2. suæ physiologiæ aientes etiam naturæ viribus posse duo corpora simul esse in eodem loco, & hæ rationes.

Prima ratio petita ab experientia in cyatho pleno cinere tantundem recipitur aquæ quantum si in eo non essent cineres, ergo cineres, & aqua se penetrant; ac proinde sunt in eodem loco. Confirmatur alia tali experientia, quæ habetur apud Plin. lib. 2. hist nat. cap. 65. Cyathus ad summa labra plenus aqua recipit multos nummos sine vlla aquæ effusione, sic enim ait ille. id etiam magis mirum in poculis repletis, addito humore minime circumfluere, quod superfit, contra euenire ponderibus additis ad vincenos sæpe denarios: ergo se cum aqua penetrant, & in eodem loco sunt.

Secunda ratio. panis aqua madefactus recipit aquam secundum omnes sui partes; ergo se cum aqua penetrat, ac proinde aqua, & panis simul sunt in eodem loco: Probatur Consequentia; quia duo quanta secundum omnes ipsorum partes esse simul est se penetrare, & esse in eodem loco; hoc accidit in pane madefacto; ergo. quod autem hoc accidat. Probatur, quia in quascumque partes secetur ille panis cernitur madefactus nec vlla prorsus, vel minima pars est, quæ non madeat aqua; hoc autem esse non potest, nisi quia panis, & aqua secundum omnes prorsus partes se penetrent.

Tertia ratio. in ferro cadenti est ignis; ergo ignis se cum ferro penetrat, & manet in eodem loco. Probatur consequentia; quia nulla alia est ratio, qua possit simul esse cum ferro ignis.

In contrarium Pro sententia negatiua est Arist. 4 Phys. t. 27. & interpretes Peripatetici cum recentioribus communiter, & hæ rationes.

Prima ratio ab ipsa experientia; nam experientia docet nullum esse corpus, quantumuis tenue, quod possit subire locum alterius, nisi prius alterum cedat, & locum illum relinquat; ergo duo corpora non possunt esse simul in eodem loco, & se penetrare; veritas antecedentis apparet in aere, & igne, in aqua & aere, quæ sunt corpora tenuissima, quæ tamen simul esse non possunt in eodem, sed vt ingrediatur vnum necesse est loco cedere prius alterum.

Confirmatur item experientia euidendi in Clepsydris, quibus horti irrigantur; nam in eas non ingreditur aqua, prius quam cesserit loco aer; neque postquam recepta est aqua ibi, recipitur aer, donec exierit aqua; si autē duo corpora simul in eodem loco esse possent, illa duo, vt quæ valde sunt tenuia, simul essent: ergo duo corpora non possunt esse in eodem loco.

Secunda ratio, proprium est quantorum facere spatia positiua; sed si duo corpora in eodem loco esse possent nullum spatium positiuum facerent: ergo duo corpora in eodem loco esse non possunt. Probatur minor: quia si duo corpora simul esse possunt penetratiuè in eodem loco, eodem pacto & partes ipsius corporis penetratiuè esse poterunt, ac proinde & omnes simul, quasi indiuisibiliter, atque adeo nullum spatium positiuum facient; quia localiter nullam prorsus habebunt molem.

Pro solutione.

Notandum, quod ex duplici capite procedere possumus ad decisionem huius controuersiæ, primum est ab experientia, secundum

dũ ex natura quãtitatis, ex primo habemus nunquam fieri motum localem, nisi cedat plenum; hoc in aere euidens est, & in omnibus alijs corporibus; nam si fluat aqua in vas, tandiu solum mouebitur aqua, quandiu vacuum erit vas cedente aere; nam statim atque repletur, non iam potest aqua vas subire; vnde cessat à motu; nulla autem tunc esset ratio, cur aqua non amplius flueret, & vniuersaliter ratio nõ est, cur cũ plenum nõ cedit, non fiat motus localis, nisi quia mobile non potest recipi in eodem loco cum alio corpore prius ibi existente; vnde vt fiat motus, prius exire debet corpus ibi residens ex 2 capite habemus, quod quantitas se cõmunicando subiecto, ita det illi molem, vt faciat illi occupare spatium incompossibiliter cum alio, quanto, quod manifestum est in omni acquisitione quãtitatis, per quã subiectum magis extenditur, statim .n. atque plus extẽsũ est, si suæ naturæ relinquatur, & non interueniat miraculum, plus spatij occupat, à quo necesse est recedere aliud corpus; hoc apertũ est in aqua rarescente, & in vino nouo, quod in tantum aliquando rarescit vt frangat vas, in quo continebatur; si autẽ duo corpora quanta se penetrare possent, & simul esse in eodem loco, non acciderent eiusmodi effectus; sed in eo casu se penetrarent; nam quæ potest esse ratio, cur tunc maximè non se penetrẽt, & simul sint, & penetrent se alias; si ergo cum maximè opus esset, neque corpus tenue cum solido, neque plura corpora tenuia inter se penetrare se possunt.

Dicendum duo corpora sine miraculo nõ posse esse in eodem loco Probatur hæc cõclusio ex dictis, & Confirmatur, quia nulla alia ratio afferri potest, cur in vniuerso corpora per tanta spatia distendantur, quanta sunt à summo cælo ad centrum, cur ab inuicem distent, nisi quia in eodem loco simul penetratiuè esse non possunt; ergo duo corpora in eodem loco simul penetratiuè esse non possunt. Ad rationes in contrariũ.

Ad primam experientiã de cyatho pleno cinere. Respondeo dicendum cũ Arist. sect. 25. problem. 8. aquam infusam in cyathum subire multos poros, qui sunt inter partes cineris, qui prius replebãtur aere, præterea pondere aquæ cinerem condensari, & multum loci ipsi aquæ relinquere, vlterius multam aquæ in tenuissimos vapores resolui propter caliditatem cineris, & cum partibus aquæ partes item aliquas cineris exhalare, ex quo fit, vt cyathus tantundem vere aquæ videatur admittere plenus cinere, quantum si vacuus esset.

Ad secũdam experiẽtiam de schypho & nummis Respondeo dicendum tum adensari aquam, tum attolli ad os scyphi in sphæram, vnde est quod si labra scyphi non sint sicca, sed madida effundatur aqua; nandum sicca sunt attollitur aqua in sphæram; quoniam refugit à sicco, vt à contrario, vnde idẽ Plin. loco citato sic habet. scilicet quia intus recepta liquorem in vertice attollãt: at cumulo eminente infusa dilabantur.

Ad secundam rationem Respondeo dicendum, quod aqua in pane benè madefacto subit minutissimos quosque poros; vnde est, vt nulla appareat pars panis, quæ madefacta non sit; tamen quod panis, & aqua nõ se penetrent illud euidens argumentum est, quod panis madefactus aliquantulum intumescit, non intumesceret autem, & dilataretur, si dimẽsiones aquæ & panis simul starent in eodem loco penetratiuè.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod in ferro candenti est quidem aliquis ignis; sed in poris minutissimis, vbi prius erat aer, ex quo tamen dici non potest, quod ignis se penetret cum ferro; verum quidẽ est, quod tantum igniri posset ferrum, vt amitteret formam ferri, & reciperet formam ignis, sed tamen nunquam naturaliter fiet, vt ferrum & ignis simul sint penetratiuè; quare negatur consequentia. quod autem dicunt aliqui in ferro simul esse formam ferri, & ignis alibi ostendetur esse falsum.

Art 3. Vtrum in eodem loco possint esse duo corpora per diuinam potentiam.

Fauet sententiæ negatiuæ Duran. in 4. dist. 44. quæst. 6 & hæ rationes apud ipsum.

Prima ratio. non minus est necesse duo corpora distingui ad inuicem situ, & positione, quam duas partes eiusdem corporis, sed partes quantitatiuæ eiusdem corporis sic necessario distinguuntur situ, & positione, vt impossibile sit ea simul esse simultate opposita huic distinctioni ergo similiter

duo

duo corpora ita distinguitur situ & positione, vt impossibile sit ea esse simul simultate opposita illi distinctioni. Probatur maior: actualis diuisio partium quantitatis nõ tribuit partibus illis, quod possint esse plus simul, quam ante diuisionem, sed vna quantitas efficitur duplex sola diuisione; ergo simultas, quæ repugnat partibus eiusdẽ quãtitatis repugnat quibuscumque duabus quantitatibus. Minor probatur, quod partes quantitatis eiusdem corporis sic necessario distinguantur situ, seu positione, vt impossibile sit eas simul esse simultate opposita huic distinctioni de intrinseca rõe quãtitatis est vt habeat partes extra partes, ergo contra rationẽ, & essẽtia quãtitatis est, vt vna pars quantitatis sit intra alia, & in eadẽ positione cum alia; sed hoc esset si duæ quantitates essent in eodem loco; quia vt dictum est non minus hoc repugnat in quantitatibus distinctis, qua in duab⁹ partibus quãtitatis; ergo repugnat, & impossibile est duas quãtitates esse simul positione; & in eodẽ loco.

Secunda ratio. sicut partes quantitatis successiuæ, quales sunt tẽpus, & motus habent inter se ordinem durationis, sic partes quãtitatis permanentis habent inter se ordinem positionis; sed nulla virtute fieri potest, quod partes quantitatis successiuæ vt partes tẽporis, & motus sint simul duratione, cũ de ratione earum sit prius & posterius secundum durationem: ergo similiter nulla virtute põt fieri, quod partes quãtitatis permanentis sint simul positione, & per consequẽs nec duo quantitates duorum corporũ.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt Theologi Scholastici communiter cũ recentioribus, & hæ rationes.

Prima ratio ab auctoritate nã cõstat nobis per scripturam de penetratione Corporis Christi cum lapide sepulchri, cum ianuis Cænaculi, cum cęlo in Ascensione; ergo duo corpora per diuinam potentiam penetrare se possunt, & esse in eodem loco; Accedunt Patres qui loca scripturæ in hoc sensu accipiunt, & hanc veritatem testantur: ita Leo Magnus sermone 2. de natiuitate, & alij quos citant Conimbricenses hic.

Secunda ratio. non implicat cõtradictionem duo corpora simul esse in eodem loco; ergo id præstari potest per diuinam omnipotentiam. Probatur Consequentia, quia Deus potest quicquid contradictionem nõ implicat. Antecedẽs probatũ; quia esse in loco formaliter nõ est excludere ab eo aliud corpus; ergo duo corpora poterunt esse in loco, & nõ se excludere sine cõtradictione.

Pro solutione.

Notandũ, quod quãdo inquiritur de aliqua re, vtrum possit fieri per Diuinam Omnipotentiam, oportet habere præ oculis illud D.P. qui potest facere supra id, quod intelligimus: quare non oportet infinitã Dei potentiam metiri angusto nostro intellectu nec quicquam ipsi denegare, etiam si illud facile intelligere non possimus, nisi apertã inuoluat repugnantiam, vel contrarium sit ijs, quæ à diuina veritate reuelata sunt, cũ autem in proposito ex reuelatis potius habeamus illud à Deo fieri posse, magna est nota temeritatis, & stultitia ob ea, quæ nobis cæcutientibus in contrariũ videtur Deo id denegare; quare in hoc Durandus non caret reprehensione; ꝙ propter vnã, aut alteram rationem non maximè firmam, ea, quæ aperta sunt in scripturis, eludere voluisse videtur, cum dicat dici posse Christum Dominum ad discipulos in cænaculum clausis ianuis introgressum vel per fenestras apertas, vel nõ penetrando ianuas, sed ingressum subito per apertas ianuas, & statim obseratas non animaduertentibus discipulis, quasi dicat Scriptura Christum ingressum esse in Cænaculum ianuis clausis, quia ingressus est cum ianuæ essent clausæ, nec discipuli aduerterent eas fuisse apertas; quare hæc etiam disputandi gratia satis ineptè Durandus nõ considerans potentiam Domini, cum tamen res non magnam habeat difficultatẽ; nam quantitas pro suo effectu formali non habet occupare locũ, hoc quamquam philosopho fideli est sine controuersia, & certissimum, tamẽ ratione etiã sic potest ostendi: quantitas cum sit accidens effectum suum formalem non potest habere saltẽ primario, nisi in ordine ad subiectũ, ac proinde effectus formalis quãtitatis erit quantificare, & extendere in se subiectum; extendere autem in se subiectum, & extendere in loco, sunt diuersa, & hoc est illo posterius; Quia ideò subiectum tantum spatium occupat, & per sua extrema tanto coexistit corpori, quia tantum in se ipso per quantitatẽ extensũ est, vnde nulla est ratio, cur per diuinam potentiam relicto primo non possit tolli hoc secundum à quãtitate,

dictæ

dictæ enim potentiæ sic subiectum est totum esse creatum, vt non minus illi sit naturale præstare ea, quæ Deus vult, quam ea, quæ ipsi Physica sunt: si ergo potest Deus tollere à quantitate illum quasi secundarium effectum, qui est occupare locum, multo magis tollere poterit excludere aliud corpus ab eodem loco; neque enim quantum occupare locum est excludere aliud quantum ab eodem loco; sed est commensuratiuè, & extensiuè existere in loco, ad quod prærequiritur exclusio alterius quantitatis, nisi per Diuinã Potentiam prohibeatur; nam incompossibilitas illa quantorum est requisita ad occupationem loci naturaliter, sicut & occupatio loci est connexa cum extensione, & quantificatione subiecti: dubitandi autem ratio in eo peccat, quod ponit idem esse quantum extendere subiectum, & occupare locum, aliudque quantum excludere; unde argumentatur à primario effectu formali quantitatis, quem habet quantitas in eodem subiecto, & in ordine ad ipsum, ad secũdarios; neque enim si fieri non potest, vt quantitas, quæ extendit subiectum, replicetur in ipso subiecto, & illud non extendat, statim dici debet fieri non posse, vt vel omnino locum non occupet, vel non occupet locum breuissimum, vel occupando quantum non excludat aliud quantum: nam non excludere aliud quantum, non est non extendere subiectũ, & facere in eo partem extra partem, sed est subiectum, quod in se extensum est, & quantum correspondere ita loco, vt intimè in eodem loco habeat præter se secundum omnem sui partem aliud quantum; hoc autem secundum quantum non inhæret priori quantò, nec quantitas ipsius subiectatur in priori quãtitate; sed sũt duæ quantitates informantes distincta subiecta, & in illis habentes suum effectum formalem, quarum vtraque ita habet suum effectum formalem in suo subiecto, vt nullo modo talem effectum habeat in alio; sed proinde se habet quo ad hoc, ac si esset in locis remotissimis, quare neque videtur verum, quod aiunt aliqui, duo corpora per Diuinam Omnipotentiam solum se penetrare, cum vnum tantum occupat locum, & habet extensionem localem, alterum non habet, nec in ordinè ad locum est extensum, sed solum extensum est in se; ex dictis enim manifestum est habere localem extensionem, & excludere aliud, esse diuersum, etiam si vnum sequatur ex alio, & posse à Deo tolli secundum relicto primo, atque adeò licet duo corpora localem extensionem habeant, adhuc tamẽ miraculosè penetrare se posse. Quare.

Dicẽdũ nõ repugnare plura esse corpora in eodẽ loco p diuinã omnipotentiã, patet conclusio ex dictis, & rationibus primæ sẽtentiæ.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam manifestum est ex dictis falsam esse maiorem; nam duas partes eiusdem corporis necesse est in illo corpore distingui simul situ, & positione, quæ spectetur penes ipsum subiectum; quia in hoc consistit effectus formalis quantitatis, non est tamẽ necesse distingui situ, & positione in ordine ad locum, neque duas partes eiusdem corporis, neque duas distintas quantitates; vnde est, vt duę partes quantitatis, quæ differunt situ, & positione, quam imaginamur in ipso subiecto, non differant situ, & positione in loco indiuisibiliter, vt in Sacramento Sanctissimo, & multo magis duæ distinctæ quantitates simul sint situ, & positione in loco, siue sint in loco diuisibiliter, siue indiuisibiliter. Ad probationem tamen maioris Respondeo dicendum; quod si partes quantitatis spectentur in ordine ad suum subiectum non ad locum, magis possunt duæ esse distinctæ partes quantitatis in eadem parte subiecti, quam duę partes eiusdem quantitatis non distinctæ, & ratio est, quia forte non implicat per Diuinam potentiam duas quantitates informare idem subiectum; implicat tamen, quod non sint partes extra partes, & in quantitate; & in subiecto, si quantitas informet subiectum, quia quantum informare subiectum non est aliud, quam ita in eo inhærere, vt faciat partem assignabilem extra partem: quare etiam si per dicta iam euacuetur difficultas argumenti; quia argumentum procedit ab extensione quantitatis quam facit in subiecto ad extensionem localem; tamen in eo etiam peccat, quod putat nõ magis repugnare duas partes eiusdem quantitatis esse in eadem parte subiecti, quã duas distinctas quantitates, cum tamen primũ sit contra ipsam rationem formalem quãtitatis, quæ est esse extensionem subiecti, secundũ nõ sit cõtra rationẽ formalẽ quãtitatis; quia de ratione formali quãtitatis nõ est, vt sit in vnico subiecto vnica extẽsio, sicut neq; de ratione formali aliarũ formarũ est, q per Diuinã po-

potētiam in subiecto multiplicari nō possint.

Ad secundam respondeo dicendum, quod argumentum valet, si spectentur partes quantitatis in ordine ad se, & extensionem, quam præcisè habent in subiecto, vnde sicut partes quantitatis successiuæ habent necessario talem ordinem inter se, ita & partes quantitatis permanentis spectatæ in subiecto, cuius sunt extensio; quamquam forte non repugnat per Diuinam Omnipotentiam, & in partibus quantitatis successiuæ, & in partibus quantitatis permanentis poni alium ordinem dummodo in illis sit successio, in his saluetur, quod sit vna pars extra aliam; tamen quicquid sit de hoc, negatur, quod sicut partes quantitatis habent necessario certum ordinē inter se, ita talem ordinem retinere debeant in ordine ad locum, quod est certissimum in Sacramento Eucharistiæ, & vlterius negatur etiam si retineant ordinem inter se, & respectiuè ad locum, quod non admittant deinde etiam per Diuinam Omnipotentiam coexistentiam diuersæ quantitatis secum in eodem loco; nam ista omnia sunt distincta, quæ confundit Durandus.

Art. 4. Vtrum idem corpus possit esse in pluribus locis simul.

PRo sententia negatiua sunt Thomistæ cōmuniter S. Thomas 3. parte quęst. 75. art. 1. 4. contra gen. cap. 64. Capr in 4. dist. 10. qu. 1. Heruæus quodli. 11. qu. 13. Ferrar. Duran. & Alij. Aegid quodli. 1. qu. 1. & quodli. 2. qu. 17. & hæ rationes.

Prima ratio. duobus tantummodis aliquid est in loco, vel definitiuè, vel circumscriptiuè; sed vtroque modo corpus esse in pluribus locis Implicat; ergo idem corpus non potest esse in pluribus locis. Probatur minor. implicat primo esse definitiue, quia illud est in loco definitiuè, quod est definitū ad certum locum, ita vt non sit alibi; implicat secundo esse circumscriptiuè, quia esse circumscriptiuè, est circumdari superficie vltima continentis, & intra terminos eius claudi, ab eaque comprehendi ita, vt totum corpus intra illam sit, & nihil extra; ergo vtroque modo esse in pluribus locis implicat.

Secunda ratio. idem esse vnum, & non esse vnum, est contradictio; sed corpus, si esset in pluribus locis, esset vnum, & non esset vnum; nam v. g. corpus A. sit Romæ, & Mediolani, vt est Romæ est vnum, vt Mediolani alterum, & sic duplex est: ergo si vtrobique poneretur, esset vnum, & non esset vnum. Confirmatur, quia corpus si esset in pluribus locis, posset moueri motibus contrarijs, & ab eodem termino fieret longinquius, & propinquius, & sibi ipsi occurreret; imò in vno loco calefieret, in alio Frigefieret, & in vno mori posset, & anihilari, in alio conseruari, & sic idem esset, & non esset, quæ implicant contradictionem manifestam.

Tertia ratio. si idem corpus posset esse in pluribus locis posset esse immensum; quoniam posset à Deo poni in omnibus locis; sed nihil potest esse immensum nisi Deus; non igitur idem corpus in pluribus locis, etiam per Diuinam Omnipotentiam, potest esse.

In contrarium pro secunda sententia affirmatiua est Scot. in 4. dist. 10. qu. 2. Basso: ibi. qu. 3. art. 2 Argent. qu. 1. art. 1. Mairo. dist. 1. q. 1. Ocham dist. 10 quæst. 4. Marsil. qu. 3. Ioan. ma. quęst. 2. Gabri. qu. vnica & in can. lect. 46. idem tenet Hugo Victo li. 2. de sacr. p. 8. c. 11. Conim. li 3. phy. cap. 5. q. 5. & alij, pro quibus sunt hæ rationes.

Prima. Deus ponit de facto in Eucharistia Corpus Christi in pluribus locis; præterea in Cælo est circumscriptiuè, & in Sacramento sacramentaliter; sed hoc est difficilius, quam idem corpus poni in pluribus locis modo sibi naturaliter competente, nimirum circumscriptiuè; ergo idem corpus per Diuinam potentiam in pluribus locis circumscriptiuè esse poterit.

Secunda ratio, idem corpus esse in pluribus locis circumscriptiuè non implicat contradictionem; ergo in eis potest esse per Diuinam Omnipotentiam. Probatur antecedens, si implicat contradictionem, vel implicat; quia esse circumscriptiuè in vno loco sit ab eo circumscribi, ita vt corpus non sit extra illum locum, ac proindę si in alio loco esset, simul esset, & non esset extra illum; vel implicat; quia eidem corpori contradictoriè conuenirent prædicata; non primum; quia esse circumscriptiuè in vno loco est omnes partes corporis, & singulas correspondere omnibus, & singulis partibus loci,

& ab

& ab eis circumscribi; nō vero non esse extra illum locum; non secundum, quia prædicata absoluta, quæ conueniunt corpori in vno loco, conuenient etiam in alio; prædicata autem respectiua conuenient in vno loco, cum sint in ordine ad extrinsecum, si autem non conueniant in alio loco, imò & in alio loco conueniant contraria nihil repugnabit.

Pro solutione.

Notādū, quod dato illo principio, quod nihil Deo est denegandum, nisi quod cōtradictionem manifestam inuoluit, & quod Deus potest facere plura, quam nos intelligere, & facere supra id, quod possumus intelligere, vt ait Apostolus, consequēter negari non debet Deum posse ponere idem corpus in pluribus locis, nisi apertam contradictionem inuoluat. Considerandum igitur est, quod sicut proprium quantitatis est explere locum quantitatiuum sibi adæquatum, & æqualem; & tamen ab ea tolli potest Diuina Omnipotentia, & quod locum repleat, & quod aliud corpus ab eo excludat; ita proprium ipsius est, plura loca non replere, Diuina tamen Omnipotentia tolli poterit ab ea, quod ad vnum tantum locum replendum coarctetur: nam esse circumscriptiuè in loco non est non posse reperiri extra illum; sed solum est nullam esse partem corporis, quæ non circumscribatur superficie loci, cum quo stabit, quod adhuc omnes partes corporis, & singulę sint in alio loco; quare nulla ex hoc vera potest oriri contradictio, sed neque simpliciter est contradictio; quod eidem corpori conueniant diuersa, & contradictoria prædicata cōnotatiua, & respectu diuersorum; cum hoc etiā eueniat naturaliter; idem enim homo est risiuus, & non est risiuus secundum diuersa; eadem quantitas diuisibilis, & indiuisibilis secundum diuersam rationem, & sic de reliquis; vnde est, quod si corpori existenti in vno loco cōueniat aliquod prædicatum, quod dicatur connotatiuè ad illum locum, non statim illud ipsi conuenire debeat, vt est in alio loco, imò etiam conuenire possit contrarium, & contradictorium; quare cum ex nullo capite vlla reperiri possit vera contradictio.

Dicendum posse per Diuinam Omnipotentiam idem corpus siue circumscriptiuè, siue definitiuè prout definitiuè cōtradistinguitur à circumscriptiuè, poni in pluribus locis. Patet cōclusio ex dictis. Confirmatur viribus naturæ tota anima rationalis est in brachio, & tota in manu &c. ergo multo magis potentia Dei totus homo poterit esse intra hoc gymnasium, & totus in via, & sicut totam animam esse in brachio, non est non esse extra brachium, ita totum hominem circumscribi aere huius gymnasij, non est non circumscribi aere, qui est in via.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam iam patet malè accipi ibi esse in loco definitiuè & circumscriptiuè, cum esse in loco definitiuè, vt modo de eo loquimur, non sit esse definitum ad certum locum, itaut extra illum locatum non sit, sed non esse diuisibiliter, & commensuratiuè in loco, & esse in loco circumscriptiuè non sit contineri à loco, & circumscribi, ac claudi, quasi extra illum esse nō debeat, sed partes corporis correspondere partibus loci, & totum corpus toti loco, siue deinde alteri locọ correspondeant, siue non.

Ad secundam Respondeo dicendū, quod corpus in pluribus locis non minus esset vnum, quam in vno, eodemque loco, cum vnitas corpori non proueniat à loco, sed à sua intrinseca entitate, & indiuisione, quā eandem retineret in omnibus locis; neque ex eo, quod quis haberet occasionem numerandi illud corpus, vt multiplex, idcirco multiplex esset; secus cū decussatis digitis sentitur globus duplex, & per cancellos, ac per spicillia angularia vna res apparet multiplex, vna, & non vna esset; quia multiplex videtur.

Ad confirmationem Respondeo dicendum, quod in eo casu non repugnare idem corpus moueri aliquo modo motibus contrarijs, quando naturaliter, & nauta in naui, & formica in rota moueri potest motibus aliquo modo contrarijs, & accedere, & recedere ab eodem termino, licet non eodem protsūs modo accedat, & recedat. ad cætera autem obiecta de calefactione, & frigefactione, & alijs huiusmodi videtur dicendum, quod dato casu, quod idem corpus poneretur à Deo in pluribus locis in omnibus conuenirent ipsi omnia prædicata, & omnes formæ, quæ absolutæ sunt; vnde si in vno loco calefieret, in alio etiam illum calorem haberet; sed in alio loco non calefieret simpliciter; quia in eo non haberet

calefaciens,& reliqua ad hoc,vt dici posset simpliciter in eo caleheri;quamquam reciperet de nouo formam caloris, & si in vno loco viueret,necessario etiã viueret in alio; si in vno moreretur, moreretur etiam in alio; quoniam hæc omnia absoluunt ab extrinseco, & prius est subiectum hæc habere,quam esse in loco; quare præciso connotato ad locum,vbicumque esset corpus, ibi haberet easdem formas, & eadem accidentia, & quæ simul repugnarent in vno loco, repugnarent in duobus,& quę possent conuenire in vno loco corpori per Diuinam Omnipotentiam possent conuenire in pluribus;quæ vero repugnarẽt in vno loco, repugnarent in pluribus, nisi fortè repugnantia nasceretur ab extrinseco, & à loco.

Deus ergo ponendo corpus in pluribus locis ex vi huius miraculi determinatur ad omnia alia, quæ ex hoc necessaria sunt, & quantitas locans formas in vno loco,necessario etiã locaret in alio; vnde calefacto corpore hic Mediolani, si simul existeret Romæ,etiam ibi haberet calorẽ,& si Romæ separaretur anima à corpore, vel alia forma corrũperetur,etiã hic desineret,quia ꝑ hoc, quod sit hic,& Romæ nõ bis est,sed in bino loco, sicut non duplex esset quantitas, qua occuparet locum hic, & Romæ.

Ad tertiã Respõdeo dicẽdũ, quod immẽsũ nõ est, quod intrinsecis terminis clauditur, & finitur,etiãsi quasi ꝑ reduplicationẽ & repetitionem sui posset immenso spatio coexistere; in dato autẽ casu corpus intrinsece finiretur sua propria superficie, & solũ quasi per repetitionẽ pluribus locis coexisteret, quare negatur maior, & cõsequẽtia.

Obijcies.si idẽ esset in pluribus locis,puta si ignis esset hic, & in multis alijs locis, posset prope ĩfinita simul agere,cũ sit tamẽ valde limitatæ,& formæ, & virtutis; nam vbicumque esset posset comburere: ergo implicat idem esse in pluribus locis.

Respondeo dicendum, quod & ijs actionibus,quæ fiunt cum repassione,& actionibus adæquatis, in quibus s. occupatur tota agentis virtus, non plus agere posset idem corpus in pluribus locis, quam in vno solo; at vero actionibus inadæquatis, & quæ sũt sine vlla repassione, & occupatione potentiæ, nec excedunt, sed solum impediuntur per incompossibilitatem passi, vt est calefacere, & alia huiusmodi, idem corpus in pluribus locis plura posset agere;primis vero non posset: vnde si quis in vno loco potest ferre pondus vt decem, & hic, & alibi simul non poterit ferre pondus vt decem; quia iam respectu potentiæ deberet ferre pondus vt viginti,quod non potest; quia pondus vt viginti,superat potentiam, quæ solum potest ferre pondus, vt decem.

Dices si quis comederet Romæ, & simul esset Mediolani num satursieret etiam Mediolani?

Respondeo, quod cibus posset quidem contineri in stomacho Romæ, & non Mediolani, tamen idem cibus si verteretur in substãtiam viuentis simul vtrobique verteretur; quia hoc iam spectat ad constitutionem absolutam subiecti; quod vtrobiq; habere debet eandem entitatem.

Dices cur nõ possit Deus facere,vt forma vnita subiecto in vno loco, in alio vnita non sit, cum hoc non plus difficile sit, quam idem esse simul in pluribus locis? Respondeo formam esse vnitam subiecto maximè si sermo sit de substãtiali,est formã degenerare cũ illo in tertium ens, & non solum ad inuicem dicere præsentiam, ac proinde hoc vbique habebit. Quia intrinsecum,& essentiale præcedere debet rationem loci, cõtrarium tamen non est improbabile, iuxta quod dici potest, quod in eo casu,Petrus v. g. simpliciter viueret, secũdum quid dici posset mortuus non vera morte,idest destructione absoluta talis entis, sed repetitione locali in aliquo alio loco animæ ipsius, vel corporis,vnde propositio affirmatiua esset simpliciter vera, negatiua nõ esset vera absolutè,& vt est propositio purè negatiua.Quia hæc totum tollit,sed & mors ibi acciperetur in sensu limitato, & significaret repetitionem localem alicuius ex partibus essentialibus Petri sine alia, non vero vt tollit simpliciter vitam à Petro.

QVAESTIO QVARTA

De Vacuo.

LOcus,si locato corpore careat, vacuum dicitur; vnde describi solet vacuum. Locus sine corpore. de vacuo ergo post locum,

tum, & ea, quæ in loco sunt considerãdum est, tum quomodo ad ipsum se habeat motus localis.

Art. 1. Vtrum in natura detur Vacuum.

PRo prima sententia affirmatiua fuerunt aliqui ex antiquis philosophis, vt Leucippus, & Democritus, qui in rerum natura vacuum, ponebant, sunt & hæ rationes.

Prima ratio, si inter corpora non daretur vacuum omnia corpora essent continua; sed quæ sunt cõtinua sunt vnũ; ergo omnia corpora essent vnum, quod est apertè falsum; Sequela maioris pbatur; quia si inter aeré, & aquã nõ datur vacuũ, materia aeris esset cõtinua cum materia aquæ, per quod enim vtraq; materia separari debet, si inter ipsas non est aliquod spatium vacuum.

Secunda ratio. nisi daretur vacuum in natura non fieret motus localis; sed vt sensus & experientia docet fit motus localis; ergo datur vacuum, Probatur maior, vt fiat motus localis; mobile debet transire à loco in quo erat ad alium, in quo non erat; vel ergo locus, ad quem transit, vacuus est, vel plenus alio corpore: si vacuus habetur intentum, si plenus; vel ergo dabitur penetratio duorum corporum, vel alterum cedet relinquens illum locum; si autem cedat, debet subire aliũ locũ, & ipsi cedere debet aliud, corp⁹, & sic vel procederetur in infinitũ, & per solum motum muscæ fluctuabit totum vniuersum, vel certè concedendum est vacuum; quod aliquod corpus subeat.

Tertia ratio, nisi sit vacuum non poterit esse augmentatio viuentium; sed viuentia, vt experientia constat, augentur; ergo vacuum dari debet; Probatur maior, vt fiat augmentatio debet alimentum subire partes viuentis, & cum illis adglutinari, & fieri vnum; vel ergo alimentum subintrat partes plenas & solidas, & sic dabitur penetratio corporum, vel subit vacuitates, & sic datur vacuum; præterea vel quando alimentum conuersum est in substantiã viuentis, est adhuc in illis locis, in quibus receptum fuerat, antequam verteretur in substãtiam viuentis, vel non est; si est; ergo viuens non est factum maius, ac proinde nec auctum; si non est, ergo foramina illa relicta sunt vacua.

Quarta ratio, quando aqua condensatur, uel partes aquæ in se restrictæ sunt, uel redactæ ad loca, ubi erat uacuum, si primũ, cũ iam non occupent tãtum loci, quantũ prius necesse est partes aquæ se penetrare; si se retulerunt ad loca uacua, datur uacuum. ergo

In contrarium pro secunda sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima ratio, natura maximè amat unitatem; sed si daretur uacuum uniuersum non esset unum; ergo non datur uacuum; Maior patet. Minor Probatur, quia illa, quæ non sunt unum substantia, & natura non possunt esse unum, nisi coniunctione, & continuatione, quæ per uacuum tollitur.

Secunda ratio. si daretur uacuũ tũc maximè daretur, quãdo illud natura, uel ars exigit; sed tũc nõ datur: ergo. Probatur minor, natura illud exigere dici potest, quando ut uitet uacuũ debet operari cõtra propriã inclinationem; in quo tamẽ casu ppria inclinatione relicta operatur ad uitandũ uacuũ, unde uidemus in fistulis, & tibijs, ne detur uacuũ, aquã ascẽdere cõtra propriã naturã, in Cleplydris clauso superiori orificio licet sint aperta inferiora foramina, aquã tam nõ descẽdere, sed manere in Clepsydra suspensam, in cucurbiculis chirurgorum carnem attolli, dilatari, & rarefieri præter propriũ statum, ut repleat uacuum, quod flamma ibi extincta fieret: hæc, & alia quamplurima huiusmodi habemus in natura, quæ uacuum dari non posse ostendunt.

Pro solutione.

Notãdũ, quod sapiẽtia Dei.O.M. quæ mũdũ hunc est molita nihil permittere debuit in eo, quod esset contra bonum totius uniuersi, licet multa in mundo debuerit permittere, quæ sunt contra inclinationẽ huius & illius particularis naturæ, quia cedunt, in bonum alterius naturæ, ac proinde & in bonum uniuersi. Iam uero uacuum cum in bonum naturæ esse non possit, sed omnibus penitus repugnet, ut quod tollat ab uniuerso unitatem, quã tantopere natura affectat, quodq; priuet corpora mutuo cõplexu, quo inuicẽ fouentur, & in causa sit, ne inferiora corpora uirtute, & influxu superiorũ gubernentur; cum tamen mundum hunc inferiorem, ut ait philosophus, supernis lationibus oporteat esse contiguum, ut ex illis

omnis

omnis ipsius virtus gubernetur; ideò nullo modo in mundo permitti debuit à Deo; si enim illud permisisset contra mundi finem permisisset, & bonum vniuersi; cùm ergo nihil sit in hoc mundo, nihilque fiat secundũ naturæ leges, quod Diuina Sapientia non instituerit, vacuũ autem prorsus è regione pugnet cum fine, quem mundo attribuit, & quem bonum vniuersi postulabat; ideò nullo modo vacuum in mundo permitti potest de lege scilicet Dei ordinaria, quare.

Dicendum non dari naturaliter vacuum, quæ conclusio ex fine modo dicto ostensiuè probatur, et experientijs allatis à posteriori certa est. Confirmatur, vacuum repugnat actioni; quia actio esse non potest indistãs, nisi per medium; medium autem nõ est, vbi plenum nõ est; sed omnia sunt propter suas actiones 2. Celi tex. 17. ergo in natura vacuũ dari non potest.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod corpora continua esse nõ possunt, quæ quãtitatibus discontinuis disiuncta sint, & habeant diuersas superficies; & quoniam sine vllo vacuo corpora diuersa suis superficiebus distinguuntur; idcirco negatur sequela maioris, & ad probationem Respõdeo materiam aquæ, & aeris diuidi, & separari formis diuersis, quibus affecta est, præsertim vero quantitatibus actu diuersis, & diuersis superficiebus terminatis.

Ad secundam Respondeo dicendum, si daretur vacuum, quod potius non fieret motus localis; nam corpora naturaliter non mouentur, nisi vt vel fiant proxima, vel recipiantur in alio corpore; ad hoc autem vt fiat motus localis, per quem vnum mobile debet succedere in locum alterius satis est vt aliud ipsi locum cedat; nec tamen ex hoc sequitur omnia corpora moueri, vel fluctuare vniuersum; quia corpora fluida cuiusmodi est aer, ignis, & aqua, & dilatantur, & addensantur, & prout densantur facile cedere possunt locum mobili succedẽti in locum ipsorum; quatenus dilatantur facile replere possunt locũ relictum, vel magis compressa in vnam partem moliuntur exitum, & recurrunt ad aliam relictam à mobili; quare negatur sequela maioris, & ad probationem patet ex dictis.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod vt fiat augmentatio sufficit, vt in viuentibus dentur foramina, & pori, nõ quidem omnino vacui, sed non pleni substãtia viuentis, sed pleni tenui spiritu, & humore, qui facilè cedat alimento à potentijs nutritiuis ad partes viuentis attracto; ipsum porro alimentum conuersum in substantiam viuẽtis in locum viuentis subit non per aliquam penetrationem, sed quia toti viuẽti fit vnus totus locus maior, & dilatatio.

Ad quartam Respondeo dicẽdum, quod cum aqua condensatur quantitas aquæ fit minor, ac proinde sine vllo vacuo aqua occupat minorem locum; cum autem rarescit fit maior, & maiorem locũ tenet, ad quod, vt apparet non est necessarium vacuum.

Ob. si in follibus claudatur orificium, itaut per illud nullum prorsus aerem admittant, tum vi dilatentur latera follium intus dabitur spatium sine aere, vel alio corpore, ergo dabitur vacuum; præterea si sit vas aeneum fortissimum vndequaque occlusum, & plenum sit aqua feruenti, tum ponatur in loco frigidissimo; aqua ob vim frigoris concrescet, & minorem locum in vase occupabit, ergo reliquum vasis remanebit vacuum. Tertio sint duæ tabulæ leues omnino, & benè planæ, quæ se tangant, tũ altera separetur ab altera; vel ibi dabitur vacuum, vel fiet motus localis in instanti secundum esse non potest; quia implicat. ergo primum, quod autem alterum ex dictis sequi debeat Probatur, cum vna tabula recta disiungitur, altera æquè disiungi debet ab illa secundum omnes sui partes, atque adeo tam secundum medias, quam extremas; sed non potest æquè primo aer occupare locum medium, atque sibi proximum, nisi detur motus in instanti; ergo eo tempore, quo aer accurrat ad partes sibi vicinas, reliquæ magis distãtes relinquentur vacuæ.

Respondeo Dicendum, quod cum natura vt viter vacuum, omnia alia incommoda subeat, & proprios motus relinquat; si detur primus casus, quod vndequaq; benè claudantur folles, ita vt nihil prorsus aeris admittant, alterum ex duobus sequetur, vel quod in partes frangantur folles, vel quod nulla prorsus vi dilatentur, ac proinde nullo modo vacuum sequetur; si detur secundus casus, vel aqua non concrescet, vel frangetur vas, vel certè occupante aqua cõgelata partem vasis, aliam partem occupabunt vapores, & exhalationes, quæ ex aqua

transpi-

transpirauerint, siue per poros vasis ingressæ fuerint; si detur tertius casus posito etiã quod illæ tabulæ perfectè se tangãt, & nullus mediet aer, quod videtur negare Arist. 2. de anima tex. 113. non poterint æqualiter à se tabulæ rectæ separari, sed vel frangentur in partes, vel certè separari debebũt ad latus, extracta vna ab alia paulatim.

Dices quãdo frangitur adamas, vel alius perdurus lapis aer non potest accurrere ad replendum locum mediũ; itaut illum æquè primo repleat, ac extimum: ergo saltem illo breuissimo tempore dabitur vacuum in medio.

Respondeo dicendum, quod scissio cuiuscumque lapidis etiam adamantis, cum fiat cum motu locali, & in tempore, eodem illo tempore ad medium occupandum accurrere poterit aer, atque adeo non erit necesse dari vacuum.

Ob. secũdo si alicubi detur vacuũ per Diuinam Omnipotẽtiam, ibique sit homo, vel animal, poterit se mouere ex vna parte in aliam; sed cum relinquet vnam partem, ibi naturaliter dabitur vacuum; ergo non repugnat naturaliter dari vacuum, et idem Probatur si in illo vacuo exploderetur bõbarda; hæc enim cum ante explosionem esset plena postea fieret naturaliter vacua; quia non esset, quod posset accurrere ad illam replendam.

Respondeo dicendum, quod datis illis casibus si corpora seruarent eandem qualitatem, qua modo prædita sunt, ad vitandum vacuum, nec animal in vacuo posset moueri; quia secundum illam partem, qua plenum tangeret, detineretur; nec bombarda posset explodi, vel certè non totus ignis ex ipsa exiret in explosione, sed tantus remaneret, quantus sufficeret ad bombardam replendam.

Art. 2. Vtrum dari possit vacuum per potentiam diuinam.

PRo parte affirmatiua, quæ est comunis sententia, est, quod dari vacuum absolutè non implicat, neque ex eo sequitur vlla contradictio; poterit ergo Deus, qui potest omnia, quæ contradictionem non inuoluunt, facere vacuum.

In contrarium pro parte negatiua sunt hæ rationes,

Prima ratio. vacuum est contra ordinem vniuersi; sed Deus nihil potest facere inordinatum, ergo Deus non potest facere vacuum, quia faceret contra ordinem, atque adeo aliquid inordinatum.

Secunda ratio, ordo naturæ est à Diuina Sapientia, tanquam ab arte; sed nihil facit artifex contra artem, nisi per errorem; & ignorantiam; ergo Deus, in quem non cadit error, nihil potest facere contra ordinem naturæ; nõ igitur potest facere vacuum, quod proculdubio est contra ordinem naturæ.

Pro solutione.

Notandum, quod fælicissima illa mens nullius indiga non ita adstricta est ad bonũ vniuersi procurandum, quin absolutè possit cõtrarium; sicut enim cum ipsi libuit omnia ex nihilo procreauit, ita omnia, si ei liberet posset in nihilum redigere; si autem omnia in nihilum redigere potest, multo magis facere vacuum; nam quid impediat, aut resistat, si velit totum aerem & ignem condensare, itaut iam non repleant totum cõcauum lunæ in quo certè casu vacuũ sequeretur, eodem modo posset Deus relictis cælis omnia elementa intra cælos inclusa annihilare, cum ab ipsius libera conseruatione pendeant, quod si faceret vacuum in natura dari necesse esset. quare cum Deus liberè bonum vniuersi procuret, imo & totum vniuersum liberè conseruet, potest facere vacuum, etiam si sit contra bonum vniuersi; quia absolutè non repugnat. Quare

Dicendum dari posse vacuum per Diuinam Omnipotentiam. patet ex dictis. Confirmatur, quia omnia corpora & cæteræ, etiam res sic Deo sunt subordinatæ, vt per illas ratione potentiæ obediẽtialis præstare possit Deus etiam contrarium inclinationi naturali; ergo posset Deus remouere duo corpora, quæ se tangunt, & ponere disiita, & velle sic posita illa distantiam retinere, in quo casu dabitur vacuũ. Præterea cum duo corpora currunt ad replendum vacuum, posset Deus cum illis non concurrere ad motũ localẽ; si autẽ Deus nõ cõcurrat non mouebuntur, & sequetur vacuũ; nulla enim actio potest esse sine Dei concursu.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod ordo

ordo vniuersi, is est non solum qui iam statutus est à Deo mundo, sed etiam is, quem potest Deus præstituere; quare licet Deus faceret aliquid contra ordinem, qui actu est in vniuerso; nihil tamē faceret inordinatè, quia faceret cum nouo ordine; nec etiam absolute faceret cōtra naturam rerum, quia ex D. Augustino li. 10. c. 6. & li. 21. de ciuit. Dei ca. 81. id est cuilibet rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, ordoque naturæ; quare negatur consequentia.

Ad secundam Respondeo dicendū, quod artifex potest etiam facere contra artem ex alia quasi superiore arte; vnde nō statim si artifex faciat contra artem, id facit per errorem; tamē hoc etiam dato in creatis artificibus considerandum est, quod solum per errorem debet esse illud, quod exorbitat à regula, & opere, in quo se tota explicuit ars, quod non est respectu Dei, cuius sapientiæ non est numerus; vnde ipsius sapiētia potest res aliter facere, quam fecit; nec minus tamen benè, etiamsi id nos concipere non possimus: concessa ergo maiore, & distincta minore, negatur consequentia.

Art. 3. Utrum fieri possit vacuum per potentias, & vires Angelicas.

PRo sententia negatiua sunt Conimbricenses lib. 4. phys. cap. 9. quæst. 4. art. 2. & hæ rationes.

Prima ratio. Angeli non habent vim, qua possint mutare ordinem elementorum mūdi, & multo minus ordinem totius vniuersi; ergo Angeli non habent vim, qua possint facere vacuum. Probatur antecedens ex D. Thom. qu. 16. de malo articulo 10. vbi hæc habet, licet dæmones possint mouere aliquam partem terræ, non sequitur, quod possint mouere totam terram; quia hoc nō est proportionatum naturæ ipsorum, vt mutent ordinem vniuersi: quod autem dicitur de dæmonibus valet etiam de Angelis; quia quoad hoc, eadem est ratio de Angelis, & dæmonibus, cum omnes naturales vires in dæmonibus remanserint integræ, quibus æquales sunt angelis ordinum similium. Confirmatur ex 2. capite epistolæ ad hæbræos, vbi dicitur non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ. & Iob. cap. 34. quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est? quibus testimonijs significari videtur non dedisse Deum Angelis potestatem super orbē ipsiusque ordinem, ac proinde non posse Angelum facere vacuum.

Secunda ratio ex Ruuio. quilibet effectus, ex quo mutatur naturalis ordo cōstitutus à Deo inter partes mūdi est vniuersalis; quia tangit ordinem naturalem totius vniuersi; sed virtus naturalis vnius, vel plurium Angelorum, aut ēt omnium est particularis quantumlibet magna sit; ergo non potest illum attingere; Probatur consequentia, quia sicut fuit effectus naturalis corpora naturalia ordinare, ac disponere in suis locis ad constitutionem mundi, quem nulla creatura, neque omnes simul attingere potuerunt; ita ea, vel aliquid earum extrahere à tali ordine vniuersalis est effectus, quem nō possunt attingere creaturæ; sed corpora naturalia disiungere, atque separare, itaut desinant esse contigua, vel vnum sub altero collocatum, aut quomodocumque amittāt dispositionem sibi debitam ex ordinatione mundi est effectus vniuersalis, & ex cōsequente efficere vacuum, quod non potest nisi ex aliquo horum sequi; ergo impossibile est effici vacuū per naturalem virtutem creaturarum, aut Angelorum.

In contrarium pro parte affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima ratio. potest Angelus v. g. in fistulis, quibus è puteis aquæ hauriuntur, retinere aquas, ne ascendant; ergo tunc fiet vacuū; Probatur antecedens, quia maior est virtus Angeli, quam vis attractiua, qua sursum trahitur aqua; ergo si illam Angelus adhibeat aquam retinebit, & fiet vacuum; quod autē vis Angeli sit maior, quā potentia, qua attrahitur, probatur; quia vis Angeli mouet cælum; præterea etiam si maior non esset possent tot Angeli simul concurrere, vt illam prorsus superarent.

Secunda ratio. virtutes corporum, quibus concurrunt ad motum localem sunt finitæ, & inferioris ordinis comparatæ ad vires angelicas; ergo per vires Angelicas vinci poterunt; sed corpora non possunt impedire vacuum, nisi per dictas vires; ergo per vires Angelicas uacuum fieri, poterit. Confirmatur

firmatur, quia poterit Angelus disiungere duos lapides, & retinere aerem, ne accurrat ad medium.

Pro solutione.

Notandum, quod non statim illud, quod pertinet ad dispositionem totius vniuersi denegari potest Angelo, quasi Angelus ad talē effectū vires nō habeat; nā etiam ad dispositionē vniuersi spectat motus cælorū, qui est quasi effectus vniuersalis, & tamē talis mot⁹ est in potestate Angeli, cū liberè moueat; prę terea cur non possent Dæmones, si hoc illis Deus permitteret, impedire influētias, quę è cælo in inferiora promanant, & vno anno impedire omnes generationes, quę si facerēt facerēt aliquid, quod est cōtra bonū vniuersi; nō igitur ex eo, quod aliquid sit quasi effectus vniuersalis, superat omnes vires angelicas adde quod si Deus creasset terrā extra cęlos, & nō aliūde impedirent cæli posset Angeli terrā deferre in cētrū; ergo & ex centro vbi nūc est, si quis diceret illā posse Angelos eleuare, si Dei decretū & volūtas non impediret; facile conuinci nō posset; sic enim poterit argumentari. si terra resistit virtuti Angelicæ, resistit solum per grauitatem, grauitas autem illa non solum finita est; sed neque potest superare multas virtutes Angelicas, & multas etiam si posset superare, tot tamen multiplicari possent Angeli, vt illam euincerent, & illam è loco, in quo nunc est, eleuarent; nam si vnus Angelus vnum solum mōtem mouere possit, siue etiam quid minus, & diuidatur terra in partes æquales illi, quam mouere potest Angelus, non poterunt partes terræ, quot sit Angeli, qui si cōcurrerāt simul, cū nō per aliud, quā per grauitatem resistat terra, totam terrā sursum tollent. sed facilius adhuc Angelo erit retinere aquam, vel aerē, ne subeāt illū locū, qui relinquitur vacuus in motu locali; Ergo probabile nō videtur præciso decreto Dei de non concurrendo cū Angelis ad effectus dictos, quod Angeli nō possint causare vacuū, nec effectus vniuersalis, seu spectans ad ordinationem vniuersi tantus est, si in se attendatur, vt vires angelicas superet; nam motus terrę, quid habet super rationē motus, sicut & motus tanti ponderis ex eo, quod dicitur effectus vniuersalis? & quā maiorē habet resistentiā ad vires angelicas, quam tanti ponderis? quæ cum ita sint.

Dicēdū si spectemus naturalē virtutē corporū ad replēdū vacuum, & naturales vires Angelorū, & præscindamūs omne aliud decretū Dei de nō cōcurrēdo cum Angelis ad eiusmodi effectus, posse Angelos causare vacuū. Patet conclusio ex dictis, & rationibus primæ sentētiæ. Cōfirmatur, quia valere debet argumentū à partibus ad totū seruata ꝓportione excessus totius supra partes; si ergo pōt Angelus ex parte mutare aliquid ex ꝓprio loco, vt deferre mōtē supra aerem; ergo poterit & alias partes auctis tamen viribus, quantus est excessus supra datā partem; non ergo absolutè repugnat, nec absolutè excedit vires Angeli facere aliquid, quod sit contra bonum, vel inclinationem vniuersi, si Deus velit cum Angelo concurrere, atque adeo, & causare vacuum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primā Respondeo dicendū, quod pręciso decreto Dei Angeli habent vires, vt dictum est, quibus ordinē mūdi secundum aliquā saltē partē mutare possint; vnde elemēta mutare valerēt secūdū locum, si nō impedirētur; quia tū impediūtur a dicta ꝓuidentia, siue quæ non vult cum illis ad hoc concurrere, siue quæ alio modo obstat; ideo illud non possunt; vnde, & dictum est, quod Deus angelis orbem non subiecit, nec illos super terram constituit, quam ipse D. O. M. sua prouidentia gubernat, atque ex his, & alijs dictis patet ad secundam rationem.

Obijcies. nō potest facere Angel⁹, vt duo corpora se penetrēt, ac ꝓinde si fieri nō possit motus localis corporū, nisi se penetrent, Angelus ea mouere non poterit; ergo neq; ea mouere, si sequitur vacuum.

Respondeo propter hanc rationem probabile esse non posse per vires Angelicas fieri vacuū; nam, & si resistentia corporū quasi effectiua, quæ resistit per pondus non tanta est, quin vinci posset, si non ab vno solo, saltem à pluribus Angelis; sicut probatum est, tamen resistētia, vt sic dicam, formalis, siue improportio virtutis Angelicæ supra vim illam, qua corpora in periculo vacui, ad inuicem colligantur forte talis est, vt per Angelum tolli non possit, ac proinde iuxta hæc.

Dicēdū secūdo probabile esse per Angelū non posse fieri vacuū. patet ex dictis, & confirmatur, quia sicut Angelus efficere non potest, vt luminosum illuminet opacum ex improportione, & incompossibilitate formali, & dispositionis requisitæ ad illuminationem; ita forte non habet actiuitatem su

pra dispositionem, & qualitatē illā, qua cor porea ad iuicē colligata sūt ad impediēdū vacuū, vt causa tollere, possit, vel impedire eius actū secūdū, nō quod hæc sit maior virtus, quā virtus angelica; sed quod virtus Angelica nō habeat proportionē actiui ad hanc maximè cum videamus cæteras omnes causas physicas eidem cedere, & eius causa vel contraria operari, vel desistere à suis actibus.

Art. 4. Vtrum si daretur vacuum motus in eo fieri posset.

NOn est difficultas, nisi de motu locali, nam de alijs certum est primo, quod si sint duo corpora in vacuo, inter quæ tamē vacuum non sit, sed vnum contingat alterū, & habeant requisita ad agendum, quod inuicem agent, & sic ignis, qui in vacuo esset cum stupa, illam sine dubio combureret; secundo certum est, quod si sint duo corpora in vacuo, ita, vt inter ipsa vacuum sit, quod inuicem nō agēt, & nullus sequetur motus; tota ergo difficultas est de motu locali; vtrū admisso vacuo talis motus ī eo fieri possit.

Pro prima sententia affirmatiua est D. Th. 4. Phys. in t. 74. & in 4. dist. 44. quæst. 2. art. 3. Scotus in 2 dist. 2. quæst. 9. Philop. 4. Phys. t. 75. & in digressione de loco, Sotus ibidem quæst. 3. art. 2. Conimbricenses & alij Recētiores, sunt etiam hæ rationes.

Prima ratio. dato vacuo sunt omnia requisita ad motum; ergo in eo motus fieri poterit. Probatur antecedens ad motum mobilis hæc duo solum sunt requisita, & sufficiūt virtus motiua, & spatium, per quod successiuè fiet motus; hæc autem duo sunt in casu; nam si Deus faceret vacuum inter terram, & ignem, & in igne esset lapis molaris, & à nullo retineretur, ibi esset mobile, quod est lapis, virtus motiua deorsum, quæ est grauitas, spatium, per quod moueret; nam cum inter terram & ignem esset in eo casu tota intercapedo, quæ modo est, proculdubio esset spatium negatiuum, pro quod grauitas lapidis moueret lapidē deorsum; & idem confirmatur alio casu, nā si Deus in terra sub mare faceret foramen vsque ad cētrum, nec permetteret, quod partes terræ concurrerent ad vacuum replendum proculdubio descenderet aqua, cur. n. aqua manere deberet pendula contra inclinationem suæ grauitatis, & contra inclinationem, quam habēt corpora ad vacuum prohibendum.

Secunda ratio, medium plenum solum resistit motui locali; sed relictis reliquis omnibus, & solum sublato eo, quod resistit effectui, dici non potest, quod effectus nō fieret, in casu autem illo, quod remaneant cætera, & solum ex pleno fiat vacuum relinquentur cætera necessaria ad motum, & solum remouebitur id, quod impedit motum; ergo in vacuo fieret motus localis; quod autem remaneant cætera, & solum tollatur, quod impedit, si ex pleno fiat vacuum, sic ostenditur; dum lapis è tecto domus pendulus manet, vt decidat, annihilet Deus aerem, per quem descendere debet, nec illum ab illo loco moueat; ibi omnia sunt requisita ad motum, & solū tollitur id, quod impedit, aer scilicet intermedius, qui resistit lapidi cadenti; ergo nulla est ratio, cur ibi eo tempore non fiat motus; fieri ergo poterit motus per vacuum.

In contrarium pro sententia negatiua est Auerroes 4. Physicorum comm. 71. ibidem cāt. 75. & 76. Simplicius, & alij, videtur etiā pro eadem sentire Aristoteles, & sunt hæ rationes.

Prima. motus naturalis non fit, nisi ad determinatas positiones, vt sursum, vel deorsum; sed in vacuo non est sursum, neque deorsum; ergo in vacuo non potest fieri motus localis naturalis, sed neque fieri potest violentus; quia violentus est ad locum oppositum naturali; vbi autem non est motus naturalis, nec potest esse violentus, ac proinde nullus motus.

Secunda ratio, si in vacuo fieri posset motus sequeretur posse in æquali tempore, & cum æquali velocitate fieri motum in vacuo, & in pleno; & posse esse æqualem motum sine vlla prorsus resistentia motui, qui esset cum aliqua resistentia, quæ sunt absurda; ergo motus in vacuo fieri non potest. Sequela probatur. demus, quod in aliquo loco vacuo fiat motus in quadrante, in pleno fiat in hora, & sint loca planè æqualia, tunc sic; in mobili, quod mouetur in pleno per horā fiat quadruplo maior vis motiua, mouebitur in quadrante, quod etiam eueniet si mediū, quo est plenus locus quadruplo fiat rarius; ergo in æquali tempore motus fieri poterit in pleno, & in vacuo, & cum resistentia, & sine resistentia; quia semper in pleno corpus medium aliquatenus resistit, cum tamē nullo pacto

pacto resistat vacuum, quæ sunt absurda. Cõfirmatur idem, nam si motus fiat per vacuum maius quadruplo loco pleno, eueniet, vt in æquali tempore fiat motus in vacuo, & in pleno, & tamen inter vacuum, & plenum nulla est proportio, cum vnum sit negatiuũ, alterum positiuum.

Tertia ratio. si fieret motus in vacuo fieret in instanti; sed motus localis in instanti esse non potest; quia secus idem mobile simul, & semel esset in pluribus locis; relinqueret; acqireret terminum à quo, & non relinqueret; acquireret terminum ad quem, & non acquireret, quæ sunt impossibilia, Probatur minor, successio in motu oritur ex resistentia, vt apparet in calefactione, & alijs huiusmodi motibus, qui sunt cum resistentia contrarij; nam illi, qui non habent contrariũ resistens, sunt in instanti, vt apparet de illuminatione; sed in vacuo non est resistentia; quia non est corpus resistens; ergo in vacuo fieret motus in instãti, quod est impossibile; impossibile igitur ẽ mobile moueri ĩ vacuo.

Quarta ratio. corpora sublunaria nõ possunt moueri, nisi per influxum corporum cœlestium; sed corpora cælestia non influunt in vacuum; Ergo.

Pro solutione.

Notandum, quod motus localis de sua intrinseca natura habet adiunctam successiuã applicationem mobilis ad spatium siue plenum, siue vacuum, cum discrimine tamen, quod ad spatium plenum applicat mobile, tanquam ad extrinsecum per superficiem sibi coexistens; spatio autem vacuo applicat per repletionem ipsius spatij; primum non est ita de ratione motus localis, vt sine illo nõ saluetur eius essentia; nã cõsiderãdũ est ꝙ precisò ordine vniuersi, & fine, ad quem est de facto motus localis, non est necesse, quod motus localis fit in pleno, & quod applicet successiuè mobile spatio pleno; quoniã motus localis, cum sit essentialiter agitatio mobilis, quo mobile vel secundum totũ, vel secũdam partes spatia acquirit, & alia amittit, si nõ fit, vbi sint alia corpora, spatia quidẽ acquiret, vel amittet, non tamen per approximationem, & distantiam ad aliud corpus. ordine tamen naturæ, qui modo est præsupposito, cum mobilia non moueantur, nisi vt fiant ꝓxima alicui corpori sibi cõgeneo, vel a quo locari debẽt, nisi possit esse applicatio mobilis ad plenum non sit motus; cum ergo certum esse debeat saluari essentia.n motus localis, vbi mobile potest successiuè occupare noua spatia, & alia deserere, cõsiderandũ est, vt supra demonstrauimus, & vt apertum est ex ipsamet suppositione, si daretur vacuum datum iri spatium priuatiuum, spatiũ inquam carens corpore replente, quod spatiũ maius, vel min' esse potest, prout maiori vel minori corpore caret: si ergo careat maiore corpore, quã sit mobile, certum est mobile simul, & semel nõ posse ipsum totũ occupare; prius ergo, si ipsi applicetur, occupabit spatium æquale sibi, tum, si hoc deserat, aliud, & aliud successiue occupabit; vnde est, quod tota successio in motu locali non nascitur ex resistentia pleni; sed partim nascitur ex impossibilitate formali mobilis cum toto spatio decurrendo, quæ potest dici resistentia intrinseca; hæc autem resistentia cum adhuc saluetur in vacuo, si motus fieret in vacuo nullo modo posset esse in instanti, & prius mobile coexisteret vni parti spatij tum alij, & alij, vsque dum totum decurreret; quam ob causam motus localis in vacuo haberet omnia, quæ ipsi sunt ex intrinsecis principijs propria, & essentialia, & solũ careret ijs, quæ sibi sunt extrinseca, & quæ habet vt est de facto in pleno; careret.n. corpore resistente intermedio, & careret positionibus sursum, & deorsum, & his quidem si fiat suppositio, quod detur vacuũ absolutũ, siue potius dicere velimus inane sine vllo prorsus corpore excepto ipso mobili; nam si fiat suppositio, quod aliquatenus solum fiat vacuum, nulla erit ratio, quin possit in eo saluari sursum, & deorsum, & cæteræ positiones, quæ cum ita sint.

Dicendum primo in vacuo simpliciter naturalis motus fieri non potest, in vacuo secundum quid potest. patet ex dictis, & Confirmatur. Quia non mouet efficiens nisi propter finem, qui non saluatur in vacuo simpliciter, & saluatur in vacuo secundum quid. Ergo

Dicẽdũ secũdo, absolute si daretur vacuũ, motus in eo fieri posset. Patet conclusio ex dictis, & Cõfirmatur; Quia saluantur omnia absolute requisita ad motum localem, solumque desunt mere extrinseca, & ipsi solũ conuenientia vt est in pleno.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod si ponamus tale vacuum, quod occupet totũ

vniuersum, quod propriè vacuum non erit; sed spatium inane, tunc nullę erunt positiones, nec in eo fieri poterit vllus motus naturalis grauium, & leuium; quod tamen in facta suppositione non est absurdũ, si vero ponatur vacuum secundum quid nihil prohibet manere positiones sursum, & deorsum, & ad illas fieri motum localem naturalem grauium, & leuium, quoad vero motum violentum, quacumq; ratione ponatur vacuum nõ implicat ipsum in eo fieri, nam illud, quod dicitur, motum violentum esse ad locum oppositum naturali, valet solum in pleno, vbi est locus naturalis. quamquam neque hoc est perpetuum, quia potest esse motus violentus ad locum, qui neque sit naturalis, neque oppositus naturali, vt cum proiecta mouentur in transuersum, tamen etiam si illud demus, valet solum, vt dicere cœpimus in pleno, quia enim in pleno est locus naturalis, ad quem tendunt mobilia per suas virtutes motiuas, est etiam locus oppositus naturali, ad quem, cum mobilia aguntur, mouentur violenter; sed in vacuo, vbi nullus est locus extrinsecus, sed solum est spatium imaginarium quocumq; fieret motus corporum esset violentus, vel præter naturalis, quia esset à principio extrinseco nõ conferente vim passo; in vacuo autem, vbi relinquerentur loca sursum, & deorsum, motus qui ibi esset posset esse siue violẽtus, siue naturalis, naturalis si mobile tenderet ad locum, ad quem habet inclinationem, naturalẽ, vt si graue tẽderet deorsum, leue sursum; violentus si opposito modo accideret, & graue ageretur sursum, & leue deorsum.

Ad secundam respondeo dicendum, quod ex dictis iam satis constat, si fieret motus in vacuo, quod remaneret resistentia intrinseca, & formalis, quæ nascitur ex incompossibilitate mobilis cum spatio negatiuo maiore se, & capace maioris corporis; vnde nõ esset sublata omnis resistentia; ad illud aũt principale, quod inferebatur futurum, vt in æquali tempore fieret motus in pleno, & in vacuo. Respondetur illud non secuturum, quantum est ex parte resistentiæ pleni; sed quia resistentia, quæ est ex parte pleni posset compensari per resistentiã, quæ est in maiore intercapedine, & spatio negatiuo, ideo absolutè fieri põt, vt in ęquali tẽpore fiat motus in vacuo, & in pleno, inæqualib. tũ; si aũt ponatur plenum, & vacuũ æquale, & vis motiua æqualis, quãtumcumq; varietur, plenum, & fiat rarius semper motus in eo erit tardior, quia semper erit aliqua resistentia ex parte pleni, quę nõ est in vacuo, si aũt plenũ, & vacuũ fuerint æqualia, & vires motiuæ inæquales, possunt cõpensari motus pleni, & vacui, & fieri in æquali tẽpore; quia quod deest resistentiæ ex parte vacui suppleri potest per maiorẽ latitudinẽ spatij decurrendi, vel per inefficacitatem virtutis motiuæ, vnde si virtus vt quatuor moueret per vacuum in quadrante, & virtus vt quatuor tõne resistẽtiæ pleni moueret p æquale spatiũ pleni in dimidiata hora; si augeatur hæc vis, & fiat vt 8. in æquali tẽpore mouebit; sl: in quadrante, ꝙ non est absurdũ; absurdũ aũt illud esset, si tota resistentia, & successio nasceretur ex resistẽtia pleni, ut sic.

Ad tertiã rñdeo dicendũ, ꝙ iam patet ex dictis successionem in motu locali nasci ex duplici resistentia, quę nõ est in cæteris motibus, vnde est, vt in illis sublata resistentia cõtraria nulla restet successio, & fiant in instanti; motus vero localis sublata omni resistentia contrarij, adhuc fit in tempore per resistentiã intrinsecã, quę ex mobili quanto, & spatio nascitur; sicut in cælo, sine extrinseco resistẽte motus ille successiuus est, quia vna pars Cœli per motum successiuè debet existere, vbi præexistit alia; ita in mobili quãto, vbicũq; moueatur, posterior pars debet successiuè existere, vbi existit prior pars & priores partes debent prius corrispõdere prioribus partibus spatij, in quo mouentur, siue hoc sit plenũ, siue vacuũ, ꝙ sic Confirmatur, nã detur ex suppositione mobile bipalmare in cõcauo Lunę, & vacuũ à cõcauo Lunæ ad terram, ita ut solã sit vna colũna à cęlo ad terrã, si mobile bipalmare moueatur secus colũnã per primũ palmũ mobile pri⁹ coexistet primo palmo colũnæ. tũ coexistet secundo palmo, & palmus, secundus ipsius, primo colũnæ, & sic deinceps; ex quo necessario est successio; nec aliud esse põt, nisi velim⁹ simul, & semel mobile bipalmare adæquare totam longitudinem à cælo ad terrã.

Ad quartã rñdeo, ꝙ gratis ponitur necessariũ esse ad motus locales influxũ corporũ cælestiũ, saltẽ directè, & per se, quoniã ẽtsi necessarius esset ad motũ naturalẽ, nõ posset esse necessarius ad motum, qui fieret supernaturaliter; quare nulla est ratio illa, quæ desu-

desumitur à tali influxu ad denegādum absolutè fieri posse in vacuo motum localem.

Obiicies primo, omnis motus localis est ad aliquod vbi; in vacuo non est vbi; ergo in vacuo non est motus localis. Rōdeo, q̄ si per vbi intelligatur locus extrinsecus, qui est terminus continentis immobilis negatur maior, præsertim in casu posito de vacuo; si per vbi intelligatur repletio certi spatij cōceditur maior, sed negatur minor, qa in vacuo cū sit spatiū negatiuū, & indifferēs sit mobile, vt repleat hoc, vel illud, vt in illo locetur, & p̄ut locatur in hoc dicat hoc vbi, vt locatur in illo illud vbi, in vacuo est vbi, et per motum localem acquiritur aliquod vbi, tale scilicet spatium.

Obiicies secundo, si motus in vacuo fieret in tēpore sequeretur duo corpora inæqualis pōderis æquali tēpore pertransire quodcumq; vacuū. Cōsequēs est falsum; ergo & antecedēs. Sequentia probatur, causa, cur mobile grauius velocius descendat, & minori tēpore descendat, quàm minus graue, est, quia grauius citius diuidit medium, sed in casu, quod vtrumque mobile moueatur in vacuo, nō est medium, quod diuidi debeat, ergo vtrumq; æquali tempore mouebitur.

Rñdeo dicēdū, q̄ cū duplex sit causa successionis in motu locali resistentia medij, & simultanea incompossibilitas mobilis quāti cum multis partib. spatij, posito, quod duo grauia moueantur in vacuo, nō tollitur, nisi vna causa resistentiæ, & successionis, vnde adhuc rōne alterius mobile grauius velocius mouebitur, quia citius applicabit mobile diuersis partib. spatij, quare negatur sequela maioris, & ad eius probationem patet ex dictis illam non esse totam causam, cur mobile grauius velocius descendat.

DISPVTATIO IV.

De Tempore.

VT absoluamus, quæ sunt cōmunia corpori naturali, & à scientia Physica, vt communes ipsius passiones; considerantur, de tempore agendum est, de quo philosophus 4. phys. summa 3 per plura capita vsq; ad finem. Fuit autem de tempore agendum post cæteras passiones, quoniam multa, quæ in illis dicta sunt, conducunt ad cognitionem temporis, cum non sine motu, & partibus, & ratione mensuræ tempus examinetur.

Inuocatio.

FOrmator temporis Deus da temporis explicationem acturis de tempore; tu enim solus ante tempora, & factor temporum, omniū inspector es tēporū. Nā antequā mōtes fierent, aut formaretur terra, & orbis à sæculo, & vsq; in sæculū tu es Deus. Quid igitur tempus est, & quæ est natura illius, cuius nihil est? præteritum enim esse non potest; Quia præterijt, & iam non est; futurum nec dum esse potest; quia nondum est, sed futurum est; præsens si est, præsens non est; quia fluit, & præterit, quod staret si præsens esset. Quid igitur tempus est, cuius beneficio omnia sub cælo sunt, & consummuntur? Nam tempore succedente tēpori adducuntur nobis dies, menses, & anni; & tempore fugante tempus euanescunt nobis dies, mēses, & anni; & cum nouis mēsibus, & annis nouæ subinde generationes, & corruptiones; nec solum circa nos; sed in nobis; per illaque nos non ijdem, sed mutabiles cum mutabilibus semper noui, vel magis veteres semper vetustate antiqui Adam, qui de die in diem corrumpitur in nobis, donec vndequaque in nouo reformemur, & simus cum illo, vt iam sumus in illo noua creatura, quando non amplius nobis præteribunt dies, menses, & anni: Nā modo, & prætereunt, & nos cum illis, cūq; iam nobis non sunt illos habere dicimur, nobisque tanquam repositos numeramus, quos non habemus, Quia præteriti, qui nobis non præterissent, si haberemus. Sed non sic Domine æternitas tua, quæ non præterit; quia non aduenit, sed semper stabilis, & præsens sine successione præteriti, & futuri; totumque quod est, præsens est; quia in ea, & futurum, & præteritum, & præsens idem est, semperque est; cum tamen, & præteritum nec iam sit, & futurum adhuc futurum sit, quod futurum non esset si iam esset, sed tibi non futurum, sed præsens, nec futurum est in tua æternitate, quod futurum est in sua instabilitate; quia æternitas tua non venit ex non esse ad esse, quæ est perma-

manentia immutabilis æterni esse, exhauriens omne esse, siue quod fuit, & per te prius existentem fuit, siue quod futurum est, & te adducente erit. quo non dante ipsi esse, non erit; quia de tuo est quidquid est, qui alius nunquam es, sed idem ipse, qui formabas dies antiquos, & annos æternos apud te habes, nunquam nouus, nunquam antiquus, & nouorum, & antiquorum sine nouitate, & vetustate plasmator immutabilis.

QVAESTIO PRIMA De realitate, & Quidditate temporis.

NOn defuerũt ex Antiquis Philosophis; qui tempori omne esse reale ademerint, putantes nihil reale esse tempus: Alij saltem formalitatem ipsius rationis esse cõfingunt. Quare hac quæstione de vtroque videndum est, & natura temporis explicanda est.

Art. 1. Vtrum tempus sit ens reale.

QVod aliquo modo detur tempus tam certum & manifestum est, vt id quærere sit ineptum; vnde de an sit temporis non potest esse dubium, valde tamen obscurum, & controuersum est, Vtrum tempus sit aliquod ens reale realiter existens, an vero nihil reale sit, De qua re sunt duæ sententiæ.

Prima affirmatiua; quæ vult vere in mundo dari tempus, est Aristotelis lib. 4. physi. & interpretum peripateticorum ibidem cõmunis, quam sequuntur communiter recentiores, & Theologi Scholastici in 2. dist. 2. & S. Thomas prima parte quæst. 10. secundã sententiam negatiuam quod realiter non detur tempus secuti sunt, sicut dictum est, aliqui ex antiquis Philosophis, vt videri potest apud Alber. li. 4. phys. Tract. 3. ca. 3. Pro quibus sunt hæ rationes.

Prima. si tempus est ens reale realiter existens vel hoc est præteritũ, & hoc non; Quia quod est præteritum iam non est, vel est futurum, & hoc non; Quia quod futurum est, nõdum est; vel est præsens, & hoc non; Quia præsens nihil est, nisi instans, quod non est tempus; Ergo tempus non est ens reale realiter existens.

Secunda ratio. Ens compositum non magis potest esse reale, quam partes componẽtes; sed tempus est quid compositum; Ergo eatenus reale erit, & realiter existet, quatenus reales sunt partes componentes, sed partes componentes tempus non sunt reales. Quod probatur. Partes componentes tempus sunt præteritum, & futurum; nam præsens nihil est nisi momentum, & instans, quod temporis pars non est; sed neque præteritum, neque futurum realiter est; secus enim essent, quæ sunt corrupta, & desierunt esse, & quæ nondum sunt essent; Ergo tempus nullum reale esse habet, nec realiter existit. Confirmatur. Quia præteritum non potest esse verum ens reale, nisi quatenus vere tale est, dum est præsens; quod idem dicitur de futuro; præsens autem nullum tempus est; sed momentum; sicut dictum est; Ergo.

Incontrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima. nullo cogitante intellectu dantur anni, menses, & dies; Ergo a parte rei nullo cogitante intellectu datur realiter tempus. Patet consequentia; Quia annus est tempus, sicut & mensis, & dies; si ergo ista dantur realiter, & non fictitiè, & suo modo existũt à parte rei ante omnem operationem intellectus, vere à parte rei datur tempus, & est ens reale.

Secunda ratio. a parte rei plus temporis vere durat dies æstiua, quam hiemalis: plus temporis vixit Matusalem quam Dauid: sed hæc vera non essent, si non esset verum tempus reale; Ergo

Tertia ratio non aliter res habent esse reale in mundo, quam per suam realem durationem in esse; sed si tempus non esset, quæ tempore, & per tempus durant, realiter nõ essent; Ergo datur realiter tempus.

Confirmatur ex auctoritate scripturæ, Gene. 1. fiãt luminaria, quæ sint in tempora &c. & communi sensu hominum existimantiũ dari tempus. Ergo datur; Nam quod communi consensu tenent homines, & docti, & indocti falsum esse non potest, cum sit natura euidens, & quasi naturæ vocibus contestatum.

Pro

Pro solutione.

Notandum, quod in cõsideratione aliquorum entium naturalium id euenit, quod euenire solet dum attentius aliquid minimum, & paruæ entitatis attrectamus, vel aliqua subobscura, & quæ per transennam solum inspici possunt attendimus; nam si priora leuiter summis digitis explorentur, statim sentiuntur, quod euenit etiam in secundis, si non nimium oculorum aciem contẽdamus: Eodem ergo pacto in tempore, si profundius ipsius entitatem, & essentiam disquirere volumus, illudque vt cæteras res stabiles, & maximæ entitatis mentis oculis subijcere, vix quidquam illius possumus depræhendere; si confusa ipsius cognitione contenti sumus nihil fere nobis notius est, quam dari tempus. Quare cum & communis sensus hominum, & inexpugnabilis diuinæ scripturæ auctoritas, & illa certissima ratio persuadeat dari tempus; Quoniam si tempus realiter non esset, neque realiter essent, quæ per tempus, & aliquo intrinseco tempore durant, ideo

Dicendum vere in naturæ vniuersitate dari tempus, & tempus vt ens reale vere à parte rei realiter existere. Patet ex dictis, & Cõfirmatur auctoritate Scholæ parisiensis, quæ cum multa semper sapienter docuerit, opinionem, quæ tempus vt ens reale negat, erroris damnauit art. 119.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod tempus est ens reale & ratione præteriti, & & presentis, & futuri; proprie tamen ratione præsentis; Quia, vt bene dicebatur, eatenus præteritum, & futurum sunt realia, quatenus sunt præsentia realiter; vnde verum non est, quod non sit aliquod tẽpus præsens, & quidquid præsens est, sit momentum, & instans; nam considerãdum est, quod ex eo, quod nos præsens fere non concipimus nisi quod stabile est, & non fluit, factum est vt præsens non imaginemur nisi instans, quod putamus esse quid permanens, & totum simul, cum tamen si recte philosophamur quidquid tẽporis existit sit successiuum, & fluens. Itaq; præciso nostro modo concipiendi, & præcisa ratione mensuræ inuenta in tempore per comparationem ad illa, quæ existunt tota simul, quidquid est de tẽpore ẽt præsens, est in fluxu, & in transitu, & transeundo realiter existit; Quia vnaquaque res non aliter existere debet, quam ipsius natura postulet; natura autem temporis non postulat existere permanenter, sed transeunter, ac proinde tempus realiter existere debet, sed transeunter; vnde nulla potest accipi existentia ipsius tota simul, & adæquata: Ex quo tamen concludi non potest tempus realiter non existere. Quare ad argumentum in forma negatur antecedens, & ex eo consequentia.

Ad secundam respondeo dicendum, quod continua homogenea composita non sint, & maxime successiua, nisi secundum nostrũ modum concipiendi; Quare ad argumẽtum in forma cõcessa maiore, negatur minor. Ad eius probationem dicendum tempus illo pacto componi sub ratione mensuræ, non autẽ vt ens reale actualiter existens; Quia vt sic existens cum transeundo existat partes actu dicere non potest, nec potest habere præteritum & futurum, & quod de eo præsens est, tempus, non instans, est.

Art. 2. Vtrum tempus includat ens rationis, vel sit purum reale.

PRo parte affirmatiua citantur hic à Ruuio Commentator 4 phys. commen. 131. Iandunus quæst. 16. S. Thomas 4 physi. lect. vltima & prima parte quæst. 10. art. 1. Ferrariensis 1. contra Gent cap. 19 Capreolus & alij.

Pro contraria sententia negatiua sentit ipse Ruuius 4. phys. quæst. 1. qui citat Simpliciũ 4. phys. in digressione de tempore Albertum Magnum tract. 3. & 10. S. Tho: opusc. 44, & alios, pro quibus sunt hæ rationes.

Prima. etiamsi nullus sit intellectus dummodo à parte rei sint corpora, & illorum motus, Erit tempus; sed quod est à parte rei præciso omni opere intellectus non accipit complementum ab intellectu; Ergo tempus, quod à parte rei est præciso omni opere intellectus non accipit complementum ab intellectu.

Secunda ratio, si tempus accipit suum cõplementum ab intellectu, vel illud accipit à parte rei, & hoc non; Quia operatio intellectus nihil ponit in re; vel accipit in intellectu, & hoc esse non potest; Quia tempus non habet suum esse reale in intellectu; Ergo nullo modo tempus accipit suum complementum

mentum

mentum ab intellectu.

In contrarium pro parte affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima ab Auctoritate Aristotelis qui T. 131. quæsiuit an tempus dependeret ab anima, & respondet; quod cum sit numerus necessario dependet, à numerante, qui est intellectus, vel anima; Vnde si anima non esset nec daretur numerus, nec consequenter daretur tempus.

Secunda ratio. duratio motus realiter est continua; ergo non fit diuersa nisi per intellectum distinguentem partes eius priores, & posteriores; sed tempus est numerus motus; & talis duratio; ergo tempus accipit suũ complementum ab intellectu.

Pro solutione.

Notandum, quod vtraque sententia aliquid verum dicit. Nam certum primum est, quod si accipiatur tempus secundum esse, quod habet a parte rei, non depender ab intellectu, cum ante intellectus nostri operationem præsupponatur, & operatio intellectus nihil ponat a parte rei. Nam non minus hodiernum erit tempus, siue intellectus noster consideret, siue non; ac proinde tempus ab intellectu complementum non accipit. Ex alia tamen parte si accipiamus tempus, vt dicit mensuram quandam tantæ vel tantæ durationis secundum prius, & posterius, non minus certum esse debet tempus inuoluere aliquid rationis; Quoniam tales rationes mensuræ actu, & tales determinationes, & diuisiones in partes nõ habet tempus, nisi vt est in intellectu, ex quo tamen argui non potest tempus esse ens rationis; sed solum concludi debet, tempus vt sic inuoluere aliquid rationis, & quoniã tempus a nobis magis consideratur sub hac secunda ratione mensuræ. quam primo modo; immo nec primo modo bene a nobis concipi potest; quoniam non concipimus illud ens, quod suum esse habet in transitu, cum constet ex potentia, & actu, intellectus autem noster concipiat per modum actus, & difficulter intelligat actum admixtum potentia, non inquam concipimus nisi in eo determinando partes, quas tanquam actuales concipimus, determinare autem partes, & ex partim potentia partim actu facere illas actu, & ex indeterminatis determinatas non est sine opere rationis, aliquid obiectiue ponentis in tempore, quod vere in ipso non est. Quare:

Dicendum tempus prout a nobis communiter concipitur, & definitur accipere aliquod complementum sui esse ab intellectu. Conclusio patet ex dictis; Confirmatur, quia partes temporis accipiunt suum complementum ab intellectu; Ergo, & totum tempus. Patet consequentia; quia tempus non potest esse quid vnum per modum totius compositi nisi ex partibus. Probatur Antecedens. Quia V.G. horæ non sunt tales tantæ scilicet durationis ex natura rei; quia de se possunt fieri maiores, & minores; Ergo & quod sint tantæ durationis, & quod sint inter se diuisæ habent ab intellectu; Ergo intellectus dat aliquod complementum tẽpori, prout scilicet a nobis considerari solet.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod illa procedit de tempore præcise vt in se est, non vt a nobis consideratur, & accipitur sub ratione mensuræ. Quare non pugnat contra conclusionem.

Ad secundam respondeo, quod cum dicitur; quod tempus non habet suũ esse in intellectu distinguendum est, non habet suũ esse præcise, vt est a parte rei, verum est; nõ habet prout consideratur, & definitur a nobis falsum est; Nam nos non definimus res, nec de eis philosophamur, nisi illæ stent nobis in intellectu obiectiue; fieri ergo potest, vt res reales, & quæ in se nullo modo dependent ab intellectu, vt tamen definiuntur, vel sumuntur a nobis ad certas considerationes fieri inquam potest, vt ab intellectu depẽdeant, & ab eo aliquod complementum accipiant, sicut manifestum est de vniuersalibus, & alijs rebus huiusmodi, quas proinde non putamus entia rationis; tempus ergo eodem modo prout a nobis consideratur complementum ab intellectu habet, & hoc quidẽ in intellectu: nam a parte rei nihil ab intellectu accipit. Quare, concessa secunda parte Antecedentis; & negata prima, negatur simul consequentia, & ad probationem secundæ patet ex dictis; tempus enim secundum quod consideratur a nobis, & definitur, accipit suum complementum ab intellectu.

Art.

Art. 3. Vtrum tempus sit numerus motus secundum prius & posterius.

SEntentia affirmatiua est Aristotelis lib 4. physi. quem communiter sequuntur interpretes peripatetici. Contra quam tamen sunt hæ rationes. Prima. numerus est solum in quantitate; sed tempus est in prædicaméto quando; ergo tempus non est numerus.

Secunda ratio. numerus non est re distinctus ab eo, cuius numerus est, & sic numerus quinarius lapidũ, nõ est re distinctus a quinque lapidib⁹; Ergo si tépus sit numer⁹ mot⁹, tempus non erit distinctum a motu, ac proinde nihil aliud erit, quamplures partes motus: sed tempus nõ est motus; ergo neq; est numerus motus secundum prius, & posterius.

In contrarium pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima. in tempore sunt plures partes secundum prius, & posterius; ergo tempus est numerus motus secundũ prius, & posterius; quia vbi est pluralitas, ibi est numerus.

Secunda ratio. Per tempus mensuramus motus; sed non mensuramus illos nisi per partes priores & posteriores; Ergo tépus est numerus motus secundũ prius, & posterius.

Pro solutione.

Notandum, quod difficile admodum est posse dicere quid sit quidditatiue tempus; vnde S. Augustinus cum tanti esset ingenij fatetur temporis naturam, & quidditatem se explicare non posse, tametsi eam cognosceret; nam lib. 11. confessionum cap. 14. ait. quid est tépus? si nemo ex quæ merat scio, si quærenti explicare velim nescio. Vt ergo naturam temporis intelligere possimus. Considerandum est, quod eorũ, quæ sunt in mũdo alia successiue durant, & per fluxum; alia durant tota simul, & permanenter; Vnde alia est duratio tota simul, alia duratio successiua, tempus non potest esse duratió tota simul; Quoniam in ijs, quæ sunt tota simul non est assignare prius, & posterius; in tempore autem assignari potest prius, & posterius; Vnde qui dormiunt, vt ait philosophus Tex. 97 nisi aduertant hanc latitudiné non reputant se per tempus dormisse, e contra vero si hanc latitudinem aduertant. Erit ergo tempus duratio successiua; omnis autem duratio successiua proprie est entis successiui; in entibus autem successiuis principale motus est, nec sine aliquo motu successio est. Quare tépus nihil aliud erit, quã duratio motus. In motu porro cosiderari potest, quod motus est actus mobilis, non vndequaque perfectus, & actuans subiectũ, sed ita actuans, vt illud vlterius relinquat in potentia, ita vt mobile per talem actum sit quasi in transitu, & via ad vlteriorem perfectionem, quæ est essentia motus, vt supra dictum est, qui proinde definitus est. Actus entis in potentia prout in potentia. Vlterius in motu considerari pótest ipsa latitudo durandi, & permanentia in esse, & hæc vere tempus est, quæ cum non sit tota simul, sed successiua habet prius, & posterius, nonquod habeat prius, & posterius discretum, vt putarunt aliqui; quoniam si hoc esset partes temporis nunquam vere existerent; nam cum omnes partes temporis presertim vniformis eodem modo se habeant in transitu; si essent actu discretæ, quacunque parte assignabili minor existere deberet, & minor adhuc in infinitum ab omni alia discreta; vnde deueniendum esset ad indiuisibile, quod solum existeret; Quia nulla est pars temporis adeo parua, quæ diuidi non possit in minores. Quare vel aliqua ab alia non esset discreta, vel deueniri necessario deberet ad indiuisibile; discretæ ergo partes temporis esse nequeunt, & tamen cum esse temporis sit successiuum, & in transitu bene concipi non potest nisi per nostrum intellectum diuidatur in partes, quarũ aliæ sint priores, aliæ posteriores, & hæ quidem partes sic acceptæ dicuntur numerus motus secundum prius, & posterius; Quia per illas quasi numeratur motus. Non leuis autem est controuersia, cum dictum est ab Aristotele tempus numerus motus secundum prius, & posterius, acceperit'ne tempus sub ratione mẽsuræ actualis, an potius aptitudinalis; siue etiam nihil intellexerit de ratione mensuræ; & sane quod acceperit tempus sub ratione mensuræ actualis motus videntur persuadere verba illa capitis. Plus enim, & minus iudicamus numero, motum autem plurem, & minorem tempore; Numerus itaque quidam tempus est. Quod vero

vero ex alia parte nihil intellexerit Philosophus de ratione mensuræ ex eo probatur, quod dicto cap. 11. explicans definitionem a se assignatam ait; tempus non esse numerū, quo numeramus, sed qui numeratur. Quod vlterius sic probatur. Esse mensuram actiuam in tempore nec est de eius essentia; Quia erit tempus etiamsi non assumatur in mensuram; Nec propria passio eadem de causa; non ergo definiri potest tempus, nec ei essentia assignari per rationem mensuræ. Attamen si rem altius inspiciamus inueniemus Aristotelem explicasse essentiam temporis per id, quod nobis notum erat, hoc autem est ratio mensuræ siue actualis, siue potentialis; Nam ex eo quod diuersos motus comparamus inter se, & ex eo quod motum comparamus ad permanentiam cæli, & permanentiam solis super terram inuenimus tempus, unde duratio temporis, & tanta ac tanta duratio a nobis inuenta non est, nisi ex cōparatione vnius motus ad alium, & ad motum diurnum cæli, in quo necesse fuit includi aliquam rationem mensuræ actiuæ, vel passiuæ; vnde essentia temporis prout a nobis cognoscitur nō abstrahit ab aliqua ratione mensuræ; magis tamē includit rationē mensuræ actiuæ, quam passiuæ, si sermo sit de tempore vniuersali, & primi mobilis; Quia per hoc, vt per mensuram dignoscimus cætera tempora. Itaque etiamsi de ratione temporis præcise, & secundum se considerati non sit vlla ratio mensuræ; sed magis tempus sit id, cui conuenire potest ratio mensuræ, siue actiuæ, siue passiuæ; tamen quatenus a nobis cognoscitur, non est sine aliqua ratione mensuræ; quia tanta, & tanta duratio a nobis non cognoscitur absolute; Vnde est, vt aliquādo longū tēpus videatur breue, & breue videatur longū; longū tamē sēper lōgū cognoscatur cum mēsuratur aliqua nota mensura tēporis, & maxime cum mēsuratur tēpore vniuersali facto a primo mobili per adductionem, & ablationem luminarium mundi, solis scilicet, & Lunæ. Itaque de tempore vniuersali loquendo definitum videtur numerus motus secundum prius, & posterius, idest rata, & certa permanentia motus per plures partes, & certas mēsuras diuisa, quarum altera prior, altera posterior, sed loquēdo absolute de tempore; est numerus motus secundum prius et posterius, idest numerus numeratus motus, siue tempus est ipsa successiua permanentia motus in esse, in qua possunt accipi partes priores, & posteriores, quæ vt sic acceptæ actu sunt numerus; at non acceptæ discrete sunt numerus aptitudine, & in potentia. Ex quibus patet tempus secundum se non dicere mensuram nisi aptitudine, quæ fuit causa, vt Aristoteles Tex. 102. dixerit. Tēpus est illud, quod numeratur, non illud, per quod numeratur, idest tempus est illud prius, & posterius, quod in motu fluente aduertitur: Vnde de se tempus est duratio successiua motus habens latitudinem durandi, in qua assignari possūt partes actu secundum prius, & posterius, quæ tamen vt a nobis cognoscitur non abstrahit ab aliqua ratione mensuræ siue actiuæ; siue passiuæ, siue mēsuræ actualis, siue potentialis; & quidem si tempus sit vniuersale, quo continentur dies, menses, & anni fere cognoscitur per modum mensuræ actiuæ; si sit quodcunque aliud tempus cognoscitur fere per modum mensuræ passiuæ notificatæ per tempus vniuersale; Absolute tamen tempus præscindit a mensura, quo pacto definiri potest. Successiua duratio motus, in quo accipi possunt partes secundum prius, & posterius. sed iam

Dicendum tempus absolute consideratū esse numerum motus secundum prius, & posterius aptitudine, vt autem a nobis cognoscitur, & de eo loquimur, esse numerum motus secundum prius, & posterius actu; quod tamen adhuc sic explicandum est. Numerus accipi potest pro ipsa ratione formali numeri, & tunc tempus non est numerus; quia talis ratio est in prędicamento quantitatis. Secundo accipi potest pro actu intellectus numerantis, & talem numerum non esse tempus de se patet, & aperte negat philosophus 4. phys. Tex. 102. dicens Tempus autem est, quod numeratur, & non quo numeramus, est autem quo numeramus, & quod numeratur alterum. Tertio accipi potest materialiter in tali determinata materia nimirum in motu, prout motus dicit rationē partium secundum prius, & posterius existentium; & hoc pacto tempus est numerus, est enim plures, & plures partes motus, quarum vna durat post aliam; & quia motus plures partes actu non sunt, sed aptitudine, vt distincte cognoscatur tempus debent partes motus, quæ in ipso sunt aptitudine, & potentia, actu a nobis fieri, actu autem

tem fiunt, vel vt induunt rationem mensuræ actiuæ, vel passiuæ; quia actu non fiunt plures partes tantæ durationis, nisi quatenus sunt tales mensuræ, vel certis mensuris passiue definiuntur, puta horis, diebus, minutis &c. ac proinde in nostra consideratione sēper tempus habet aliquam rationem mensuræ; Et hæc, quæ dicta sunt, solum probant rationes sententiæ affirmatiuæ, si veræ esse debent.

Ad rationes partis negatiuæ.

Ad primam patet ex dictis tempus non posse dici numerum accipiendo numerum pro ipsa formali ratione numeri; quia hæc est in prædicamento quantitatis, posse tamē dici numerum, si accipiatur pro pluralitate partium determinatæ materiæ, scilicet motus, non quomodocunque, sed vt vna durat post aliam. Per quæ patet etiam

Ad secundam rationem, tempus scilicet saltem a motu distingui formaliter; quia dicere partes motus, vt tali pacto durantes, dicit rationem formalem distinctam a motu.

Oppones. partes entitatiuæ alicuius rei quocunque modo accipiantur, non faciunt distinctam essentiam ab eo, cuius partes sūt; Ergo partes motus non possunt constituere rationem temporis. Respondeo antecedens verum non esse; quoniam partes alicuius totius possunt induere diuersas rationes formales, per quas constituant diuersam essentiā, quod accidit in casu nostro; quia partes motus vt durantes vna post aliam constituunt tempus.

Art. 4. Vtrum tempus realiter distinguatur a motu.

Pro prima sententia affirmatiua citatur Ricardus in secundo dist. 2. ar. 1. quæ. 2. qui nihil tamē de hoc ibi aperte habet, cum solum distinguat tempus vt continuationem a motu: citatur Argentina quę. 1. art. 1. Henri. quol. 3. q. 11. & alij a Ruuio tract. de temp. q. 4. qui illud a motu distinguit modaliter realiter, quod probari videtur his rationibus.

Prima ratio ex Aristotele 4. phys. cap. 11. ea, quæ conueniunt motui, non conueniunt tempori; ergo inter se realiter distinguntur. Patet consequentia; quia illa, quæ sunt idem realiter habent easdem affectiones, & proprietates reales. Probatur Antecedens. Motus est velox, & tardus; sed esse tardum, vel velox non potest conuenire tempori; Ergo ea, quæ conueniunt motui non conueniunt tempori. Probatur Minor. Motus velox est, qui durans minori tempore conficit maius spatium; tardus autem est contrarius, qui durans maiori tempore minus spatium conficit; sed si tempori conueniret velocitas, & tarditas, eodem modo atque motus tempus motus velocioris esset velocius, tardioris tardius, quod non dicitur; Ergo esse tardum, vel velox non potest conuenire tempori. Præterea vt ex philosopho deducit Commētator comm. 96. Velox, & tardum in motibus definiuntur per tempus; sed tempus non definitur per tempus; Ergo in tempore non est velocitas, & tarditas; sed in omni motu est velocitas, vel tarditas; ergo tempus non est motus.

Secunda ratio. Quæcunque ita se habent, vt realem variationem patiatur vnum, & non aliud, distinguuntur realiter; sed ita se habent tempus, & motus; quia inuariato tempore variatur motus, & ex tardo fit velox, & ex veloce tardus; ergo motus, & tempus realiter distinguntur.

Tertia ratio. nulla res creata durat per suam substantiam; sed solus Deus per suam substantiam durat, de cuius essentia est æternitas; ergo res creata durabit per aliquid, quod sit extra substantiam ipsius, ac proinde per aliquod accidens; ergo omnis duratio rei creatæ erit accidens realiter ab ipsa distinctū, ac proinde & duratio motus, quod est tempus, ab ipso realiter distinguetur. Confirmatur. sapientia in Deo non distinguitur ab illius essentia, & alijs attributis, sicut & cætera attributa inter se, nisi quia in rebus creatis hæc realiter distincta reperiuntur; ergo & æternitas in Deo a nobis distinguetur; quia durationes rerum creatarū realiter distinguntur. tempus igitur, quod est duratio motus, a motu realiter distinctum erit.

Quarta ratio ex tex. 95. lib. 4. physi. Motus non est vnus in omni loco, & apud quoslibet; tempus est vnum in omni loco, & apud quoslibet; Ergo motus non est tempus.

In contrarium pro sententia negatiua est Caietanus prima parte q. 10. art. 5. & 6. Suarez Tomo 2. metaphy. dis. 50. sect. 9. nu 1. & sect. 1. num. 5 Iauellus 4. physi. quæ. 20. & alij, & hæ rationes. Prima. illa non distinguuntur realiter, quæ ad inuicem separari non possunt, etiam per diuinam omnipotentiam; sed motus, & tempus etiam per diuinam omnipotentiam ad inuicem separari non possunt; Ergo inter se non distinguuntur realiter. Probatur minor; quia si sit motus non potest Deus ab ipso separare intrinsecam ipsius durationem, qua durat, sed semper quando erit motus, erit ipsius duratio, & permanentia in esse; Ergo duratio ipsius, quod est tempus, & ipse motus, realiter distingui non possunt.

Secunda ratio. duratio rei, quæcunque tandem illa sit, nihil aliud est, quam permanentia in esse, vel continuatio eiusdem esse; sed continuatio eiusdem esse, & permanentia ipsius non potest ab ipso distingui realiter; ergo duratio nõ distinguitur a re in esse realiter durante, atque adeo neq; tempus realiter distinguitur a motu.

Tertia ratio. tempus ex dictis est numerus motus secundum prius, & posterius; sed numerus de numerato loquendo non est realiter distinctus a re numerata; Ergo neque tẽpus a motu realiter distinguitur.

Quarta ratio. si tempus realiter distingueretur a motu maxime quia tempus esset modus aliquis motus modaliter ab ipso distinctus; sed si tempus talis esset modus impossibile esset variari motum, & fieri velocem, & tardum, & non variari tempus, cum tamen propter hoc ipsum contraria sententia ponat tẽpus distinctum a motu; Ergo vel ex ipsa ratione aduersariorum conuincitur tempus non distingui a motu realiter. Quod autem impossibile esset variari motum, & non tempus probatur; Quia impossibile est variari id, cui conuenit modus aliquis; & non variari modum; Nam quod variatur, & mutatur alio modo se habet postea, atq; antea; ergo non est in eo idem modus, cum diuerso modo se habeat. Impossibile igitur est variari intrinsece rẽ, & nõ variari ipsius modum; quare si tempus esset modus ipsius motus re ab ipso distinctus, variari multo magis nõ posset motus, quin variaretur tẽp⁹.

Pro solutione.

Notandum, quod semper difficile fuit decidere de ijs, quæ in re habent diuersas denominationes ab ipsa, & quæ in ipsa possunt connotatiuè variari, cuius ratio est; quia intellectus facilius cum denominationibus, & connotationibus multiplicat res, quam assequatur illud ipsum, quod fundat diuersas huiusmodi connotationes; in proposito ergo considerandum est, quod cum aliud sit tempus extrinsecum, aliud intrinsecum, de intrinseco iudicamus per ordinem ad extrinsecum, quod nobis notius est; vnde est, vt existimentur res intrinsece variari per variationem temporis extrinseci: Nam quia res aliqua potest correspondere maiori, & minori tempori extrinseco censetur id habere per aliquod accidens, quod ipsi supra suã entitatẽ adueniat; sed tamen inspicere oportet, quod res secundum se præcise spectata per hoc solum, quod ipsius esse destruitur prius, vel posterius, plus vel minus temporis durat: in proposito autem de motu, & tẽpore adhuc considerare oportet, quod nullus est motus, qui secum non ita deferat suã durationem, vt ab ea omnino non sit separabilis, etiam per quãcunque potentiam, sed quoniam motus diuersas induit rationes, & varia habet, quæ connotatiue spectat, spatium nimirum, in quo fit, tempus extrinsecũ, potẽtiã motiuam &c. quæ modo non faciunt ad præsentem quæstionem, ad diuersa comparatus induit diuersas rationes. Nam motus comparatus ad spatium, in quo fit, quatenus ipsius partibus citius applicatur mobile, dicitur velox, quatenus serius eisdem partibus mobile applicatur dicitur tardus, cui proinde correspondet proportionatum tempus extrinsecum: tamen si rem bene consideremus in motu variatur tempus intrinsecum eodem prorsus modo, quo variatur motus; Nam loquendo de tempore intrinseco, motus non potest fieri velox, quin velox sit, & breue ipsius tempus, nec tardus potest esse motus, quin tardum sit ipsius tempus intrinsecum. Nam quid est esse velocem motum, nisi partes ipsius tam celeriter fluere, vt citius mobile singulis spatij partibus coexistat? Et quid est tempus motus esse breue, de intrinseco loquendo, nisi partes ipsius citius fluere, & sibi succedere? Quare idem est tempus intrinsecum alicuius certi motus esse breue, vel longum, & ipsum motum esse velocem, vel tardum; se-

cun-

fundum diuersas, & diuersas rationes, atque connotationes; velox præcipue est motus comparatus ad tantum spatium, tardus est comparatus itidem ad spatium; veruntamen ad tempus extrinsecum, qui est secundarius terminus respectus, breue est tempus intrinsecum quatenus partes ad inuicem cito fluunt, & faciunt mobile cito coexistere partibus spatij; longum est quatenus partes sibi inuicem sero succedũt, per quas tarde mobile partibus spatij applicatur. Quapropter verum nõ est, si res diligentius consideretur, quod fiat mutatio intrinseca in motu, & non fiat in tempore intrinseco; sed de tempore nos fere non loquimur nisi vt de mensura rata, & determinata inuariabili, quæ solum est tempus extrinsecum; vnde est, vt in variato tempore hoc, concipiamus varietatem in motu; si ergo easdem subeunt renera mutationes tempus, & motus consequens est, quod ad inuicem realiter non distinguantur. Quare

Dicendum tempus non distingui realiter a motu. Patet ex modo dictis, & rationibus secũdæ sententiæ. Confirmatur ex Aristotele Tex 104. dicente. Est autem prius, & posterius ipsorum in motu id quidem, quod est motus est esse, tamen ipsi alterum, & non motus. Per quæ ostendit philosophus idem esse realiter tempus, & motum, essentia vero, & natura diuersa. Præterea non potest vllo modo variari motus cæli, quin varietur tempus, variari autem posset si a tempore realiter distingueretur; Ergo motus, & tempus non distinguuntur realiter. Probatur Antecedens; Quia si motus primi mobilis fieret a virtute motiua, quæ esset duplo maior, quam modo sit, duplo breuiores essent dies, & noctes; & si motus proprius solis duplo tardior esset, duplo longiores essent anni, quam nunc sunt; nulla ergo fit variatio in motu, quæ in tempus non redundet, ac proinde re idem sunt tempus, & motus, cum impossibile sit variari vnum, & non variari alterum, & vnum ab altero separari. Adde quod, si præscindatur id, quod ponitur re esse tempus, & relinquatur idem motus; impossibile erit motum non eodem modo durare; vnde erit tempus sine tempore, quæ arguunt tempus, & motum non esse realiter distincta.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam patet ex dictis eodem modo fieri velox, & tardum tempus de intrinseco loquendo, quo fit motus.

Dices moueantur duo corpora A. & B. per vnum stadium æquali motu, & tempore, puta per horam, tunc sic; poterit eadem hora mobile A. moueri per duo stadia, si duplo fiat motus velocior, in quo casu erit idem tempus, & non erit idem motus, cum iam sit duplo velocior; non ergo idem est realiter tempus, & motus.

Respondeo dicendum falsum esse, quod idem sit tempus, quo mobile mouetur per motum velociorem per duo stadia, si de intrinseco sermo sit, solum verum est, quod tota duratio motus velocioris, quo mobile A. mouetur per duo stadia æque respondet horæ temporis extrinseci, ac respondebat duratio motus tardioris, quo mouebatur mobile B. per solum stadium, quod etiam est, velox, & tardum definiri per tempus; sic enim velox dicimus, quod plus spatij conficit eodem tempore, scilicet extrinseco; cæterum intrinsece simul partes motus velocioris minus durant, quam durarent partes motus tardioris; vnde solum idem est tempus per æquiualentiam, & coexistentiam ad extrinsecum; per quæ patet etiam ad secundam rationem.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod Deus dicitur durare per suam substantiam, non creaturæ; Quoniam sicut ipsius substantia absolute est a se, & aliunde non dependens; ita ex se habet, vt semper duret in esse; At creatura non dicitur durare per suam substantiam; Quoniam substantia illius ab alio dependet, & accipit esse; & quia tali substantiæ non repugnat cessare ab esse, si cesset a conseruatione illud, a quo habet esse; ideo durare dicitur per accidens, idest per aliud, non formaliter, sed causaliter; Quamquam nec in rationem creaturæ ingreditur ratio durandi, vt formaliter quoque dici debeat durare per accidens, idest per rationem, quæ non est de ipsius essentia, licet vna res sit cum sua essentia actuali: At diuina substantia per se, & formaliter, & causaliter durat; quia sibi ipsi ratio est æterne durandi, cum a nullo extrinseco depen-

dependeat; & ratio durandi de ipsius conceptu sit, quia substantia summe actu, non est, quin in esse perpetuo duret. Quare argumentum solum procedit ex mala intelligentia illius propositionis. Deus durat in esse per suam substantiam non creatura. Ad confirmationem respondeo dicendum, quod distinctio realis in creatura perfectionum, quæ Deo attribuuntur, bene nobis præbuit occasionem distinguendi illas in Deo, in quo non sunt distinctæ, sed sunt vnum, & idem; non tamen propterea omnibus diuinis attributis debet in creatura respõdere distincta perfectio realiter ab alia: Quæ enim est huius rei necessitas? nam si illud esset essentia caloris realiter distingueretur ab ipsius vi calefactiua; quia in Deo formaliter distinguimus attributum potentiæ ab ipsius essentia; sufficit ergo ad distinguenda attributa Diuina, quod habeamus occasionem aliquam illa distinguendi, quam habemus etiamsi omnibus illis non respondeat in creaturis perfectio realiter distincta.

Ad quartam patebit sequenti articulo.

Oppones. si tempus subiret easdem mutationes cum motu, non possent duo motus, quorum alter sit velox, alter tardus, tantundem temporis durare: quoniam oporteret cum motu fieri tempus etiam velox. ac proinde, & breuius, & fieri tardum, ac proinde longius; vnde velox motus breuiori tempore fieret, tardus longiori.

Respondeo dicendum, quod cæteris paribus semper motus velox habet tempus breuius, & longius tempus habet motus tardus; tamen excessus durationis vnius, vel defectus supra durationem alterius, potest aliunde compensari, cum cætera non sunt paria, ex quo fiet, vt eodem tempore extrinseco fiant motus tardus, & velox; compensatur autem quando velocitas fluxus motus velocis adæquat durationem motus tardi per plures partes motus, eo quod hat per maius spatium, & è contra duratio motus tardi adæquat durationem motus velocis maioris se per diuturniorem permanentiam in esse. Quare quod durent idem tempus motus velox, & tardus cum habent cætera paria est impossibile; quod durent idem tempus, cum non habent cætera paria, accidere potest: Quia quod deest ex vna parte compensatur ex alia, nec tamẽ inde fit, quod tempus intrinsecum motuum non eodem modo varietur ac motus; quoniam motus velocis partes citius sibi succedunt, atque adeo minus durãt; vnde in motu veloci tempus est breuius nisi a multitudine partium suppleatur breuitas durationis: Non ergo tantundem durat motus velox ac tardus, nisi maior sit extensiue, idest fiat per maius spatium.

Dices Aristoteles Tex. 109. aperte negat de tempore, quod sit velox, vel tardum; Ergo male dictum est tempus subire easdem mutationes cum motu.

Respondeo dicendum, quod cum negat philosophus de tempore, quod sit velox, vel tardum, loquitur de tempore accepto pro mensura, & numero; ait enim de tempore; Velox autem, & tardum non est, & huic addit hanc rationem; nõ enim numerus, quo numeramus velox, vel tardus vllus. ex qua ratione aperte constat, in quo sensu de tempore locutus sit Aristoteles.

Oppones secũdo. motus præteritus potest a Deo reproduci; Ergo tempus non est motus.

Respondeo dicendum, quod sicut motus præteritus sub ratione præteriti non potest reproduci, & tamen reproduci potest quoad totum illud reale, quod præteritum est; ita, & duratio, siue tempus, quod præterijt quoad formalitatem præteriti reproduci non potest, reproduci tamen potest quoad realitatem durationis, quæ præterijt.

Dices; ergo in tali casu erit eadem hora præterita cum hora præsente.

Respondeo non futuram eandem quoad negationes varias, quas dicit hora, vt fuit, & vt reproducitur; neque quoad coexistentiam extrinsecis, siue etiam tempori imaginario, quod concipimus ab æterno fluere; eandem autem futuram quoad suam intrinsecam realitatem.

Dices ergo nõ reproducetur tempus præteritum; Quia essentialiter tempus præteritum est duratio, quæ extitit, siue coextitit spatio illi imaginario temporis, quod iam non est, nec esse potest.

Respondeo illud esse tempus præteritum reduplicatiue, non specificatiue, & sic reduplicatiue præteritum vt sic, quodcunque illud sit, non potest reproduci a Deo; quia ad præteritum non est potentia: sed potest reproduci illud reale substratum præteritioni, siue formalitati præteriti.

Art. 5. Utrum unum tantum sit tempus.

PRima sententia affirmatiua vult vnum tantum esse tẽpus. ita comment. 4. phys. comm. 131. Alb. ibi trac. 3. cap. vltimo Sotus quæst 4. art. 2. dub. 1. Durand in 2. dis. 2. q. 6. S. Thom 4. phys. lect. vltima & prima parte qu. 10. art. 6. plura tempora concedit Temistius, & Simpl 4 phys com. 138. Iandu. ibi. q. 28. Greg. in 2. dis 2. quæst. 1.

Pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima ab auctoritate philosophi, qui 4. phys. c. 10. 13 & 14. agens de vnitate temporis asserit vnum tantum esse tempus, licet plures sint motus. Præterea per eundem philosophum tempus est sola duratio motus primi mobilis; sed hæc est tantum vna; ergo vnum tantum est tempus.

Secunda ratio. quæ habent eandem inceptionem, & desitionem dicuntur durare per idem tempus; sed plures motus habent eandem inceptionem, & desitionem; ergo habent idem tempus; ergo tempus non multiplicatur ad multiplicationem motuum; si autem ad multiplicationem motuum non multiplicatur vnum est; quia aliunde non habet; vnde multiplicetur.

Tertia ratio. tempori conuenit esse mensuram motuum, vt cum Aristotele communiter conceditur; sed hæc mensura est vna tantum; ergo, & vnum tantum est tempus. Probatur minor; Quia talis mensura esse nõ potest nisi duratio motus primi mobilis; quia hæc est vniuersalissima, maximè certa, rata, indefectibilis, & omnibus cognita; Ergo.

In cõtrarium pro secunda sententia, quod plura sint tempora sunt hæ rationes.

Prima ex Aristotele, qui 4 phys. c. 10 cum quæsiuisset, an tempus sit vbique, respondet esse; quia vbique est aliquis motus. quæ responsio arguere videtur per Aristotelem dari plura tempora: accedit & S. Augustinus lib 11. confess. cap. 23. vbi sic ait Audiui a quodam homine docto; quod solis, ac lunæ, & siderum motus ipsa sint tempora, & anni; cur enim non potius omnium corporum motus sint tempora? An vero si cessarent cæli luminaria, & moueretur rota figuli, non esset tempus?

Secunda ratio. Omnis motus durat sua intrinseca duratione ab omni alia distincta; Ergo omnis motus habet suum proprium tempus; quia duratio motus est tempus. Probatur Antecedens: quia si moueatur rota figuli, vt dicit S. Augustinus, & cesset motus cæli, imo & omnes alij motus, hæc habebit suum tempus; ipsius enim motus durabit, & plus, & minus durabit, secundum quod velocius, vel tardius mouebitur. Quod autem dicitur de rota figuli, valet de omni alio motu: Ergo omnis motus durat sua propria intrinseca duratione ab omni alia distincta, ac proinde multiplex est tempus, quod est duratio motus, sicut multiplex est motus.

Tertia ratio. Vbi est prius, & posterius sibi succedẽs, ibi est tempus; quia tempus est numerus motus secundum prius, & posterius; sed in omni motu est prius, & posterius etiam præciso quocunque extrinseco; ergo in omni motu est tempus; ergo tempus est multiplex; quia multiplex est motus.

Pro solutione.

Notandum, quod dupliciter in proposito accipi potest tempus primo abstracte sub ratione mensuræ vniuersalis, & hoc pacto vnũ tantum est tempus: secũdo accipi potest vt duratio in tali & tali motu; siue etiam vt passiue mensurabile a tempore cæli vniuersale; Adde vel etiam sub ratione alicuius mensuræ particularis, & hoc pacto multiplex est tempus. Nam considerandum est, quod assumpto semel tempore pro mensura actiua motuum in vniuersali sic acceptum multiplicari non potest; Quia vt sic non habet, vnde multiplicetur; sicut, & numerus acceptus abstracte pro ratione ipsa numeri, & vt talis mensura mathematica, non multiplicatur, sed idem est in omnibus. Quare Aristoteles cap. 13. & 14. lib. 4. phys. vbi docet non esse plura tempora vtitur exemplo numeri dicens septem equos distinctos esse a septem hominibus, & tamen non plures numeros, nec plures septemnarios efficere, quod est intelligendum de septennario secundum se, & formaliter, vt est talis species numeri, & mensura mathematicarum proportionum: Nam alioqui si consideremus septemnarium particulariter, tot sunt septẽnarij, quot sunt ea, quæ sunt septem, atque adeo

adeo septennarius hominum distinctus erit à septennario equorum. ad rem ergo nostrã. tempus si spectetur, vt vniuersalis mensura motuum, siue vt talis mensura secundum se, non multiplicatur, sed vnum est; nam hora vt sic tam saluatur in motu rotæ, & quocunque alio, quam in motu tali, ac proinde hora sub ratione talis mensuræ præcisè non multiplicatur, quod idem dicitur de die, mẽse, & anno, siue quocunq; alio tempore. Verum si spectetur tempus, vt duratio successiua in rebus durantibus, hæc multiplicatur ad multiplicationem rerum durãtium: Nam si cesset moueri rota, & moueatur puluis in horologio non minus motus pulueris conficit suum tempus, quam confecisset, si non cessasset motus rotæ, vel etiam cœli: Motus enim pulueris in horologio non potest esse totus simul, sed habet prius, & posterius, ac proinde necessario sua durat duratione ab omni alia distincta. Quare

Dicendum tempus secundum se, & si accipiatur sub ratione mensuræ actiuæ vniuersalis, non est multiplex, sed vnum tantum; si accipiatur vt successiua duratio in determinatis rebus, vel vt mensura tã actiua, quam passiua particularis, tempus est multiplex. Vtraq;' pars Conclusionis patet ex dictis: Conf. prima pars. Quia illa non multiplicantur, quæ inter se non sunt diuisa, sed ratio temporis vniuerse accepta vt mensura motuum in se est indiuisa, & non dicit in tali ratione diuisionem ab vlla alia ratione huiusmodi, siue à tali huiusmodi mẽsura; Ergo ratio temporis vt sic, est tantum vna. Confirmatur secunda pars conclusionis; Quia illa multiplicantur, quorum vnumquodq; cum in se sit indiuisum, diuisum est à quocunque alio habente similem naturam, & appellationem; sed singulorum motuum durationes, & tempora in se sunt indiuisa, & diuisa à durationibus aliorũ motuum; Ergo motuum tempora multiplicantur; Ergo non vnum est tempus, sed multiplex.

Ad rationes primæ sententiæ quatenus sunt in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod Philosophus illud tantum intelligit de tempore extrinseco vniuersali accepto sub ratione vniuersalis mensuræ actiuæ, siue etiam de tempore secundum se.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod ea, quæ habent eandem inceptionem, & desitionem durant per idem tempus extrinsecum, non intrinsecum.

Ad tertiã patet ex dictis solum rationem mensuræ actiuæ vniuersalis conuenire tempori primi mobilis, quod hoc sit notissimũ, maxime regulare, firmum, vniforme, perpetuum, & apud omnes idem.

Art. 6. Vtrum omne tempus sit vnum specie.

QVæstio est de vero tempore successiuo successione continua. Et sententia quidem affirmatiua communis est, cui tamen repugnant aliqui assignantes tempus distinctum specie pro duratione rerum permanentium creatarum, Quasi huiusmodi res debeant ipsæ quoq; necessario successiuè durate distincta specie durationis à duratione, qua durat motus, & entia vere successiua, de quo postea. Et quidem quod temporum species multiplicentur probari videtur his rationibus. Prima. tempora multiplicantur ad multiplicationem motuum; sed motus inter se specie distinguuntur; Ergo & tempora, Maior constat ex dictis. Minor non minus certa est. Nam alij sunt motus locales, alij alterationis, alij augmentationis; & locales adhuc varij sunt, vt patet non solum in inferioribus, sed in motibus cœlestibus; Si ergo motus multiplices specie sunt, & multiplicia erunt tempora.

Secunda ratio si durationes diuersorum motuum non distinguerentur specie, sed solo numero, darentur multa accidentia solo numero distincta simul in eodem subiecto, cum sæpe eueniat, vt idem corpus moueatur motibus diuersarum specierum, vt alterationis, augmentationis &c. Sed hoc non potest esse; Quia in eodem subiecto non multiplicantur formæ solo numero distinctæ; Ergo necessario dicendum est durationes diuersorum motuum esse distinctas specie, atq; adeo plures esse temporum species.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. non minus est vna ratio durationis in omnibus motibus, quam sit vna ratio quantitatis in omnibus corporibus, sed in corporibus est vna ratio quantitatis, Ergo & in omnibus motibus, omnibusq;

busque entibus successiuis erit vna ratio durationis, atque adeo omne tempus erit vnum specie.

Secunda ratio. in ratione prioris, & posterioris successiuorum non potest esse nisi diuersitas accidentalis; sed in ratione prioris, & posterioris successiuorum consistit essentia temporis; Ergo tempus in sua essentia non admittit differentias essentiales; sed ad summum accidentales, & sic tempus est vnum specie.

Pro solutione.

Notandum, quod illud vnum specie est, quod habet vnam rationem obiectiue intelligibilem, ex qua intelligitur in re easdem emanare passiones; tempus ergo vnum specie erit, si hoc pacto vnam dicat rationem. Considerandum igitur est, quod in omni motu, omnique ente successiuo cuiuscunque tandem generis sit, reperitur prius & posterius, quod ad summum in hoc diuersificatur, quod in vno inter partes priores, & posteriores datur maior velocitas, vel minor successionis; cæterum prius, & posterius partium sibi succedentium æque repetitur in omni motu; vnde discrimen quod in eo reperiri potest, vel est accidentarium, quale diximus, vel est prorsus materiale, quatenus partes, quæ sibi secundum prius, & posterius succedunt, diuersæ entitatis sunt; nullum autem est discrimen formale; Vnde necesse est durationem, quam dicit prius, & posterius, & constituit tempus, esse eiusdem essentiæ, & speciei. Nam si non sit talis secundum prius, & posterius successio durationis, iam vere tempus non erit, sed aliqua alia duratio nis species, de qua postea. Ex quo est, vt secundo de generat. Tex. 60. dicat philosophus. impossibile esse tempus sine motu esse; Quia scilicet sine motu vera duratio successiua non est, sed iam iterum Considerandum est, quod adhuc duratio, & tempus sub alia ratione consideratur, nempe sub ratione mensuræ, & tunc cum certum sit mensuras eiusdem rationis magis inter se conuenire in ratione mensuræ, quamquæ sunt rationis diuersæ, fit, vt si in tempore dentur diuersæ rationes mensuræ, diuersæ etiam in hoc sensu reperiantur species temporis. Quod autem in tempore sint diuersæ rationes mensuræ ex eo euidens est; quia alia est mensura annus, alia mensura est mensis, alia dies, vel hora; vnde necesse est, quod anni magis inter se conueniant, quam cum mensibus, & diebus, quod idem dicitur de mensibus, diebus &c. Vnde vna erit species temporis, quæ sit annus, vna quæ sit mensis &c. Quoniam diuersa est ratio anni a ratione mensis, diuersa ratio mensis a ratione diei; diuersa ratio diei a ratione horarum, & sic de cæteris. Quare

Dicendum tempus acceptum sub ratione mensuræ non esse vnum specie, sed multiplex, acceptum vero præcise, quatenus est duratio successiua, esse vnum specie, & solum multiplicari numero, & materialiler. Vtraque pars conclusionis patet ex dictis. prima Confirmatur, quia in astrologia, & mathematicis, imo & in ciuilibus alia est consideratio anni, alia mensium, alia dierum, & horarum; sed si eiusdem essent speciei, quatenus sumuntur in his facultatibus, eadem esset omnium consideratio; Ergo non sunt eiusdem speciei; non ergo tempus in ista consideratione est vnum specie, sed multiplex. Confirmatur secunda pars conclusionis; ea, quæ dicuntur de duratione successiua corporum præcise æque saluantur in duratione cuiuscunque motus corporei; Ergo in ratione durationis successiuæ præcise est vna tantum species, atque, adeo vna species temporis. Probatur Antecedens; quia æque omnibus conuenit habere prius, & posterius; æque omnes sunt permanentia in esse successiua motus, æque omnes mensurari possunt vna extrinseca mensura temporis; ergo sunt eiusdem rationis specificæ; nam si aliqua sunt, quæ conueniant vni durationi, & non alteri, vel sunt accidentalia, vel se tenent ex parte subiecti, siue remoti, siue proximi, vt quod vna duratio sit motus localis, alia alterationis &c.

Ad rationes factas in principio. Et ad primas quidem patet ex dictis eas solum procedere de tempore accepto præcise in ratione durationis successiuæ, non in ratione mensuræ.

Ad secūdas quantū faciunt in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod bene tempora ad multiplicationem motuum multiplicari possunt multiplicatione numerica; Quia differentiæ numerales non sunt formales, sed materiales, non tamen multiplicari possunt

multiplicatione specifica; nisi multiplicentur rationes formales, quæ secundum durationem in motibus non multiplicantur.

Ad secundum respondeo dicendum, quod etiamsi demus vniuersaliter non posse multiplicari formas solum numero distinctas in eodem subiecto; tamen sufficiet adhoc, vt diuersificentur, si diuersa sint subiecta proxima; & quoniam subiectum proximum temporis est motus, cuius tempus passio est, & motus in eodem subiecto multiplicari possunt, idcirco sine vlla repugnantia multiplicabuntur & tempora; neque hoc erit ponere plures formas solo numero differentes in eodem subiecto; quoniam subiectum proximum vniuscuiusque formæ, quod est motus, erit diuersum.

Art. 7. Vtrum in tempore detur instans, & hoc sit vnum, vel multiplex.

Dari aliquo pacto instantia in tempore negari non potest, nisi negetur produci quid quam posse indiuisibiliter, quod tamen alienum est a Doctrina peripatetica, cũ Aristoteles sæpe affirmet huiusmodi productiones. ita primo physi. Tex. 23. vbi dicit quod sunt aliquæ mutationes instantaneæ. & li. 3 de anima Tex 24 ait. Quod autem non secundum quantitatem indiuisibile est, sed forma, (idest anima, siue intellectus, qui non est aliquid indiuisibile quantitatiuum, sed forma, & actus indiuisibilis;) intelligit in indiuisibili tempore, idest in instanti, & indiuisibili animæ intellectione; vbi obiter & illud notandum, quod intellectionem attribuit animæ, & ea vult intelligere illud, quod appellat indiuisibile forma, idest intellectum, vt necessario per Aristotelem, & intellectio, & intellectus sit aliquid animæ, & in anima, sed de hoc 3. lib. de anima pluribus. similem doctrinam de productionibus instantaneis habet alibi vt 8 physi T 23. vbi dicit. Non enim si partibile est in infinitum id, quod alteratur, ob id, & alteratio; sed simul vniuersa fit sæpe, sicut congelatio, quod alibi etiam repetit, & 10 ethi. cap 4 docet Voluptatem totam simul indiuisibiliter heri. Quare in Aristotele certum est dari productiones instantaneas. Sed dubium est, quomodo se habeat, & quomodo sit illud, quod huiusmodi productionum mensuris in tempore respondet. Et quidem qui in continuo admittunt indiuisibilia actu in tempore actu ponunt instantia, quorum sententia his probari posse videtur rationibus.

Prima. quidquid tẽporis est præsens adæquate est totum simul, & indiuisibile in partes; sed hoc est instans; ergo in tempore datur instans.

Secunda ratio. dum fit forma substantialis, vel aliud, quod accipit suum esse totum simul, debet in tempore correspõdere aliquid pro mensura illius productionis; sed hoc non potest esse nisi instans; Ergo in tempore datur instans. Maior patet, quia dum tales formæ fiunt, fluit tempus, vt omnino sit necessarium tunc tali productioni aliquid in tempore respondere. Quod autem hoc non sit tempus, sed instans, probatur; Quoniam omne tempus est diuisibile in infinitum; Ergo quacunque parte assignata temporis in minori, & minori in infinitum erit producta forma substantialis; Ergo cum in nulla assignabili adæquate possit esse producta, mensura adæquata ipsius productionis erit instans.

Tertia ratio. Quando creatus est mundus vel creatus est in tempore, vel in instanti; si secundum habetur intentum, iam enim dabitur instans; si primum contra est; Quia tunc non erat tempus. Præterea. mundus factus est totus simul, sine vlla successione; ergo nõ potuit fieri in tempore, sed fieri debuit in instanti. Hæc autem instantia plura ne sint, an vnum, vtrunque videtur dicere Aristoteles; nam quod multa sint videtur asserere 4. physi. Tex. 110. dicens. ipsa autem nunc altera sunt. Quod etiam probatur; quia tempus est continuum, vnde plures habet partes; sed partes copulantur instantibus; ergo in tempore sunt plura instantia.

Quod autem non plura sint, sed vnum tantum, videtur etiam dicere Aristoteles Tex. 105. vbi comparat nunc respectu temporis cum mobili respectu motus; sed mobile est idem in toto motu; Ergo & instans erit idem respectu totius temporis.

In contrarium pro sententia negatiua, quod non dentur instantia, sunt hæ rationes.

Prima si in tempore dantur instantia, vel hæc dantur actu, vel potentia, neutrum

dici

dici potest; non ergo in tempore vlla dantur instantia. Probatur minor, quod non sint actu; quia sequeretur totum tempus nihil aliud esse, quam vnum instans; nam instans, quod actu est, debet esse illud, quod est præsens; Ergo semper quidquid erit præsens, erit instans; Quæ enim maior sit ratio, quod nunc sit præsens instans, & non postea? Dices quia cum fuit vnum illans actu durare non potuit, nec huic potest succedere aliud instans actu; quia secus tempus componeretur ex instantibus, quod dici non potest; sed cōtra est; quia id circo ponitur instans actu, vt sit aliquid præsens; sed post hoc instans non minus erit aliquid præsens, quam sit nunc, quod vel debebit esse instans, vel certe si tempus sit, nulla est ratio, cur non dicatur quoque modo, quod est præsens, esse instans. sed iam probatur eadem minor, quod non sit potentia; quia quidquid est potentia debet aliquando reduci in actum; sed hoc instans in actum reduci non potest; ergo non est vllum instans potentia. Probatur minor; quia assignari non potest a quo deducatur ad actum. Secundo, quia non est maior ratio, cur reducatur ad actum nunc; quam prius, & cur semper non reducatur ad actum.

Secunda ratio. impossibile est in tempore assignare aliquid, quod sit tempus, & dicat negationem omnis partis temporis; quia negatio omnis temporis est non tempus, sed si darentur instantia daretur aliquid in tempore, quod re esset tempus, & negaret omnem prorsus partem temporis; Ergo non dantur instantia. probatur minor; Quia cum tempus sit homogeneum, omnis entitas temporis formaliter debet esse tempus, vel certe tempus componi debet ex duplici entitate, quarum vna prorsus opponatur alteri, atque adeo tempus homogeneum non erit. ex alia vero parte instans negat omnem prorsus rationem temporis; ergo si darentur instantia daretur aliquid in tempore, quod re esset tempus, & negaret omnem prorsus partem temporis, & sic esset tempus, & non esset tempus.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut contactus sphæræ perfectæ, & plani arguit punctum; ita productiones rerum indiuisibilium, quæ fiunt totæ simul, arguunt, sicut significatum est, dari instantia. Considerandum tamen est, quod non videntur dari posse instantia, quæ sint omnimoda negatio temporis realiter sumpti; nam non videtur intelligibile, quomodo vel tempus, quod est quid homogeneum, componatur in re ex non tempore, vel aliquid, quod tempus sit, possit habere actu, & adæquate rationem non temporis; nam conceptiones illæ, quibus concipimus hæc instantia esse vincula, & copulas partium temporis, sunt meræ conceptiones; neque enim his vinculis indigent partes tēporis, quæ in re se ipsis copulantur, & si darentur a parte rei hæc vincula nihil a parte rei temporis esset nisi instantia; nam nulla poterit esse tam minima pars temporis, quæ non habeat minores in infinitum, quę instantibus copulentur, vt prorsus necesse sit deuenire in tempore ad mera instantia, & ad infinitum actu; imo ad infinities infinita, quæ, quod mirabilius est, singulis momentis finiantur, & transeant, quæ prorsus incredibilia sunt. Nam si sunt infinita, quomodo actu finiuntur? & citius finiuntur, quam aliquota pars finita? & quare quod modo est instans vltimum est, cum in infinito non possit dari vltimum? Sed est, inquiunt aliqui, infinitum terminatum. Hoc adhuc deerat cæterorum errorum monstris, si hoc noui nō tulisset Africa. Quomodo infinitum si termino finitur? Quomodo infinitum, vbi primus, & vltimus terminus? At media, inquiunt, actu infinita. Ergo inter duos terminos media ordinata a primo ad vltimum, ita vt detur primum, detur vltimum, post primum singula actu determinata concurrant, & hæc sint infinita, cum tamen procedendo per ordinem finiantur, & a primo deueniatur ad vltimum? Quæ sunt manifesta contradictoria. Nonne illa media actu concurrunt dando se ipsa cum tali ordine a termino ad terminum? Quomodo ergo infinita? & quomodo infinita si processus finitus? si actus constitutus finitus, nimirum digitus quantitatis, vel palmus? si concurrerent actu infinita, vtique actus constitutus esset infinitus; quia totum minus esse non potest suis partibus componentibus, etiam simul sumptis, nisi & aliud hic dare volumus portentum, totum minus suis partibus. Præterea sint duo termini, quibus concluditur hóc infinitum, A. & B. tum mediæ, vt dicitur, partes actu infinitæ; Cum istæ partes, & inter se, & a suis terminis non sint diuisæ; quia ser-

mo est de quanto continuo, non discreto: Quamquam, & eadem difficultas militat contra discretum; Ex suppositione tamen sermo sit de continuo; Ergo istæ partes copulatæ sunt: peto ergo an terminus A. copulatus sit cum aliqua parte, vel cum nulla. si secundum, Contra est suppositio, Quia sermo est de continuo non de discreto, Ergo primum. si cum aliqua parte copulatus est terminus A. & illa pars copulata pariter est cum alia parte, & illa cum alia donec ordine deuenitur ad terminum B. ad quem si in re nunquam deuenitur, in re nunquam est constitutum; ergo contra suppositionem illa est quantitas digitalis, vel palmatis: si deuenitur: Ergo actu in illa compositione sumuntur singulæ partes, & omnes a prima ad vltimam, a termino A. ad terminum B. Quod si non est finitum, quid est finitum? Ex sibilabunt nos Idiotæ, & derriuio Vulgus, si denominibus ita perperam ludamus Philosophi.

At Dices termini illi copulati nō sūt cū vlla parte determinata, sed cum aliqua indeterminate. Contra. Ergo indeterminate copulati sunt; Ergo determinata compositio a parte rei actu per partes actu fit per concursum partium componentium indeterminatarum; & cum talis compositio nihil aliud sit, quam talis componentium concursus, erit concursus determinatus, & indeterminatus; compositio determinata, & indeterminata, quæ sunt ad inuicem pugnantia.

Dices non posse poni partes, & indiuisibilia in continuo actu, & partes proportionales actu, quod tamen multi sapientes ponunt, nisi hæc deuotentur, quæ videri possunt absurda. At ex his ipsis capitibus contendimus nos positionem illam esse absurdam, nec sanum esse posse stomachum tantæ ingluuiei, ac proinde a sanis ea non esse deuoranda.

Sed ad propositum redeamus, & magis ex his ipsis certum sit, quod in tempore, sicut in alijs continuis proportionaliter, actu instantia, & partes esse non possunt; vnde considerandum est diligenter, quomodo se habeant hæc instantia in tempore: & sane cum instantia inuenta sint ex productionibus simultaneis, quæ totæ simul sunt, attendere oportet, quod duratio successiua ad simultaneam eo modo se habet, quo quantitas vnius rationis ad quantitatem alterius; puta quantitas curua ad rectam. nam vt ibi vtraque quantitas est, ita hic vtraque est duratio; & sicut ibi est diuersa ratio quantitatis; ita hic durationis; & sicut ibi quantitas curua, & recta se solum cōtingere possunt secundum minimum, quod cum realiter quantitas sit, per comparationem ad reliquas partes aliquotas exuit quasi rationem quantitatis; Quia nullam reperit sibi correspondentem, vt supra dictum est; ita in proposito minimum illud temporis, quod correspondet productionibus simultaneis, quæ momento fiunt, comparatum ad partes aliquotas temporis nullam habet sibi respondentem, cui possit proportionari, & tamen absolute, & realiter loquendo non potest esse non tempus; Nam qui fieri potest, vt tempus a parte rei sit per non tempus; & quod res fiant in tempore, & non tempore: In tempore autem, & non tempore fierent, si instans absolute, & secundum rem esset non tempus; nam dum fit forma substantialis siue alia, quæ fit in instanti est tempus; quia est motus non interruptus, ac proinde, & tempus est. Si dicas quod est mutatum esse motus, & instans; contra est, quia si hoc esset, tunc interruptus esset motus, & tempus; nam dum fluit motus, & tempus, nullum mutatum esse, neque instans actu est; Quia in motu non datur vlla actu negatio motus, nec in tempore vlla actu negatio temporis, sine quibus tamen actu esse non possunt mutata esse, & instantia, quæ ponuntur; Quare si res profunde penetretur sine controuersia poni debent instantia non posse esse absolute non tempora, sed non tempora solum esse comparatiue ad partes aliquotas temporis considerabiles sub ratione mensuræ, per quam mensuratur tota duratio temporis: cæterum illa entiratiue, & in se esse aliquod temporis minimum, per quod duratio successiua correspondet permanenti simultaneę. Vnde Aristoteles 3. de anima Tex. 23. ait tempus diuisibile, & indiuisibile est. & Tex. 24. secundum accidens autem, & non inquantum illa diuisibilia sunt, id, quod intelligit, & tempus in quo, sed inquantum indiuisibilia.

Per

Per quæ ostendit tempus, quod diuisibile est, subire rationem indiuisibilis, quod explicat subdens. inest autem, & in his aliquid indiuisibile, sed forte non separabile. Quod est dicere non inest actu, quod magis explicat addens. Quod vnum facit tempus, & longitudinem, & hoc similiter in omni est continuo, & tempore, & longitudine. Itaque per Aristotelem tempus fit indiuisibile respectiue, & additis non nullis negationibus; Vnde loco citato subdit; Et sic indiuisibile monstratur, sicut priuatio. Nam sicut priuatio fundatur in positiuo, quod ipsa non est, & ei addit negationem; ita instans fundatur in positiuo temporis, & illud accipit inadæquate, & syncategorematice illi addens negationem partis aliquotæ, & commensurabilis cum tempore. Quare instantia quidem dari necesse est, si tamen intelligantur, vt explicauimus, atque hæc & actu, & potentia sunt secundum diuersa, actu quatenus comparatiue accipiuntur ad simultaneas productiones, quibus in tempore correspondent; potentia quatenus ijs comparatiue accipi possunt, quibus ad partes aliquotas temporis communis reperiri mensura non potest; sicut neque excessui diametri & costæ, cum tamen excessus diametri supra costam sit aliqua determinata entitas quantitatis, in qua potest quidem reperiri aliqua pars aliquota ad costam, cum quo tamen semper restabit nescio quid minimum in comensurabile, vnde in mathematicis pro certo habetur diametrum esse incommensurabilem costæ. Et ex his habetur tempus non superare infinita latitudine positiua sua instantia, neque quantitatem sua puncta, sed superare solum in infinitum negatiue; quia facta quacunque diuisione in quantitate, & in tempore per partes, nunquam reperiemus partem vllam correspondentem instanti, & puncto; vnde mathematice hæc duo prorsus indiuisibilia sunt: Cum ergo hic excessus in infinitum partium aliquotarum temporis, & quantitatis ad puncta, & instantia solum negatiuus sit, non potest ex eo sumi vllum argumentum ad concludendum excessum infinitum positiuum: Atque adeo si luminosum producat in instanti lumen vt 4. in determinata parte subiecti, siue eius superficie, si deinde per motum spatio quadrantis, vel horæ dicto subiecto magis, & magis approximetur, non producet lumen infinitum; Non solum, quia hoc nos docet experientia; sed quia ratio, quæ ad hoc afferri solet, hoc non probat, cum procedat ex suppositione, quod hora superet infinitis partibus positiuis, & actualibus instans, & lumen factum in tempore lumen factum in instanti; cum tamen neutrum sit, sed solum nec instans habeat commensurabilitatem ad partes temporis; nec modus productionis instantaneæ, quo productum est primum lumen, adæquare possit vlla mensura modum productionis temporaneæ, & successiuæ; quamquam lumen factum per productionem instantaneam cum in facto esse non retineat modum suæ productionis, & sit aliquid diuisibile, consequenter mensurabile est cum eo, quod fit per approximationem luminosi temporaneam, cum diuisibile determinatum, & eiusdem modi cum alio diuisibile sit mensurabile; Vnde finito, & tanto excessu lumen factum in tempore excedet lumen factum in instanti, vel etiam præcise spectatum poterit minus esse illo; quando scilicet ratio approximationis comparata ad primam virtutem actiuam luminosi habet se vt minus, quod scilicet approximet luminosum in ratione actiui, vt minus efficax, vt minus inquam efficax comparatum præcise per vim nouam ad nouum lumen cum vi primæ productionis ad primum lumen. Quibus sic constitutis.

Dicendum si sano modo intelligantur instantia in tempore dari instans, non vnum solum, sed multiplex; nullum tamen actu esse nisi comparatiue ad permanentia momentanea. Patet conclusio ex dictis, & eam solum probant rationes primæ sententiæ, quatenus aliquid probant. Nam verum non est, quod assumitur in prima ratione, quidquid temporis præsens est esse instans; secus enim nihil vnquam temporis esset, sed quod præsens est temporis, tempus est; sed præsens non permanenter, sed fluenter, & successiue, quod sit instans dum accipitur vt quid toto simul, siue quatenus respondet enti duranti indiuisibiliter.

Secūda & tertia ratio solum probāt intētū, actu instans esse in aliquibus simultaneis pro-

productionibus, quæ scilicet momēto fiunt, & in tempore solum comparatiue; Aristoteles vero aliquando videtur ponere plura instantia, aliquando vnum; plura ponit dum tempus sub ratione mensuræ considerat, & partes eius, quæ vt plures sunt, ita & plura habent instantia, quibus copulentur: vnum ponit vel ratione mobilis, cuius duratio tota simul, & indiuisibilis eadem est sub toto fluxu motus, vel ea imaginatione, qua mathematici imaginantur punctum suo fluxu facere lineam, & nunc suo fluxu facere tempus, quod proinde, & vnum solum quodammodo est, quatenus vnū fluit, & multiplex, quatenus in singulis partibus temporis quodammodo diuersum est.

Ad rationes in contrarium partis negatiuæ.

Ad primam patet ex dictis, quomodo instantia franc in tempore actu non possunt tamen fieri actu vnum post aliud; quia dum instans actu fit in tempore sumitur tempus inadæquate, quod iam sumendum esset adæquate, nec retineret rationem continui successiui, quæ implicant; quia esset tempus, & non tempus; nam successiuum non potest componi ex permanentibus, nisi discretum sit, & continuum ex non continuis, neque simpliciter proportionari, quæ sunt primo diuersa, vt etiam in quantitate curuum, & rectum.

Ad secundam respondeo dicendum instās esse quidem omnimodam negationem partis aliquotæ temporis, non esse tamen omnimodam negationem illius rei, quæ est tempus, nimirum durationis; Quia instans est aliqua duratio; vnde sub ratione partis, & mensurabilis omnino negat tempus, non vero negat simpliciter sub ratione durationis.

Oppones. productiones simultaneæ possunt durare per aliquod tempus, vt actus intellectionis; ergo non est necesse propter eas concedere instantia.

Respondeo, quod simultanea durant per tempus, non præcise ex vi productionis; sed quatenus productio induit quasi rationem conseruationis, & quatenus durant in esse producto; Nam ipsorum fieri cum non fiat per partes, mensura illius consequenter non potest habere partes, vnde si præcise accipiatur neque talis mensura dicit partes in tempore; sed dicit quid minimum incommensurabile cum partibus, vt excessus diametri cum partibus costæ, & quod præcise tangitur a sphæra cum partibus quantitatis: Quia tamen huiusmodi productiones fieri non possunt per modum mensuræ omnimodæ indiuisibilis vna post aliam immediate; quia tunc hærent in eodem instanti temporis; Nam indiuisibile cum alio indiuisibili non facit latitudinem diuisibilem; ideo non possunt esse plura permanentia, vnum post aliud, quibus respondeant plura distincta instantia immediata.

Art. 8. Vtrum detur tempus imaginarium.

Fauet parti affirmatiuæ Augustinus lib. 11. confessionum cap. 23. dicens. Video igitur tempus quandam esse distensionem. fauet etiam Damascenus lib. 2. cap. 1. agnoscens quendam velut temporalem motum, ac spatium, quod vna protenditur cum rebus æternis. Nazianzenus quoque Orat. 35. circa principium, & 38. circa medium meminit huius imaginarij spatij successiui. sequitur Suarez in metaph. dis. 50. sect. 9. nu. 14. contra quos tamen videntur esse hæ rationes.

Prima. vbi non est motus, ibi non est tempus; sed tempori imaginario non respondet motus; ergo neque tempus, ac proinde tempus imaginarium non erit.

Secunda ratio. si datur tempus imaginarium vel hoc est a Deo, vel a se, neutrum dici potest; Ergo non datur tempus imaginarium. probatur minor. Tempus imaginarium non est a se; quia vnum solum est ens a se, quod est Deus: Quare in hoc tempus imaginarium esset æquale Deo, & a Deo nullo modo dependeret; Non est a Deo; quia quidquid Deus facit accipit esse reale, non imaginarium, atque adeo si a Deo esset tempus imaginarium consequenter verum ens reale esset.

Tertia ratio. tempus imaginarium vel habet esse, vel non habet esse; si non habet esse nihil est, & ad summum erit mera imaginatio, & ens rationis; si habet esse recurrit argumentum, vel habet esse a se, vel ab alio, cuius neutrum dici potest; Ergo non datur tempus imaginarium.

In contrarium pro prima sententia affirma-

ma-

matiua sunt hæ rationes.

Prima. non minus dari debet tempus imaginarium, quam detur spatium imaginarium; sed datur spatium imaginarium; ergo & tempus imaginarium dari debet. Consequentia patet: minor certa est ex dictis. Antecedens probatur. Nam sicut necessarium est spatium imaginarium propter quantitatem permanentem, ita & tempus imaginarium propter quantitatem successiuam, quæ est tempus reale.

Secunda ratio. Mundus non est factus ab æterno, vt manifestum est ex fide; ergo factum est in tempore, non reali; ergo imaginario. probatur consequentia; quia antequam mundus fieret, potuit esse tempus reale; ergo fuit tempus imaginarium. Probatur Consequentia; quia si fuisset tempus reale, vt potuit esse, si creasset Deus aliquid ante hunc mundum, quod habuisset motum, in tali differentia temporis illius realis creatus esset hic mundus; ergo & in tali differentia temporis imaginarij, quod correspondet tempori reali creatus est mundus; ergo erat tempus imaginarium.

Tertia ratio. si cesset in mundo omnis motus; & remaneant solum entia permanentia, adhuc talia entia plus, & minus durabunt; sed non per tempus reale; ergo per tempus imaginarium. Minor, & consequentia patent; quia non erit tempus reale. Maior probatur; quia dum durant entia permanentia sine vllo motu, potest Deus corrumpere vnum ex illis, relictis alijs; tum potest & aliud corrumpere alijs in esse relictis; ergo primum, quod est a Deo corruptum, minus durauit, quam cætera, & secundum etiam minus, quam ea, quæ corrupta non sunt; ergo entia permanentia plus, & minus durabunt sine vllo tempore reale, quod non potest esse nisi per tempus imaginarium.

Pro solutione.

Notandum, quod quidquid habet esse, necessario vel habet a se, vel ab alio, nec medium dari potest; quia hæc duo extrema concernunt contradictionem: a se habet esse Deus, qui consequenter est ens increatum, & independens; omne enim creatum, & dependens ab aliquo alio dependet, & creatum est; infinitum quoque est, quod a se est; quia quod a se est a se totum habet, & a nullo habet, a quo finiatur; immutabile quoque, & æternum est, quia quod a se est, sicut sibi semper est ratio essendi, ita & eodem modo semper est; quod vero habet esse ab alio, illud est, quod a se non est, & Deus non est. Sed tamen considerare oportet, quod nos dicimus esse non solum ea, quæ proprie sunt, sed ea etiam, quæ non sunt, & sūt entiū possibilium negationes, cum discrimine tamen, quod ea, quæ penitus non sunt, solum dicuntur esse per fictionem intellectus, vel imaginationis; entium vero possibilium negationes non ficte dicuntur esse, quia præcisa omni fictione vere non est tale ens, & tamen est possibile. Iam ergo si loquamur de tempore certum esse debet fuisse possibile a Deo maius tempus, quam de facto a Deo factum sit; quia nulla ratio reddi potest; Quare non potuerit Deus creare mundum prius quam creauit, siue etiam ante hunc creare alium mundum, cum Deus mundum libere creauerit, sicut libere modo eum conseruat; si autem ante tempus reale fuit tempus possibile; ergo negari ne præexistebat negatio temporis, & non quomodocunque, sed negatio temporis, vt possibilis; Nam aliud est, quod sit negatio alicuius rei, aliud quod sit negatio rei, vt possibilis: in principio enim horæ; quæ modo incipit, est negatio totius horæ, sed non est negatio horæ vt possibilis pro eo principio; Quia tota hora non potest esse in parte horæ; negatio ergo temporis vt possibilis est illud tempus, quod imaginarium appellamus; imaginarium inquam non quod sit fictum ab imaginatione; sed quod vt positiuum imaginamur, quod positiuum non est, sed negatiuum: Hoc ergo tempus dari necesse est vel ex eo ipso, quod tempus est ens creatum, & respectu diuinæ libertatis ens contingens, Nam si a Deo libere est; Ergo potest esse ipsius negatio; quia libertas necessario supponit indifferentiam in obiecto ad vtramque partem, respectu quarum dicitur libertas; negatio autem, quam spectat diuina libertas, non est quæcunque negatio, sed est negatio obiecti vt possibilis; possibilitas autem obiecti ita determinat negationem eius vt si obiectum dicat positiuam latitudinem, negatio debeat dicere latitudinem negatiuam, vnde tantum debet esse tempus imaginarium, quando non est tempus reale, quantum esse potest tempus reale, quod si potest esse infinitum, & tempus imaginarium debet esse infinitum, si finitum illud,

lud, & hoc finitum; si annua est talis pars temporis realis, annua esse debet ipsius vt possibilis negatio, quæ est pars temporis imaginarij, In quo apparet res quantas, siue permanentes, siue successiuas vt possibiles determinare sibi negationes quodammodo quantas; Vnde est, vt mundus creabilis non possit sibi determinare spatium vacuum, quod est in aliquo vase, si Deus ibi vacuum faceret; quia illud spatium vacuum non est negatio mundi, vt ibi locabilis, sed negatio mundi locabilis tanta est negatiue a parte rei, quantus est positiue ipse mundus; Vnde & tanta est negatio temporis vt possibilis successiue existere, quantum & ipsum tempus; tanta autem, & tanta negatio dicitur tempus imaginarium, non solum quia illam positiue imaginamur vt verum tempus; sed etiam quia per ipsam explicare possumus omnes denominationes, quæ concernunt tempus; vnde quæ habet tempus positiue, ipsa habet negatiue, & latitudinem, quam dicit tempus, non minus ipsa dicit, sed negatiue; ex quibus patet vere ante tempus reale fuisse tempus imaginarium, & futurum tempus imaginarium, si desinat esse tempus reale, & per tempus imaginarium explicari posse omnes durationes, quæ a nobis bene non explicantur sine connotatione ad tempus extrinsecum. Quare

Dicendum dari tempus Imaginarium.

Patet ex dictis, & Confirmatur, quia sicut diuina sapientia, & omnia alia attributa diuina necessario inferunt inadæquate tamen aliquam sui participationem creatam; ita Dei æternitas; ergo dum non est actu participatio, quæ, potest esse æternitatis, debet esse ipsius opposita negatio; ergo dum non est tempus, erit negatio temporis, & non quomodocunque sed possibilis; sed negatio temporis annui vt possibilis, quod idē dicitur de omni alio tempore, dicitur tempus imaginarium; ergo necesse est dari posse tempus imaginarium.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod vbi non est motus realis, ibi non est tempus reale, vbi autem non est realis motus, sed est motus possibilis, seu negatio motus possibilis, ibi est tempus imaginarium. Quare tempori imaginario respondere debet motus possibilis. Negatur ergo minor, quod tempori imaginario non respondeat motus, eo modo, quo respondere debet, vnde nulla est consequentia.

Ad secundam respondeo dicendum tempus imaginarium esse a Deo, siue esse in ordine ad Deum, qui potest facere tempus reale; est ergo a Deo non vt quid ab ipso factum, sed vt negatio alicuius a Deo fieri possibilis, vt fieri possibile est.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod tempus imaginarium a parte rei nullo cogitante intellectu habet esse negatiuum, idest existit per non esse temporis realis tunc tamen esse possibilis, quod nos non concipimus, Nisi per modum positiui, atque adeo sic concipiendo facimus tempus imaginarium.

Art. 9. Vtrum tempus potuerit esse ab æterno.

PRima sententia affirmatiua est Aristotelis, qui non solum de possibili, sed de facto posuit mundum ab æterno; fuit etiam Leucippi, & Democriti, qui ab æterno posuerunt atomos susdeque ferri per inane: eandem sequuntur scholastici, qui admittunt mundum potuisse ab æterno esse etiam quoad entia successiua, de quibus sermo erit infra; cum de mundo tractabimus. Contraria sententia negatiua est communis cæterorum, qui volunt saltem entia successiua non potuisse esse ab æterno.

Pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. ab æterno est tempus imaginarium; Ergo ab æterno potest esse tempus reale; probatur consequentia; quia ex dictis tempus imaginarium existit per non esse temporis realis possibilis; vnde si ab æterno fuit tempus imaginarium, ab æterno fuit possibile tempus reale.

Secunda ratio. vel omni circulatione cælesti est possibilis alia prior, vel non est possibilis; si hoc secundum; ergo ascendendo deueniendum est ad aliquam vltimam circulationem, antequam non sit possibilis alia, & tunc quæritur, quæ sit ratio, cur per diuinam omnipotentiam alia prior non fuerit possibilis; si est possibilis; ergo procedi potest in infinitum, & consequenter tempus ab æterno possibile erit.

In contrarium pro secunda sententia ne-

ga-

gatiuæ sunt hæ rationes. Prima si tempus potuit esse ab æterno, possibiles essent infiniti anni, mēses, & dies; sed si hęc essent infinita, pars esset æqualis toti; quia tot essent anni, quot menses, & dies; & tot essent binatij, & quaternarij annorum, quot mensium, & dierum, cum tamen in biennio duodecim saltem sint binarij mensium, & multo plures dierum; sed hæc implicant, & absurda sunt; Quia euidens est lumine naturali totum maius esse sua parte; ergo tempus non potest esse ab æterno.

Secunda ratio æternum, & infinitum est impertransibile; sed si tempus est possibile ab æterno ponatur ab æterno fuisse, tunc sequitur infinitum, & æternum fuisse transactum; Ergo tempus ab eterno non est possibile. sequela assumpti probatur. illud est transactum, quod omne actu fuit, & modo non est; sed si tempus fuit ab æterno omnes anni, menses, & dies actu fuerunt, & modo iam non sunt; ergo transacti sunt; ergo infinitum, & æternum fuit pertransitum, contra rationem æterni, & infiniti.

Pro solutione.

Notandum, quod in ratione infiniti, categorematici, vt supra monstratum est, ita includitur summa actualitas sui generis, vt ratio infiniti repugnet cum potentialitate; nam qua ratione aliquid deficit ab actu sui generis iam finitum, & limitatū est; vnde ex opposito, si non est finitum, & limitatum, omnem sui generis actualitatem habet; repugnat ergo, quod ens potentiale finitum non sit; quoniam omnimoda actualitas cum potentialitate repugnat; tempus autem sicut, & motus talia entia sunt, vt semper dicant cum actu aliquid de potentia; vnde est, vt motus sit actus entis in potentia prout in potentia: quare non videtur stare posse cum natura motus, & temporis ratio infiniti, si de infinito categorematico sermo sit; nam cum omnes partes temporis, & motus dicant aliquid de potentia, & totus motus, & tempus non sit nisi per collectionem partium, totus consequenter motus, & tempus habebit admixtum cum actu aliquid de potentialitate; per hoc autem, quod potentiam includant, iam limitata sunt, & deficiunt a summa actualitate, quam dicit infinitum. sed iam vlterius considerandum est, quod cum tempus sit passio motus, & motus passio mobilis, tempus præsupponit motum, & motus præsupponit mobile, ex quo est, vt tempus æternum præsupponat motum æternum, & motus æternus præsupponat mobile æternum; sed repugnat esse mobile æternum; quoniam omne mobile necessario est ens ab alio, & creatum; omne autem ens creatum sicut ab alio accipit esse, ita & ab eo accipit suam intrinsecam durationem cum suo esse proportionatam; quoniam intrinseca duratio est passio ipsius esse, esse autem finito repugnat intrinseca duratio infinita, sicut enti infinito repugnat aliquod attributum, quod finitum, & limitatum sit; ergo necessario debet esse finita duratio intrinseca entis finiti; cum ergo omne mobile sit ens finitum ex vi suæ productionis solum finitam durationem essendi accipiet, sed si ex vi suæ productionis accipit durationem finitam, cum omnis passio præsupponat subiectum, motus præsupponet mobile factum cum sua duratione finita; præexistit ergo mobile motui per durationem finitam, siue hæc sit instans, siue alia duratio; & cum tempus incipiat cum motu necessario etiam tempus prærequiret subiectum cum sua finita duratione; sed non potest esse infinita duratio, quam præcedat alia præsertim finita; nullum ergo tempus infinitum erit cum omne tempus cum motu finitam durationem mobilis prærequirat. Adde quod cum subiectum ex vi suæ productionis accipiat intrinsece finitam durationem proportionatam cum esse ipsius, & hanc necessario præsupponat vt priorem ad motum, & tempus; cumque, vt productio cuiuscunque entis debet esse determinata, ita determinata esse debeat productio finita, sequitur quod omnis motus, & tempus habeat determinatum principium, post quod sit; vbi autem est principium, & finis, non potest esse infinitum; non ergo tempus infinitum esse poterit, quod necessario requirit, vt principium, post quod sit ad minimum, instans productionis sui subiecti. His addi debet quod nullum tempus potest esse diuturnius illo, quod est in motu circulari, cum talis motus fine quodammodo, & principio careat; sed tempus illud actu, & categorematice infinitum esse non potest; ergo nul-

ſum tempus infinitum eſſe poteſt: Non poteſt autem eſſe infinitum tempus motus circularis; quoniam in motu circulari vna circulatio eſt poſt aliam; omnes ergo circulationes actu ſunt, & ſucceſſiue vna poſt aliam; ergo ſi omnes actu ſunt, & vna poſt aliam, & ſimul infinitæ, præterijſſe, quod eſt finitas eſſe, non potuerunt; quia infinitum eſt impertranſibile, & non finitur, ſed neque infinitæ in poſterum tranſient; nullum igitur vnquam erit tempus infinitum. His adhuc addi debet, quod ſi tempus infinitum eſſe poteſt ponatur fuiſſe infinitum; vt poſuerunt illi, qui dant mundum ab æterno; tunc certum eſt a præſenti die aſcendendo omnes vnitates, ex quibus conſtituitur numerus dierum, qui hactenus tranſierunt fuiſſe, & illæ vnitates præter quã quod omnes actu fuerunt, omnes etiam fuerunt ordinatæ, vna ſcilicet poſt aliã; ergo, & ordinatus eſt numerus illatum ex ipſa natura rei; ſed numerus, in quo deuenitur ad vltimam vnitatem non eſt infinitus; quia finẽ habet in vltima vnitate; ergo neque infinitum erit tempus; nam tempus tantum ſolum eſt, quantus & numerus; neque enim tempus fuit niſi per hodiernum, externum, & cæteros dies; neque totum tempus niſi per omnes dies; Neque dici poteſt, quod finitum ſit tempus a parte poſt, non a parte ante; primum quia ventum non eſſet ad finem hodierni diei, ſi dies, qui tranſierunt fuiſſent infiniti; quia numquam omnes per ordinem tranſiuiſſent; infinitum enim, vt ſæpius dictum eſt, impertranſibile eſt: Secundo quia maior ſemper eſt poſterior numerus priore; ergo numerus dierum, qui finitur in die hodierno maior erit numero, qui finitus eſt in die externo, & ille alio ſuperiore, ſed numerus, qui finitus eſt in die hodierno, finitus eſt, vt ex ipſis terminis patet, non infinitus; ergo primum numerus finitus maior erit numero infinito; quia qui hodie finitus eſt, & eſt finitus, & maior eſt omni alio ſuperiore numero, qui ponitur infinitus. Secundo numerus aliquis & finitus erit, & continebit numeros infinitos; quia numerus, qui completur in die hodierno cõtinet omnes alios, qui in ſuperioribus diebus completi ſunt. Tertio minus erit totum compoſitum ſuis partibus; quia numerus, qui terminatur, & finitur in hodierno die componitur ex omnibus prioribus numeris, omneſque illius partes ſunt, & tamen illi ponuntur infiniti, hic finitus: infinitum autem maius eſt finito: Cum ergo tot, & plures abſurditates, & contradictiones inferat poſitio temporis infiniti.

Dicendum eſt nullum tempus actu eſſe, neque poſſe eſſe infinitum.

Patet Concluſio ex dictis; & Confirmatur; quia ſingulis diebus tempus augetur; ergo eſt finitum. patet conſequentia; quia actu habuit negationem ſui augmenti, qua finiebatur; vnde infinito non fit additio; ſed dicit omnes vnitates poſſibiles; non ergo tempus vllum, cum omni tempori additio fieri poſſit, eſt actu infinitum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam reſpondeo dicendum, quod non magis ab æterno eſt tempus imaginarium, quam ab æterno ſit tempus poſſibile; ab æterno autem tempus poſſibile non eſt; ergo neque tempus imaginarium; ſed ſicut tempus, cum non ſit poſſibile ab æterno, eſt tamen poſſibile prius, & prius; ita & tempus imaginarium, & ex his etiam patet

Ad ſecundam rationem dicendum enim eſt omni circulatione poſſibilem eſſe priorem, & priorem in infinitum; non eſſe tamen poſſibiles actu infinitas, ſicut in poſterum omni circulatione poterit eſſe alia poſterior, & tamen nunquam actu eſſe poterunt infinitæ, ſed finitæ in infinitum; non ergo tempus potuit eſſe ab æterno, ſed prius, & prius in infinitum; quia eſſe ab æterno eſt durare actu tempus infinitum; eſſe prius, & prius in infinitum eſt actu quidem eſſe finitum, infinitum vero potentia.

Oppones ex Commentatore ſi tempus æternum non eſſet; ergo aliquando tempus non eſſet, & conſequenter aliquando fieret, & deſtrueretur, ſed aliquando dicit tempus; ergo eſſet, & non eſſet tempus, & fieret, & non fieret, deſtrueretur, & non deſtrueretur, quæ ſunt contradictoria: dum enim fit tempus debet eſſe tempus, in quo fit, quod proinde non ſit, & dum deſtruitur, ſimiliter tempus eſt, in quo deſtruitur, quod non eſſet, ſi deſtrueretur; imo ſi ante mundum tempus non erat, & futurum erat, iam tempus erat; quia tunc futurum non erat, niſi quia tunc temporis futurum erat.

Reſpondeo dicendum, quod tempus cum ſit paſſio motus, & id, quo motus durat in

eſſe,

esse, proprie non fit; quia neque proprie motus fit; quocunque tamen modo dicatur fieri, dico extrinsece quidem pro mensura fieri ipsius assignari instans, post quod incipit motus, & cum motu tempus; intrinsece autem tempus non habere distinctam mensuram a se ipso; Quia ipsum mensura est, qua fiunt, & durant omnia successiua, vnde ipsum in tempore a se distincto fieri non debet. Eodem fere modo dico de corruptione, siue desitione ipsius temporis, extrinsece quidem habere pro mensura instans, in quo verum est dicere, nunc non est motus, immediate ante erat motus, & cum motu tempus; intrinsece vero mensuram non habere; quia negationum positiua non est mensura; Præterquam quod adæquate negatio temporis non est, nisi in eo instanti, in quo est negatio motus.

Dices instans sicut est finis alicuius temporis, ita & alicuius principium. Respondeo hoc non esse semper verum actu, sed solum aptitudine, quatenus nullum potest assignari instans, quod non potuerit præcedere tempus, & quod non possit sequi: Cæterum instans, quo creatum est primum mobile a Deo nullum actu præcessit tempus, sicut neque præcessit motus.

QVAESTIO SECVNDA

De alijs speciebus durationis.

Diximus de tempore; quod maxime Physica duratio est, cum inseparabiliter coniunctum sit cum motu, ad vberiorem tamen doctrinam tractandum est de quibusdam alijs durationibus à tempore distinctis, quæ sunt tempus discretum, æuum, æternitas.

Art. 1. Vtrum detur tempus discretum, & quid sit.

Qvod non detur tempus discretum Probatur his rationibus.

Prima. tempus non potest præscindere à motu; sed non datur motus discretus; ergo nec dabitur tempus discretum.

Secunda ratio. si datur tempus discretum hoc habere debet omnes suas partes actu, & discretas; ergo & habebit tot numero partes, & non plures, sicut cætera discreta; sed nullum est tempus discretum, quod habeat tot partes, & non plures: ergo nullum est tempus discretum; assumptum probatur; quia in vna hora non minus possint esse decem actus, quam quatuor, & quatuor quam viginti; non ergo potest hoc tempus discretum habere determinatas partes.

In contrarium pro parte affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima. si intellectus per horam varios actus producat, ita vt vnus sit post alium, omnes illi actus intrinsece durabunt per horam; sed non durabunt per horam duratione continua; ergo discreta, & hæc est tempus discretum: ergo datur tempus discretum.

Secunda ratio. virtus actiua creaturarum comparata ad actus, quos potest producere habet certam mensuram huiusmodi suæ potestatis; nam non potest illos simul omnes producere; sed neque potest illos producere continuos, cum inter se discreti sint; ergo illos tantum poterit producere discretè, atque adeo pro mensura huiusmodi suæ productionis intrinseca habebit tempus discretum.

Pro solutione.

Notandum; quod tunc censemur intelligere tempus, quando concipimus durationem successiuam habentem latitudinem partium, ita vt in ea, vel actu, vel potentia plures sint partes; per hoc enim, quod in duratione sunt, vel assignari possunt plures partes cum aliqua successione, per hoc satis saluari videtur aliqua ratio temporis; quoniam ergo inter plures actus eiusdem rationis, vel qui ab eodem supposito, siue potentia procedunt, potest esse aliqua discreta successio, & tales, vel quia eiusdem rationis sunt, vel quia eiusdem sunt suppositi, aliquo modo concutiunt ad vnum, ideò duratio, quam simul accepti constituunt dici potest tempus discretum; nam talis duratio habet latitudinem partium, habet successionem discretam, quæ per se ordinata est ex prioribus, & posterioribus; nam partes talis durationis non sunt ad inuicem ordinatæ per accidens; quia per accidens non est, quod talia entia puta actus intellectionis Angelo-

tum, vel hominum sibi ad inuicem succedāt vnus post alium; & quod hoc modo sibi succedentes conficiant durationem, & tempus consumāt, siue etiam tempori successiuo continuo coexistant, sed hoc est per se; cum autem per se hoc fit, talis duratio melius appellari non potest, quam tempus discretum, tum propter partes, tum propter discretam successionem. Quare

Dicendum dari tempus discretum, & hoc esse permanentiam in esse plurium partium discretarum ad inuicem ordinatarum durātium præsertim permanenter. patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia talis duratio non est tempus continuum, non est duratio permanens, nam licet singulæ partes duratio permanens dici possent, non potest tamen eo nomine appellari tota duratio, ergo restat quod sit tempus discretum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod tempus nō præscindit à motu, si sermo sit de continuo; sed de tēpore discreto loquendo hoc tēpus loco motus habet plures actus, & operationes sibi ad inuicem succedentes, vel quid proportionale, quod quodammodo se habet ad talem durationem sicut motus ad tempus continuum. quare negatur maior, si intelligatur de tempore discreto, vel vniuersaliter de omni tempore, etiam vt discretum comprehendit.

Ad secundam respondeo, quod quodlibet tempus discretum sumptum in particulari habet suas determinatas partes, & tot, non plures, tempus tamen discretum sumptum in vniuersum, & prout correspondet tempori continuo non habet determinatas partes, quoniam tempus, quod tribus partibus cōstat, poterit coexistere decem horis, & illud, quod constat partibus viginti, poterit coexistere vni horæ, cuius ratio est, quia singulæ partes temporis discreti poterunt plus, & minus durare, plus, & minus coexistere tempori extrinseco; vnde sicut vna pars potest coexistere horæ, & adhuc maiori tempori, ita & potest coexistere semiquadranti, ita vt octo partes soli horæ coexistant; ex quo est, vt in vniuersum hoc tēpus nō sibi determinet certas & determinatas partes, quas tamen determinatas semper habet in particulari, siue plures, siue pauciores, prout res tulerit.

Dices repugnat aliquid discretum, quod pluribus partibus constet, esse minus alio, quod cōstet partibus paucioribus; sed si daretur hoc tēpus discretū, tēpus quod pluribus partibus constaret esset minus alio, quod constaret paucioribus; ergo non datur hoc tempus discretum; Minor probatur; quia tempus discretum, quod constat tribus partibus, & coexistit tribus horis, maius est tēpore discreto constante viginti partibus, & coexistente soli horæ, & tamen tempus constans viginti partibus plures partes habet illo, quod constat solum tribus.

Respondeo dicendum, quod maius & minus in hoc tēpore attendi potest dupliciter; primo attendi potest per coexistentiam ad tempus extrinsecum. Secundo attendi potest penes multitudinem partium, si attendatur penes tempus extrinsecū poterit tempus pauciorū partium esse maius illo, quod habeat plures partes; si attendatur penes multitudinem partium semper quo ad hoc maius erit, quod habet plures partes; sed quia propriè hoc tempus latitudinem suæ durationis habet per ordinem ad tempus extrinsecum; ideò simpliciter illud dicendū est maius, non quod habet plures partes, sed quod plus durat, seu maiori tempori extrinseco coexistit, & aliud solum maius dici poterit discretione, & multitudine partium, non duratione.

Obijcies secundo. non alia debet esse ratio totius, quam sit ratio partium; sed partes huius durationis sunt permanentes; ergo & totum erit permanens; sed duratio permanens non est tempus; ergo duratio dicta non est tempus discretum.

Respondeo dicendum, quod non alia est ratio totius, quam sit ratio partium collectiuè, & simul sumptarum; non vero quam sit ratio partium sumptarum secundum se, & seorsim; partes autem si accipiantur secundum se, & seorsim sunt quid permanens ad modum æui; si vero simul sumantur, vt faciunt vnum, sunt potius quid successiuum, quam permanens, cum necessario plures partes sibi succedentes dicant secundum successionem discretam; quare iuxta distinctionem negatur consequentia.

Art.

Art. 2. Vtrum detur aliqua duratio permanens tota simul, quæ dicatur æuum.

ÆVum dari communiter conceditur ab omnibus scholasticis; sed tamē nō omnes in eo conueniūt, quòd hæc duratio sit p̄manēs, & tota simul. affirmat æui esse durationē permanētē totā simul S. Th. p. p. q. 10. ibid. Caiet. Heuric. quod lib. 5. quæst. 12. Ægid. in tract. de mensura Angelorum Alex: prima parte q. 12. membro 9 art. 2 & 3. Albertus q. 3. de 4 coæquæuis art. 6. eandē sequuntur plures alij scholastici in 2. vt Dur. dist. 2. q. 3. & alij. negat tamen aliquid permanens esse æuum S. Bonau. in 2 dist. 2. p. p. dist. ar. 1. q. 3 cui fauent hæ rationes:

Prima ratio. repugnat durationi creatæ esse totam simul; quia alioquin simul in ea essent præsens, præteritū, & futurū, sicut sūt in æternitate; hoc autē impossibile est; ergo nulla est duratio creata tota simul. Probatur sequela. duratio, quę ē tota simul, nō p̄ aliud est præsens, pręterita, & futura; nisi quia in eodem includit has tres differentias ergo si est tota simul, in ea simul est præsens &c. at duratio, quæ simul habet præteritum, præsens, & futurum est indeficiens; quia non potest deficere per præteritum, cum per idem, per quod habuit præteritum sit præsens, & habeat futurum; neque per præsens, quod iā habet, nec per futurum, quod in ipsa iam est, ergo est indeficiens; vlterius, est immutabilis eadem de causa, cū scilicet omnes differens, per quas mutari posset, simul habeat; vnde cōsequitur, quod talis duratio sit æternitas, quæ solius Dei est propria, non creaturarum; repugnat ergo dari durationem creatā, quæ sit tota simul. Confirmatur, quia duratio, quæ est tota simul, tota etiam semper eodē modo est actu, atq; adeo infinita est.

Secunda ratio. nulla duratio, quæ recipiat magis, & minus potest esse omnino permanens, & tota simul; sed durationes rerū creatarum, quæ dicuntur æua, recipiunt magis, & minus; ergo nō possunt esse permanentes, & totæ simul; maior probatur; quia si recipit magis & minus; non simul in ea est id, per quod est maior, & per quod est minor; nā si in ea simul esset id p̄ quod est maior, & minor: ergo dū minor est, iā in ea esset id, p̄ q̄ est maior, ac p̄inde maior, & minor esset, atq; adeo maior, & nō maior; sed iā p̄batur minor facti syllogismi q̄a maior erit duratio Angeli postquā durauerit crastina die, quā sit hodie; si enim maior nō erit, ergo p̄ id, p̄ quod durat Angelus hodie iā correspōdet crastinæ diei, atq; adeò iā hodie habet Angelus durationem crastinā, & eodē modo omnē aliā, & cōsequēter infinitā; ne ergo hęc sequātur absurda necesse est dicere durationes Angelorū, & cęterarū rerū omniū creatarū suscipere magis & min⁹, & esse successiuas.

In cōtrariū p̄ sētētia affirm. sūt hę rōnes.

Prima ratio; quæ habent esse permanens habent durationē permanentē; sed multa in rerum natura præter Deum habent esse permanēs; ergo & habēt durationē permanētē. Maior probatur; quia duratio nō distinguitur ab esse, ergo si est successio in duratione, necessario debet esse successio in re; contrariū .n. est in intelligibile, &c, vt dixit D. Th. implicat contradictionem esse in aliquo successionē absque varietate, & sine innouatione illius esse; sed iam minor supra facta de se est clara; quia in rerum natura alia sunt entia permanentia, alia successiua, atq; adeò sicut multa habent totū suum esse simul immutatum, ita necesse est habere durationem totā simul; & immutatā, præsertim si hæc ab esse realiter nō distinguitur, quod est necessariū; quia quæcumq; res per hoc, quod habet suū esse reale extra suam causam immutatum, necessario permanenter durat fine addito.

Secūda ratio, quæ habent esse permanēs, habēt, & permanētē actionē cōseruatiuā sui esse; ergo & habebūt permanētē durationē. Antecedens probatur, quia ad conseruandū idē nulla est ratio, cur mutari debeat actio: immo nec mutari potest, quia mutata actione realiter mutari debet terminus, & è contrario manēte eodē termino manere debet eadē actio conseruatiua. Cōsequentia probatur, quia ipsamet permanentia in esse, & permanentia actionis conseruatiuæ est aliqua duratio, quæ cū eadē sit immutata, & sine successione, & permanens debet esse duratio.

Pro solutione.

Notādū, q̄ si reb⁹ permanētibus demus durationē successiuā, adhuc illis debebit dari duratio permanēs. nā cōsiderādū est, q̄ si id quod duratione successiua permanens est, & semper idem: semper consequenter idem in eodē esse manet, ac p̄inde durat sine vlla mu-

ratione, & sic permanenter durat; nam qui fieri potest, vt aliquid idem prorsus sit, quod heri, & nudius tertius, & non idem duret? & si idem durat, non eadem duratione duret, si ipsi met permanentia in esse inuariato est duratio permanens? vnde non videtur intelligibile, quomodo perseueret idemmet esse, & non perseueret eadem met duratione in esse; si enim mutata est duratio; ergo non idem prorsus manet esse, quod erat; nam si idem est esse inuariatum, manet, ac proinde eadem est duratio, ex quo capite est illa Argumentatio apud Regium Vatem de æternitate Dei. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient; ex eo enim non deficiunt anni, quod ille, qui durat, idem ipse est; vnde per oppositum, vbi deficiunt anni, non idem ipse est, cui deficiunt; supponit ergo successio in duratione successionem in esse, cuius est duratio, & cum quo identificatur; qua de causa, & tempus successiuum est, cū sit passio rei successiuæ; quia enim motus successiuus est, & tempus est successiuum; conficitur ergo ex his durationem successiuam non esse nisi rei successiuæ, & rei permanentis necessario permanentem esse durationē. Sed rursus considerandum est, quod duratio permanens creata ita eadem permanet, vt virtute quasi successiua sit; nam ita permanet, vt absolute deficere possit, ex quo est, vt in quacumque differentia temporis ita sit eadem, vt quodamodo sit diuersa, quoniam ita eadem est, vt potuerit non esse, & per hoc, quod potuit non esse non ita quasi censetur; nam aduertere oportet, quod esse defectibile non est defectibile pro omni signo, & mensura; pro eo enim signo, quo intelligatur in esse in sensu composito, non est defectibile; quia quod est, dum est, non potest nō esse, sed necessario est; debet ergo esse defectibile pro alio signo, quod intelligitur nōdum habere, sed proximè habiturum; vbi autem intelligiuntur hoc pacto varia signa, & mensuræ durationis, vel duratio successiua est, vel certè si est permanens, ita inadæquatè coexistit toti durationi successiuæ correspondenti sibi, vt ex vi præcisæ quod est, omnibus eius partibus non correspondeat; sed à conseruante extrinseco quasi habeat, quod omnibus correspondeat, in quo videtur quasi quædam successio conseruationis; quia æquiualet successioni, & æquiualet quidem non ex eo, quod successionem in se exhauriat, sed ex eo, quod deficiens, aliunde habet, quam à se, quod totam successionem adæquet; illud igitur, quod habet esse permanens, sed finitum, & limitatum, ita permanenter durat, vt solum præsenti tempori adæquate coexistat; secuturo autem tempori non coexistat; sed coexistat postea, quatenus idem esse conseruatur, quod poterat desinere conseruari, in quo est quædam successio virtualis conseruationis, & durationis; propriè tamen, & formaliter non est successio; sed est æquiualenter, & virtualiter. Sed iam considerandum tertio est, quod si totum hoc esse permanens sit in ordine ad causas naturales indefectibile dicitur æuum, ea vero, quæ tali duratione in esse perseuerāt æuiterna appellantur; si vero esse permanens in ordine ad causas naturales defectibile sit, ac proinde ea, quæ permanenter durant sint corruptibilia; huiusmodi duratio propriè æuū non est, sed vel dicenda est ad modum æui cum Henrico, & Conimbricēsibus, vel instās permanens cum Durando, vel certe duratio permanens rerum corruptibilium; atque ab æuo videtur distingui specie; nam esse ab intrinseco defectibile per vires naturæ, & non esse defectibile maiorem videtur inferre distinctionem, quam accidentalem; licet enim in eo, quod permanenter durant, videatur esse eadem ratio vtriusque durationis, diuersa tamen essentialiter vna est ex eo, quod ab intrinseco est duratio naturaliter defectibilis, altera indefectibilis, quæ differentiæ cum in esse arguant essentiale discrimen, idem arguent in duratione; quoniam non minus locum habet in durationibus, quam habeant in esse, transeat, quod in formalitate nostri conceptus, vt exprimit rationem permanentiæ in esse vniformis essentiale discrimen non sit; quia hoc est ex eo, quod res quidditatiue non exprimimus; sed semper cum aliqua imperfectione: Cum tamen ex natura rei diuersum conceptum postulet duratio vniformis naturaliter indefectibilis a duratione naturaliter defectibili, sed iam ex dictis.

Dicendum dari durationem permanentem totam simul, quæ dicatur æuum, & dari durationem ad modum æui, siue instans permanens, patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia duratio, etiamsi non identificetur cum re, cuius est duratio, sed distinguatur ab ea modaliter, proportionabitur cum rebus, quarum est modus;

dus; sicut ergo rei successiuæ modus durandi est successiuus, ita rei permanentis modus durandi oppositus erit, & permanens; sed multæ dantur res permanentes in creatis, vt est extra controuersiam apud omnes: ergo etiam dabuntur durationes permanentes; at duratio permanens, quæ naturaliter est indefectibilis dicitur æuum, quæ est defectibilis instans permanens: dantur ergo durationes permanentes totæ simul, quod erat probandum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod repugnat dari durationem totam simul creaturæ, quæ exhauriat omne tempus; non autem, quæ à toto tempore deficiat, eique toti inadæquate coexistat; quia in hac non sequitur, quod inferebatur; neque enim simul est præsens, præteritum, & futurum, quoniã cum hæ differentiæ in ea solum possint esse per ordinem ad extrinsecum tempus, tempori autem inadæquate coexistat, quatenus coexisti præsenti, sed nõ necessario coexistit, futuro, sed in futurum poterit desinere esse; ideo simul in ea non est præsens, & futurũ, quia si in ea simul essent quatenus coexistit præsenti necessario etiam coexistere futuro, quòd non est; vnde vlterius talis duratio est defectibilis, finita, & non æternitas, quæ infinita est. Ad confirmationem ergo Respondeo Dicendum, quod duratio, quæ est tota simul, & tamen est defectibilis, & quodammodo successiua per ordinem ad suum non esse, non semper eodem modo est actu; quia pro hoc instãti, quo ponitur nunc esse indefectibilis, non talis est pro tempore sequenti; quoniam pro hoc instanti censetur facere compositum sensum, non pro tempore sequenti; vnde non eodem modo semper est actu, nec in ea iam actu est futurum, sed solum in potentia, pro quo consequenter deficere poterit, vnde finita est: negatur ergo consequentia.

Ad secundam Respondeo dicẽdum, quod ea, quæ recipiunt magis, & minus intrinsece per variationem partium, vt sic, non possunt esse tota simul, & omnino permanentia; illa vero, quæ recipiunt magis, & minus per ordinem ad extrinseca æquiualenter, ac virtualiter, possunt esse tota simul, & permanentia; nam subiectum totum simul, & permanens est, & tamen recipit magis, & minus per ordinem ad calefactionem, & calorem per illam factum; & iuxta hæc intellecta minore, & maiore negatur consequentia. Ad probationem patet maius, & minus, quod desumitur in ordine ad extrinsecum non aegnere quod ex intrinsecis aliquid sit, & aliquid non sit; sed quod intrinseca non simul correspondent vni, atque alteri, per quæ dicuntur habere magis, & minus; vnde quando dicitur maior erit duratio Angelica crastina die, quam hodie distinguo propositionem maiorem, erit per plures partes sui, per quas constituatur, falsa est propositio maior; erit per coexistentiam eiusdem esse cum maiori tempore, vera est propositio; nam crastina die maiori tempori coexistet; sicut & in ordine ad suam causam, per quam est, & conseruatur Angelus, cum possit desinere esse, dicetur magis durare, quasi idem esse repetitũ habeat ac proinde maius quid habet; quare dupliciter magis dicuntur durare permanentia, & per ordinẽ ad tẽpus extrinsecũ, cui coexistunt, & per ordinem ad causam conseruatiuam, à qua conseruantur in esse; nam cum sit tale esse, cui non repugnat saltem absolutè successio ex esse ad non esse, sicut ex non esse transiuit ad esse; ideo pro quacumque noua differentia temporis, in qua habent permanentia creata a sua causa vt sint, etiam si eadem sint, maius quid recipere, & plus durare censentur.

Obijcies Patres volunt proprium esse æternitatis, quod tota simul sit sinè successione præteriti, & futuri; ergo cæteræ durationes ab æternitate admittunt successionem præteriti, & futuri, ac proinde non sunt totæ simul.

Respondeo dicendum, quod Patres proprium volunt esse æternitatis, quod tota simul sit sine successione præteriti, & futuri dupliciter.

Primo quia circa ipsam mutantur tempora, vt quæ æternitati adæquate, & secundum omnes suás partes non coexistunt, cum omne tempus ex actu essendi, & potentia cónstet, ac proinde æternitas simul habet præteritum, & futurum vt excedens, quod non est in durationibus permanentibus creatis; deficiunt enim, & toti tempori inadæquatè coexistunt.

Secundo quia æternitas ex ipsa indefectibilitate sui excludit præteritum, & futurũ, & fuisse, & futurum esse, etiam quoad dura

screta successio ex nō esse ad eē, & ex esse ad nō esse, Probatur q̄a datur ens à se; sed enti à se repugnat dicta duratio cum explicata successione; ergo datur duratio, cui repugnat discreta successio ex nō esse ad esse, & ex esse ad non esse; maior patet, impossibile enim esset dari entia ab alio, nisi deueniretur ad vnum supremum ens à se; minor probatur; quia quod habet esse à se impossibile est, quod transeat ad esse ex non esse, per aliud enim transiret, & quod ex esse transeat ad non esse; sibi enim deficeret, nec sibi esset ratio essendi, quæ repugnant cum ente à se. pro solutione.

Notandum, quod vnicuiq; enti debet proportionari ipsius duratio; vnde enti successiuo debet dari duratio successiua; enti permanenti debet dari duratio permanens, sicut dictum est; porro inter entia permanentia aliqua sunt, quæ principiū habēt, & possunt habere finē; aliud est, quod nec principiū, nec finē habet, nec habere pōt, per quod habuerunt principiū, quæ non habebunt finē; si ergo vnicuiq; enti sua debat proportionari duratio, necesse est in rerū natura esse durationes permanētes, quæ cū principiū habuerint & finē habere possint; & necesse est esse durationem permanentē, quæ cū principiū nō habuerit, finē neq; habere poterit, hmōi aūt est æternitas; attamē æternitas dupliciter vsurpari solet, primū pro duratiōe lōgissima; quasi extra terminū sit, quo ēt pacto nō dissimiliter difficillima appellam⁹ impossibilia, & illa, quæ sunt maximæ magnitudinis immēsa & infinita; secūdo vsurpatur istud nomē pro duratione oīno terminis carēte, quæ vē propria notio æternitatis, cū si quidē æternitas sit quasi extra terminū; cū ergo detur ens, cuius esse nō hēt terminū, necesse ē, & eidē assignare latitudinē essendi, & durationē terminis carentē, quæ est æternitas; sed iā considerandū est, qđ licet ex diuersitate rerū, ad quas æuū & æternitas cōsequūtur, satis intelligi possit discrimē, qđ est inter æuū & æternitatē; tamē auctores in eo assignado & explicado variāt; nā aliqui putarūt ab æuo, & cæteris durationib. distingui æternitatē, qđ ipsa solū sit pmanēs, cæteræ oēs successionē admittāt; sed hoc falsū ostēsū ē supra. alii æternitatē ab æuo distingui dicūt, quod propriū sit æternitatis carere principio, & fine, qđ nō hēt æuū, qđ tamē nō admittitur ab oībus, cū aliqui existimarēt non implicasse à Deo aliquid pduci in æternitate, qđ pinde nō haberet principiū, & posset in æternū cōseruari, atq; adeò careret fine: sed hæc nō bene dicūtur: nā cōsiderādū est, q̄ vere æuū, & quæcūq; duratio rei creatæ habere dēt principiū durādi; si .n. esset sine principio, ex eo qđ esset sine principio, necessario æterno tpe ab intrinseco fuisset indefectibilis, & simul fuisset defectibilis; quia fuisset duratio rei defectibilis in se finita, q̄ implicāt; ab intrinsecò aūt fuisset indefectibilis; quia si defectibilis ab intrinseco fuisset ex suppositione, q̄ fuisset ab æterno intellecta solū variatione in cā extrinseca, q̄ illā fecisset in æternitate, potuisset deficere, q̄ tñ intrinsece repugnat cū æternitate; necesse ergo est, q̄ in tali suppositione res sit ab intrinseco indefectibilis, qđ implicat cū ipsa natura rei creatæ; nā ita ꝓpriū est rei creatæ, qđ sit capax ab intrinseco successionis discretæ, quo possit trāsire à nō esse ad esse, & ab esse ad nō esse, vt implicet cōtradictionē esse creaturā sine hac capacitate; facta aūt suppositione, q̄ creatura esset ab æterno, nō solū extrinsece, sed ēt intrinsecè huius successionis capax nō esset: q̄a posita in esse ab æterno pcisè ex vi ꝓductionis p æternitatē, mutata quācūq; suppositione extrinseca, adhuc nō pōt trāsire ab eē ad nō esse, vnde intrinsecè cōtra naturā creaturæ nō haberet hāc capacitatē, & simul haberet, quia eēt creatura; nec cōtra īstari pōt q̄ creatura sine controuersia pōt esse æterna à parte post; nā diuersa valdè est rō de duratione æterna à parte ante, & à parte post, duratio æterna à parte post nō repugnat cū defectibilitate creaturæ; quū pro quacūq. mēsura tēporis, siue realis, siue imaginarii, quo durauerit creatura, erit à Deo corruptibilis, & actu solū ia durauerit tpe finito, vnde nūquā hēt suppositio q̄ æternū tēpus in esse cōsūpserit, ꝓ quo fuerit incorruptibilis; sed sēper corruptibilis erit, & actu durauerit tēpore finito, neq; vnquā infinitū tēpus exhauriet, neq; vnquā erit tēpus assignabile, in quo creatura nō sit corruptibilis p solā mutatione decreti causæ extrinsecæ illā cōseruātis; cū tamē si ponatur ab æterno, ex eo præcisè, q̄ ab æterno est posita in esse quacūq; facta mutatione in decreto causæ extrinsecæ, debeat esse æterno tpe indefectibilis; ac proinde ab intrinseco indefectibilis sit, & nō solū ex suppositione extrinseca; quod repugnat cum natura creaturæ, itaq; æterna esse non pōt creatura à parte ante, nisi ex vi præcise ipsi⁹ ꝓductiōis æterno tpe dēret, q̄ sī repugnat cū productiōe creaturæ; si quidē eē hnitū nō admittit ꝓductiōē finitā, sed ꝓductiōi

creatæ præcisè spectatæ non plus temporis correspondere debet, quam instans, vel modica aliqua particula temporis, vnde ex vi productionis non potest creatura æterno tempore durare, sed si æterno tempore durare debeat, hoc habeat necesse est ex vi conseruationis, qua in esse conseruatur; ex vi autem conseruationis posita productione finita non potest creatura habere actu æternitatem, quia æternitas non est, vbi datur principium, & potest esse finis; ex quibus fit vt duratio, quæ principio, & fine careat sit æternitas, quæ vt sic ab æuo, & alia quacunque duratione creata distinguitur; vnde nō est censendum ineptum discrimen illud, quod inter æternitatem, & æuum desumitur ex hoc capite, cum, & proprium, & formale sit, desumptum ex ipsismet principijs formalibus æternitatis; adhuc tamen facilius æternitas distingui potest ab æuo, quod æternitas sit duratio per se, & ab intrinseco necessaria omnino immutabilis tam per internam capacitatem, quam per omnem extrinsecam potentiā, quod à posteriori expressit D.Th. p. p. q. 10. a. 5. dicens Æternitas est talis duratio, quæ nullam successionē admittit, neq; inesse neque in proprijs, & internis actibus, seu operationibus rei æternæ, omnis autem alia duratio talis est, vt vel in se ipsa successionem habeat, vel saltem illam habeat adiūctam in aliquibus operationibus, vel motibus eiusdem suppositi, quæ autem duratio ab intrinseco est necessaria, & omni ex parte immutabilis est, proculdubio successionem siue in esse, siue in operationibus non admittit, & quæ in dictis successionem aliquo modo admittit non est ab intrinseco simpliciter necessaria, & omni ex parte immutabilis. itaque æuum, cum necessario principium habeat, & ab intrinseco defectibile sit, nec sit per se, & omnino necessarium, & consequenter successionem in operationibus intrinsecis sui suppositi admittat, ab æternitate distinguetur, quæ terminis prorsus caret, & ab intrinseco omnino necessaria est, & duratio à se, & simpliciter immutabilis, quare.

Dicendum præter æuum dari aliam durationē permanentem, quæ dicatur æternitas, ab æuo distinctā. patet ex dictis, & rationibus primæ sententiæ. Confirmatur, quia sicut præter ens creatum datur ens increatum, quod à se sit; ita præter durationes creatas dari debet duratio increata, omne autem æuum est duratio creata, æternitas est duratio increata; vnde præter æuum necesse est dari æternitatem, & hanc ab æuo esse distinctam, quod vlterius sic probari potest; nulla duratio creata adæquatè participare potest durationem increatam, sicut nullum ens creatum adæquatè participare potest ens increatum; sed æuum est duratio creata; ergo solum inadæquatè participabit durationem increatam, ac proinde ab ea distinguetur. Ad rationes in contrarium partis negatiuæ.

Ad primam Resp. dicendum, quod ex parte æternitatis neq; est præteritum, neque futurum, cum quantum est de se æternitas comprehendat omne tempus; sed quoniam tempus successiuum est, & non adæquat æternitatem, ideò illi solum inadæquatè coexistit per fluxum perpetuum circa ipsam, qualis esset circuli circa centrum, vel magis circuli contenti incontinente, & ambiente ipsum: licet intelligi non possit ambiens nisi quantum, & diuisibile, sicut circulus; æternitas autem quanta non sit nisi eminenter; vnde est, vt in tempore sit præteritum, præsens, & futurum, non in æternitate; itaque istæ omnes differentiæ temporis sunt præsentes æternitati; non sunt tamen sibi inuicem præsentes, nec pro eodem signo correspondent æternitati; atq; adeò dum est præsens, non est præteritum, neq; futurum, eadem tamen est æternitas præsens, quæ erat dum fuit præteritum, & quando erit futurum; quare concessa prima cōsequentia negatur secunda, & quæ ex ea assumuntur.

Ad secundam Resp. dicendum, quod verè æternitas excludit omnem successionem inesse, & in operationibus sui suppositi, intellige si sint intrinsecæ; nam si extrinsecæ sint successio ipsarum non repugnat cum æternitate suppositi, & operationum intrinsecarum; quoniam æternitas adhuc omnia habere poterit, quæ sunt de intrinseca ratione æternitatis; imò ens infinitum, sicut non potest se adæquatè communicare vlli enti creato; quia ei communicare deberet suam perfectissimam actualitatem, ac proinde faceret alterum se, quæ repugnant cum potentialitate creaturæ; ita nec vlli enti creato communicare potest adæquatè suam durationem, atq; adeò illis eam communicat inadæquatè: vnde fit, vt in nullo effectu ad extra

extra primum ens exprimat æternitatem; ex quo relinquitur locus successioni discretæ; quia posito, quod omnis effectus habeat finitam durationem, vnus alteri poterit succedere; vel poni in esse, postquam iam prius fuerit alius, ac proinde operatio ad extra entis æterni non erit æterna; non ergo repugnat cum æternitate primi entis successio in operationibus ipsius, quæ sunt ad extra, idest extra ipsum.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod iuxta nostrum modum concipiendi, repugnat intelligere aliquam durationem æternam sine successione extrinseca temporis, ad quod illam conferamus; non tamen repugnat intelligere sine omni successione intrinseca.

Obijcies æternitatem male dictam esse durationem. Omnis duratio alteri comparata est maior, minor, aut æqualis; æternitas nõ est huiusmodi; ergo. Probatur minor. Omnis duratio maior habet ante, vel post; neq; enim potest intelligi maior, secluso post, vel ante plus durare: ergo.

Respondet Caiet. prima parte q. 10 art. 2. & bene dupliciter. primo negando minorem; quia etiamsi formaliter æternitas non sit maior, est tamen virtualiter, & eminenter, secundo negando maiorem; quia comparatio debet fieri inter ea, quæ sunt eiusdẽ rationis, qualis non est æternitas cum cæteris durationibus, quod quamquam non male dicatur, tamen quia aliquo pacto in duratione conueniunt, melior est prima responsio; nam æternitas excedit omnem aliam durationem non excessu eiusdem, sed diuersæ rationis, ac proinde eminentiali. Quia omnis creata duratio respondet æternitati semper per finitam coexistentiam, quam proinde excedit æternitas infinite; vnde & à parte ante non potest intelligi poni inesse duratio creata, nisi per finitam mensuram, quam præcederet æternitas; & à parte post nunquam erit creata duratio, nisi finita, quam excedat æternitas, vt proinde sẽper sit possibile illam deficere, & ex esse transire ad non esse, non vero hanc; sed hanc semper esse sit necesse, & manere post quodcumque esse, & non esse.

Ar. 4. Vtrum æternitas sit interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.

Pro parte affirmat iua est auctoritas Boetij, qui illam definitionem tradidit, & Theologorum consequentium, qui eam complexi sunt.

Pro parte negatiua est, quod æternitas formaliter est duratio; sed in præallegata definitione non est expressa duratio, ergo æternitas non bene definita est interminabilis vitæ &c. Pro solutione.

Notandum, quod æternitas, quæ absolutè talis dicitur, cum sit duratio independens, necessaria, & ab intrinseco penitus inuariabilis, necessario talis entis esse debet, cuius esse sit viuere non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo: si enim esse ipsi vita non esset, aliquo pacto distinctæ ab eo essent operationes, in quibus vita consistit; atq; adeò in ijs aliquam pati posset varietatem, & consequenter admitteret aliquam intrinsecam successionem, & variationem, quæ pugnat cum æternitate; præterquam quod, si hæc duratio debet esse à se, necesse est, quod sit entis à se; ens à se non est, quod infinitum non sit, & actus purus, actui autem puro idem est esse, & ab intrinseco operari, ac proinde idem est esse, ac viuere; vnde duratio ipsius necessario est permanentia vitæ, ex quo factum est, vt in definitione æternitatis pro subiecto posita sit vita; quæ dicitur interminabilis; quoniam æternitas absolutè non est, quæ terminis circumscribitur, vel circumscribi potest; vnde nec vitæ terminabilis permanentia inesse potest esse æternitas; subiectum ergo æternitatis necessario est vita interminabilis; additæ sunt particulę, tota simul, idest permanens, & perfecta possessio, vt excluderetur omnis prorsus successio tam inesse, quam in operationibus & vlterius vt significaretur hanc durationẽ, quæ dicitur æternitas cõcludere in se omne bonum, omnemque perfectionem in actu perfectissimo, nec posse esse, nisi entis, quod omnem perfectionem per modum vitæ includat, cui proinde cũ simplicissimo aggregato omnium bonorum esse sit idem semper perdurare immutabile, iuxta illud psalmi.

Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiunt, quare cum in prᴂallegata definitione expressũ sit propriũ subiectũ, cuius secundũ nostrũ modũ intelligẽdi æternitas est attributũ, & significata sint ea, quę sũt de quidditate æternitatis, infinita scilicet latitudo durandi, sine vllo prorsus termino ante, & post, præterea independentia ipsius, necessitas, & inuariabilitas, ac proinde permanentia omnimoda omnium intrinsecarum operationum, & ipsius esse per modum luminæ actualitatis, ideo.

Dicendũ bene definiri æternitatẽ, quod sit interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio, patet ex dictis. Confirmatur, quia infinita latitudo essendi, & durãdi ab intrinseco necessaria, & inuariabilis, quã dicit æternitas, melius exprimi nõ potuit, quã per verbum possessio tota simul, & perfecta; sũma etiam actualitas summi esse intellectiui tum iisdem particulis bene explicata est, tũ vero additione illarum, interminabilis vitę; carentia etiam finis, & principii benè declarata est; quare merito, vt bona definitio, illa iam recepta est communi consensu.

Ad rationem in contrarium Resp. Dicendum, quod formalitas æternitatis melius expressa est verbo illo possessio, vt est cum reliquis, quam expressa fuisset per dictionem duratio, quoniã per verbum possessio significatũ est, quod æternitas est duratio, quam à se possidet, qui per eam durat; vnde non tãtum significata est duratio inesse, quantum significatũ est perfectissimi entis intellectiui perfectissimum quoddam genus semper in suo esse durandi inuariabiliter, & cũ summa actualitate, & independentia.

Art. 5. Vtrum æternitas in sua ratione formali includat aliquod ens rationis.

Prima sententia affirmatiua, quæ vult ęternitatem in sua ratione formali includere aliquod ens rationis multiplex est; nam aliqui volunt æternitatem in suo formali includere relationem rationis mensuræ actiuæ, qua secundum nostrum modum intelligendi mensuratur diuinum esse, quod tamẽ à diuina æternitate distinctum non est; ita tenet Ferrariensis 1. contra Gent. ca. 15. & alii in prima parte S. Thom. q. 10. quibus fauet ipse S. Doctor, qui dicta quæstione 10. art. 2. ad 3. appellat æternitatem mensuram diuini esse. Alii volunt in formali æternitatis includi relationem rationis mensuræ passiuæ siue mensurabilitatis, quia æternitas est id, quo diuinum esse vt mensuratum ab infinito tempore siue reali, siue imaginario à nobis intelligitur. Alii tertio potius in æternitate includi putant ens rationis; quia in ea includatur negatio mensurabilitatis, quæ est ens rationis dependens à nostro intellectu, vel negatio principii, & finis. Secunda sententia negatiua, quę ab æternitate excludit omne ens rationis est Suarez in Metaph. disp. 50. de rerum duratione. Ruuius 4. Phys. tract. poster. de æternitate, & æuo, & aliorum. Pro quibus sunt hæ rationes. Prima. ęternitas est diuinum attributum; sed diuina attributa non constituuntur vllo ente rationis: Ergo æternitas formaliter non includit ens rationis. Maior patet. Minor probatur. Quia diuina attributa sunt realia, ante omnem considerationem nostri intellectus, atq; adeo ante omne ens rationis cõstituta sunt; quia entia rationis fabricantur ab intellectu.

Secunda ratio. Si æternitas includit ens rationis, maxime relationem mensuræ; sed hoc esse non potest; ergo æternitas non includit ens rationis. Probatur minor, nam hæc relatio rationis mensuræ vel est mensuræ actiuæ, vel passiuæ; non actiuæ; quia æternitas vel erit mensura, qua cognoscuntur durationes creatæ, & hoc non; quia duratio infinita non potest esse proportionata mensura durationum finitarum; vel erit mẽsura actiua, qua cognoscatur ipsa duratio increata, & hoc non; quia duratio increata, & æternitas non distinguuntur; vnde si æternitas esset mensura durationis increatæ, mensuraret se ipsam, quod repugnat, cum mensura solum sit ad alterum.

Dices, quod licet duratio increata, & æternitas idem sint adhuc tamẽ vt vna sit mensura alterius sufficit sola distinctio rationis. Sed contra est; quia hæc ad minimum debet esse rationis ratiocinatæ, quo modo diuina attributa, vt iustitia & misericordia distinguuntur inter se, quo pacto distingui nõ potest æternitas à diuina duratione, cum formaliter æternitas sit diuina duratio; vnde nullo modo æternitas diuina potest habere

rationem mensuræ actiuæ, cum neq; mensurare possit diuinam durationem, neq. creatas, licet respectu durationum creatarum habere possit rationem mensuræ secundum perfectionem, Quatenus durationes creatæ, quo magis accedunt ad increatam, perfectiores sunt. Sed neq; æternitas potest habere rationem mensuræ passiuę, primo quidē; quia nulla finita duratione mēsurabilis est; secundo quia nec mensurabilis est duratione infinita; nam si infinita duratione mensurabilis est, vel est mensurabilis à Deo, vel a nobis; Non à Deo; Quia ipsi nulla notior est duratio sua ęternitate; Non à nobis; quia nulla nobis est mensura, qua ipsum metiamur. Dices ęternitatem nobis esse mensurabilem infinita successione temporis siue realis, siue imaginabilis. Sed contra est; quia infinita successio temporis non datur, neq; nobis nota est; secundo hoc valde est extrinsecum æternitati, quod à nobis tempore mēsuretur.

In contrarium pro parte affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima. æternitas est duratio sine principio & fine, sed non habere principium & finem dicit apud nos negationem, & negatio est ens rationis formaliter concepta; Ergo æternitas in suo formali includit ens rationis.

Secunda ratio. sicut tempore mensurantur res creatę, ita Deus & ens increatum æternitate; sed in ratione mensuræ includitur ens rationis; Ergo ęternitas in suo formali includit ens rationis.

Tertia ratio. Vniformis permanentia in esse diuini esse sine vlla prorsus mutatione est æternitas; sed hæc prius à nobis concipitur in diuino esse, tum adhibetur tanquam mensura ad examinanda ea, quę secundū nostrum modum concipiendi accidunt diuino esse; ergo apud nos non est conceptus æternitatis sine aliquo ente rationis. Pro solutione.

Notandum, quod aliud est loqui de æternitate secundum formalitatem rei, aliud de illa loqui secundum formalitatem conceptus nostri; nam hoc secundum non potest præscindere à nostro modo concipiendi; primum autem præsupponitur nostro modo concipiendi, atque ab eo penitus absoluit. Si ergo spectetur ęternitas secundum formalitatem rei, certum esse debet, quod in eius formalitate non potest includi vllum ens rationis; Non solum quia entia rationis non sunt in re, sed in nostro intellectu; æternitas vero Dei est extra nostrum intellectum; verum etiam quia entia perfectissima, qualia sunt diuina attributa, non possunt secundumse pendere à nostris entibus rationis: tota ergo controuersia reducitur ad formalitatem conceptus, vt sensus quæstionis sit. Verum diuina æternitas comparata ad nostrum intellectum ab eo intelligibilis sit sine vllo ente rationis, & an necessario ens rationis includat. Pro quo considerandum est, quod nos æternitatem concipimus vel per ordinem ad tempus infinitum, quod confuse imaginamur, vt cui æternitas coexistat, in quo æternitas dicit respectum rationis, quasi mensuræ passiuæ, siue mensurati ad suam mensuram; Vel concipimus æternitatem, vt existentiam vniformem carentem principio, & fine, in quo includimus, & finis, & principii negationes, quæ communiter à nobis concipiuntur per modum entis rationis, cum tamen in re non sint entia rationis; nam negationes, quas dicit latitudo essendi infinita diuini esse, & principii, & finis ipsi conueniunt ex natura rei, & præciso quocunque ente rationis, licet à nobis vt plurimum per modum entis rationis concipiantur; vel magis latitudo essendi infinita sine principio, & fine in se nullam negationem dicit, sed actum positiuum infinitum, non sine negationibus tamen apud nostrum conceptum, quas negationes nos concipere solemus per modum entis rationis. Vel concipitur tertio æternitas, vt id, quo intelligimus quantum permaneant in esse actus Dei ad intra, & omnes intrinsecæ Dei perfectiones, & in ista conceptione vere æternitas includit aliquam relationem mensuræ actiuæ; nam considerare oportet, quod licet in re hæc distincta non sint, diuini actus, & duratio, siue æternitas ipsorum; tamen semel formato à nobis conceptu æternitatis per durationem totam simul principio, & fine carentem non solum actu, sed etiam potentia, & aptitudine, eam deinde adhibemus vt mensuram actiuam ad cognoscendam durationem diuinorum. Nam ideo dicimus generationem verbi diuini nō potuisse habere prin-

principium, neq; finem, neq; fuisse ex non existentibus; Decreta Dei eadem semper esse, & alia huiusmodi, in quibus vere æternitas in conceptu nostro habet aliquam rationem mensuræ & notificantis, non sine aliqua relatione rationis; cum ergo his modis fere à nobis intelligatur æternitas, in quibus includitur ens rationis.

Dicendum, quod æternitas si consideretur vt in se est, nullum includit ens rationis; si autem consideretur vt à nobis concipi potest aliquod ens rationis includit. Patet vtraq; pars conclusionis ex dictis, & Confirmatur prima pars; Quia si aliqua rei formalitas, vt in se est includeret ens rationis, hoc verè esset à parte rei, ac proinde esset ens reale, & non rationis; vnde æternitas Dei, si vt in se est, diceret aliquod ens rationis, hoc vere esset ens reale, atq; adeo ens ratio nis non esset. Confirmatur secunda pars; Quia tunc in aliquo est ens rationis, quando relatiue ad aliud concipitur, cum tamen in se penitus absolutum sit, & ab eo omnino absoluat in cuius comparatione concipitur; vel etiam quando in eo concipiuntur negationes per modum positiui, sed hoc accidit nobis in conceptione æternitatis; Ergo æternitas secundum formalitatem conceptus, siue vt stat nobis obiectiue in mente includit aliquod ens rationis, siue hoc sit relatio mensuræ passiuæ, siue actiuæ, siue expressio negationum, quæ necessario in eius conceptu intelliguntur. Nam licet æternitas in se sit aliquid positiuum, nec necessario concipiatur per negatiuum, tamen à nobis intelligibilis non est nisi per negationem principii, & finis, nos enim infinitam latitudinē essendi, & durandi æternitatis vniformem, quæ positiua est, percipere non possumus vt purum positiuum; Quia positiuum, cui cōueniunt negationes principii & finis secundum se, à nobis intelligibile non est, cum excedat capacitatem nostri intellectus, & nostrum modum concipiendi, ac proinde necessario concipitur per negationes principii, & finis, per quas etiam intelligere solemus omne aliud infinitum. Et dictæ negationes nō solum sunt principii, & finis actu, sed etiam aptitudine: secus enim conceptus æternitatis non satis distingueretur à conceptu æui Angelici, saltē in opinione, quod potuisset Angel... esse ab æterno. Et ex dictis patet ad rationes vtriusq; sententiæ.

Art. 6. Vtrum detur aliqua duratio, quæ dicenda sit æternitas participata, & talis duratio ab omni alia distincta sit.

PRo sententia affirmatiua est S. Tho. 1. p. q. 10. ar 5. ad primum, & in 3. contra Gēt. c. 16. & in 4. dist. 49. q. 1. a. 2. q. 3. qui vult æternitatem participatam esse durationem totam simul, & permanentem, incorruptibilem operationis sua natura perpetuæ, nullamq; successionem, aut varietatem admittentis, qualis est clara visio Dei, eiusq; dilectio, atq; fruitio in patria, in quibus consistit creaturarum rationalium supernaturalis beatitudo, quam durationem cum S. Thoma ab æuo distinctam ponit Cai loco cit. primæ partis, & alij, contra quos tamen sentit Scotus in 4 dist. 49 q. 6 qui vult æuum non minus esse mensuram Angelorum, & corporum cœlestium, quam beatitudinis creatæ, quæ etiam permanens quid est, & totum simul, sicut esse Angelicum, & rerum incorruptibilium, & ab intrinseco est necessaria duratio, & indefectibilis, non quidem absolute, sed de lege, & potentia ordinaria Dei. Pro Scoto sunt hæ rationes.

Prima. ea, quæ conueniunt æuo conueniūt æternitati participatæ, & quæ conueniunt æternitati participatæ conueniunt æuo; Ergo præter æuum frustra ponitur æternitas participata, vt quid ab æuo distinctum: Probatur Antecedens. æuo conuenit esse durationem totam simul inuariabilem, atq; indefectibilem à parte post cum principio à parte ante dependentem à Deo, cuius solius potentia deficere potest; sed hæc omnia conueniunt æternitati participatæ; nam etiam ipsa est duratio permanens, & tota simul inuariabilis, & indefectibilis à parte post à Deo dependens &c. Ergo quæ conueniunt æuo conueniunt æternitati participatæ, atq; adeo vnum & idem sunt formaliter.

Secunda ratio. Ea, quæ habent vniformem modum manendi in esse eandem habent durandi mensuram; sed esse Angelicum, & illius

tius operatio beatifica habent vniformem modum manēdi in esse, cum ambo in esse sine mutatione permanenter durent; Ergo eandem habent durandi mensuram.

Tertia ratio. Aeternum vt distinguitur contra æuiternum non solum est totum simul, sed est indefectibile carens potentia ad non esse; sed nullum creatum est huiusmodi; Ergo.

In contrarium pro sententia affirmatiua est, Quod naturale, & supernaturale non possunt specie conuenire; sed æuum est duratio naturalis, æternitas participata est duratio supernaturalis: Ergo specie conuenire non possunt. pro solutione.

Notandum, quod æternitas participata aliquando significat omnem durationem permanentem totam simul, quæ perpetuitatem postulat à parte post, quomodo eam aliquando accepit Augustinus lib. 83. qu. 19. dum eam attribuit animæ rationali, in qua acceptione certum est æternitatem participatam confundi cum æuo; aliquando æternitas participata accipitur pressius pro dicta duratione supernaturalium illarum operationum, visionis scilicet Dei, diuinæ fruitionis, & dilectionis in patria, quæ videtur propria ipsius acceptio, in qua sumptione proprie procedit quæstio, distinguatur ne ab æuo; ita vt tanquam noua duratio poni debeat supra æuum, ab eoq; ex natura rei distincta. Et quoniā in multis æuum, & huiusmodi participata æternitas conueniunt, videndum nobis est, an in ipsis accipi aliquod possit essentiale discrimen; per quod ad inuicem distingui debeant. Et sane primum certum est in ratione permanentiæ, simultatis, indefectibilitatis, & dependentiæ à prima causa non esse inter illa discrimen; ex alia parte certum est inter illa discrimen esse in his duobus, primum quod æuum, vt modo sumimus, est duratio substantiæ, æternitas participata est duratio accidentis; æuum est duratio naturalis, æternitas participata supernaturalis; Modo igitur considerandum est vtrum hæc comparata ad durationem habeant se tantum materialiter, an vero pertineant ad eius rationē formalem; Et sane primum quod sit substantiæ, vel accidentis videtur solum materialiter afficere durationem, cum mere materialiter se teneat ex parte subiecti: Nā etiam in alijs formis accidentalibus subiectum non distinguit essentialiter formas, quando illę in ratione formali conueniūt; Eadem enim est albedo in lacte & in niue, Et eadem est formaliter quantitas in corpore corruptibili, & incorruptibili, licet illa substantia plurimum inter se dissideant. Itaq; de primo vix videtur posse esse dubium. Videndum igitur est de secundo, vtrū ratio ipsa naturalis, & supernaturalis pertineat ad essentiale constitutiuum, & distinctiuum durationum, per idem enim species inter se formaliter distinguuntur, per quod & formaliter constituuntur, & sane cum duratio sequi videatur Ens positum inesse, vt propria ipsius passio, ad ens supernaturale non videtur sequi posse passio eiusdem rationis cum ea, quę sequitur ad ens naturale, præsertim si sermo sit de ratione vltima, & specifica; vnde magis inter se formaliter conuenire videntur duæ durationes visionis beatificæ, quam conueniant cum durationibus esse Angelorum; hęc autem maior conuenientia cū non pertineat ad hæcceitatē pertinebit ad gradum quasi specificum; tamen vere si res exactiori trutina examinetur naturalitas, & supernaturalitas non videtur directe ingredi rationem, siue formalitatem durationis. Itaque aliter considerari potest visio beatifica, quatenus scilicet dicit ipsummet esse diuinum, & eius ęternitatem inesse intentionali; quo pacto per visionem vidēs fit quodammodo visum, & hoc modo cum ęternitas participata sit æternitas increata, infinita, plusquam specie differet ab æuo, & iuxta hæc.

Dicendum darī quandam durationem, quę dicitur ęternitas participata, eamq; acceptam in sua propria significatione ab omni alia duratione etiam ab ęuo distingui, primum quidem connotatiue per naturale & supernaturale; secundo verò absolute, quatenus æternitas participata intentionaliter dicit æternitatem increatam. patet ex dictis, & Confirmatur primum, quia semper connotatiue magis differt ens naturale à supernaturali, quam ab alio naturali, & è contra. Confirmatur secundum Quia vt dixit Philosophus anima per intellectum fit omnia, & vt dixit dilectus Domini Apostolus Ioannes tunc similes ei erimus, quando videbimus eum sicuti est; Ergo per visionem beatificam quodammodo in vidente *3. de anima tex. 36. et 37. Epis. 1. cap. 3.*

per

per participationem sit æternitas increata, quæ cum nulla alia in eadem specie includi potest.

QVAESTIO III.

Quorum entium sit tempus mensura.

QVamquam assignatis durationis mensuris non possunt fere non intelligi entia, quæ per illas durant, tamen vberioris doctrinæ, & maioris gratia facilitatis videndum speciatim est, quibus sit tempus existendi mensura.

Art. 1. Vtrum tempus sit mensura motus.

SEntentia affirmatiua est communis, quam tradit Aristoteles 4. ph 95 & à tex. 110. per multos textus, contra quam tamen faciunt difficultatem hę rationes.

Prima. mensura debet esse notior mensurato; sed tempus non est notius motu; Ergo tempus non potest esse mensura motus. Maior patet. Minor probatur. Illud nobis notius est, quod magis est sensibile: sed magis sensibilis est motus, vt qui cadit sub sensus; Ergo tempus est ignotius motu; vnde non poterit esse mensura illius.

Secunda ratio. Si tempus est motuum mensura, vel hoc est tempus motus cœli, vel cæterorum motuum; neutrum dici potest; Ergo tempus non est motuum mensura. Quod non sit tempus motus cæli probatur; quia tempus, quod est mensura debet esse vnum, tempus motus cæli est multiplex, sicut multiplices sunt cælorum motus. Quod non sit tempus cęterorum motuum probatur; quia cęteri motus sunt irregulares, non sunt perpetui, imo nec bene nobis noti sunt, præsertim quoad durationem. Præterea si tempora omnium motuum haberent rationem mensuræ, cuius rei mensura essent? non motuum & temporum illorum; quia nihil potest esse mensura, & mensuratum; non motuum cælestium; quia procederemus ab ignoto ad notum, cum tamen in mensuram assumatur, quod notum est, ad cognoscendum ignotum.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima. illud nobis mensura est, quo cognoscimus aliud; patet in artificiatis, & mechanicis, sed tempore cognoscimus motus; Ergo tempus est motuum mensura. Probatur minor; quia cum volumus scire, quantus fuerit motus, id quærimus per tempus, inuestigantes quanto tempore durauerit; vnde dicimus maiorem fuisse motum diei motu horæ & velociorem esse motum, qui breuiori tépore spatium conficit, quam qui illud conficit tempore longiori.

Secunda ratio. Mensura est homogeneorum, sed tempus cum motibus est homogeneum, cum sit de genere quantorum, & successiuorum, sicut & motus; Ergo erit illorum mensura. Pro solutione.

Notandum, quod necesse est, si humanæ actiones debent regulariter fieri, dari tempus aliquod, quod habeat rationem mensuræ; nam si tale tempus non esset, talisq; mensura, non possent ea, quæ pertinent ad humanam vitam ordine, & regulariter procedere; Nam cum humana vita tum quiete, tũ operatione indigeat, multæq; sint humanę vitæ vices, tum ad publicum & cõmune bonum spectantes, tum ad priuatum commodum, & vtilitatem; nisi esset aliqua mensura maxime nota, & vniuersalis, qua hæ definirentur, omnia inconsulto, & quasi temerarie procederent: Hæc autem vniuersalis mẽsura debet esse tempus; sed cum multiplex sit tempus, illud solum potest hoc munus mensuræ explere, quod has habeat conditiones; quod scilicet sit maxime vniuersale, & commune in mundo; Nam particulares motus, etiamsi forte assumi possent in mensuram; vt motus horologiorum; tamen hi non possunt esse mensura communis nisi huic, vel illi particulari populo. Præterea quod sit maxime regulare, & stabile: si n. varium sit, & mutabile, certa mensura non erit; nam mensura certa, & definita esse debet; vnde & ad indiuisibile reducitur; vlterius illud maxime cõtinuum, & perpetuum esse oportet, vt omnes humanæ actiones illo possint mensurari & tandem opus est illud nobis esse notissimum; quia per mensuram notificamus mensuratum, nec mensuram adhibere consueui-

mus, vbi ea, quæ mensurari oportet, iam sunt nota, frustraque esset ille vsus mensuræ. Considerandum igitur est, quod has conditiones non habet nisi motus diurnus cæli, & illius duratio; hic siquidem communis, & vniuersalis est toti orbi, cum orbem vniuersum comprehendat, quamquam non vbique semper est nox et dies: Hic est maxime regularis, & stabilis, cum perpetuo duret vniformis sine vlla interruptione, & alteratione celeritatis, vel tarditatis; & tandem hic nobis notissimus est ratione solis, & astrorum, quæ per hunc motum perpetuo cientur; & cum perpetuus sit, singulisq; diebus præsto sit, necesse est ipsum nobis esse familiarissimum, vt sunt ea, quę nobis perpetuo obuia sunt. Quare tẽpus cæli de se maxime aptum est, vt a nobis assumatur in mensuram cæterorũ motuum, præsertim cum, vt diuersa genera mensurarum haberemus, sicut sunt diuersi cæli, & diuersi ipsorum motus, diuersa etiã ab auctore naturæ instituta sint tempora, sed maxime hæc tria, dies, mensis, & annus, quibus breues, & longas operationes, atque adeo ipsam vitam humanam metimur: diurnum tempus conficit suo motu primum mobile, menstruum conficit suo proprio cursu luna, annuum nobis suo speciali motu, quo ab occidente in orientem gyrat, exhibet sol. Et quoniam mensura, quo breuior est, notior esse solet; inde est, vt prima mensura sit tempus diurnum, quod deinde per artem in plures partes diuisum est, quas horas, quadrantes, & minuta appellamus; hisque omnes actiones nostras, atque adeo cæteros naturales motus, ipsorumque durationes, metiri consueuimus; metimur autem motus non quasi per has temporum mensuras motuum quidditatem cognoscamus, sed cognoscimus durationem, tarditatem, & celeritatem; durationem cognoscimus, quatenus videmus illos coexistere tanto cælorum motui, ipsiusque durationi diurnæ scilicet, vel nocturnæ; siue vnius, vel plurium horarum &c. tarditatem, & celeritatem cognoscimus per eandem coexistentiam ad motum cæli adiuncta tamen quantitate spatij, si sit motus localis, vel perfecta forma producta, vel tali alio effecto, si sit alius motus. Itaque vt cognoscatur tarditas, siue velocitas, tempus cæli vt mensura sumi debet, & cognosci debet spatium transactum per motum, vel forma producta; Vnde si in horæ spatio producitur plus formæ, vel plus spatij conficitur, ille motus velocior est, si minus, est tardior.

Quare.

Dicendum tempus esse mensuram motuum quoad durationem, tarditatem, & velocitatem; non autem quoad essentialem perfectionem, vel alia huiusmodi.

Prima pars patet ex dictis, & Confirmatur communi experientia, qua certissimum est humanas omnes actiones, siue ciuiles, & politicas, siue domesticas, & priuatas, siue liberas, siue necessarias, & naturales, à nobis quoad durationem, & consequentia ad durationem cognosci per tempus.

Secunda pars etiam patet; Quia impertinens est tempus saltem per se ad cognoscendam essentialem perfectionem huius, & illius motus, quæ solum cognosci à nobis solet per formam, & terminum motus, vel alio tali modo. Verum quidem est, quod argui aliquando solet per tempus, vt si diutius resistat contrario, vel citius illud vincat, & producat, effectum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod si comparetur tempus cum illo motu præcise, cuius est duratio, tempus non est nobis notius motu, cum vel æque vtrumque nobis notum sit, vel notior sit motus, in quo cognoscitur duratio; nam durationem cognoscimus in ipso motu: Si autem comparetur tempus vniuersale, siue duratio motus cæli cum motibus particularibus, siue cum durationibus illorum nobis notius est tempus propter multas rationes dictas, & maxime, quia longo vsu, & assuetudine, quotidianaque familiaritate nobis tempus vulgare est, & notissimum. Quare iuxta hæc concessa maiore negatur minor, & ad probatione eius concedenda sunt illa, quæ ibi assumũtur, cum sunt cætera paria; namq; magis

sub sensus nostros cadunt, & in cæteris paria sunt, etiam sunt nobis magis nota; sed si hat comparatio cum alijs, quæ etiam sub sensus nostros cadunt, & occurrunt sæpius, & vniformiter etiam hæc erunt nobis notiora, quibus talis motus cæli, & ipsius duratio dici debet notior durationibus motuum particularium, atque adeo ipsarum mensura.

Ad secundam rationem patet ex dictis.

Art. 2. Vtrum tempus mensuret omnes motus tam successione continuos, quam discretos.

DVbium est de motibus spiritualibus, & de illis, quæ durant per morulas, siue instantia, cum quadam tamen discreta successione prioris, & posterioris, quibus respondere procuIdubio potest tempus.

Prima sententia affirmatiua, quod etiam dicti motus tēpore mēsurari possint est Suarez in metaphy. disput. 50. sect. 2.

Secunda vero sententia, quæ negat de motibus spiritualibus, videtur communis, vt ipsemet ait Suarez, in schola S. Tho. quam ipse S. Doctor tradidit prima parte quæst. 10. art. 5. & quæst. 58. art. 3. quibus locis eam sequuntur Cai. & alij.

Pro prima sententia sunt hæ rationes: Prima. etiam motus spirituales, & successiones discretæ plus vel minus temporis durant; Ergo illas tempore metiri possumus.

Secunda ratio. nobis notius est tempus, quam nota sit dictorum intrinseca duratio; ergo illa à nobis per coexistentiam ad tempus cognosci potest.

Tertia ratio. vna debet esse mensura omnium durationum; sed hæc nobis est tempus; Ergo tempus mensurat nobis omnes motus, & successiuos continue, & discretos.

In contrarium pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima mensura, & mensuratum debent esse homogenea; sed motus spirituales, & successiones discretæ non sunt homogeneæ tempori; Ergo tempus non potest esse illarum mensura.

Secunda ratio. si tempus esset dictorum mensura in tanto tempore solum possent esse certi, & determinati motus spirituales, & discretæ successiones; sed hoc non est verum; nam in hora multi possunt esse motus spirituales, & pauci; & potest esse successio discreta constans decem partibus, & etiam constans duabus, vel tribus; Ergo.

Pro solutione:

Notandū, quod dupliciter procedere pōt quæstio; primo quidem si sermo sit de mēsura ex natura rei, videlicet quod tēpus quasi de se respectu cuiuscunque siue Angeli, siue hominis sit mensura dictorum motuum; secundo si sermo sit de mensura respectu nostri; & primo quidem sensu certum est tempus non esse mensuram motuum spiritualium, & discretarum successionum, quæ solent esse in rebus spiritualibus se consequentibus, cum tamen singulæ permanenter durent; & ratio est in promptu; Quia angelis non minus noti sunt huiusmodi motus, atque tempus; imò Angelis sui motus spirituales notiores sunt ipso tempore; nihil autem mensura est respectu æque noti, siue etiam notioris; Vnde Angeli quando volunt cognoscere durationem suorum motuum, necesse non habent recurrere ad tempus, sed in ipsis motibus cognoscunt durationem, & ad summum talem durationem cognoscunt simul cum ea cognoscendo tempus, non vt illud, quod hos motus notificat, sed vt illud, quod simul cognoscitur. Sed si iam sermo sit respectu nostri, tunc dato, quod tales motus aliquo pacto nobis innotescant, à nobis per tempus quo ad durationem cognosci poterunt; Quoniam nobis tempus notius est; vnde per coexistentiam ad tempus iudicare poterimus de ipsorum duratione assumentes tempus tanquam mensuram. Si autem quæratur si-qua illorum constituenda sit mensura, vtrum hac futura sit tempus, ex dictis recolendum est, quod mensura debet esse homogenea, & notior, vt homogenea sit mensura motuum spiritualium, necesse est, &

est, & hanc esse spiritualē, vt sit notior debet esse vniuersalior, & perfectior; Quia quæ perfectiora sunt, & vniuersaliora de se sunt notiora, nisi aliunde hoc impediatur; vnde si constituenda esset propria mensura motuum spiritualium, & durationum illorum, hæc esse deberet, vt dixit S. Thomas aliquis motus spiritualis in summo, & supremo spiritualium, nempe in supremo angelo: Nec obest, quod motus Angelici, cum dependeant ab ipsorum libertate, non sint perpetui, vniformes, & regulares, quæ tamen videntur requirere mensura; nam in casu, quod aliquis motus spiritualis esset cæterorum mensura, ea omnia habere deberet; Et sicut motus cælorum, qui secundum communiorem sententiam sunt ab intelligentijs, quæ mouent libere, regulariter fiunt stabiliter, & vniformiter; ita in suppositione dictæ mensuræ, motus, qui rationem mensuræ haberet, fieret libere quidem, sed tamen stabiliter, vniformiter, & regulariter. Itaque si sermo fit de mensura, quæ propria sit rerum spiritualium successiuatum ex natura rei, dubium esse non potest, quod hæc esse debeat in motu spirituali, & in re quidem maxime mobili, & cæterarum prima, vt possit esse mensura vniuersalis: si autem sermo fit de mensura non ex natura rei, & quæ Rebus spiritualibus inseruiat, sed inseruiat nobis, tempus poterit hæc esse mensura, dummodo res spirituales aliquē effectum materialem adiunctum habeant, vt per illum videre possimus coexistentiam motuum spiritualium ad tempus, & ex tempore deuenire in cognitionem durationis motuum spiritualium, & eodem modo ex tempore cognoscemus durationem successionis discretæ, in qua tempus non mensurabit discretionem, seu numerum instantium, sed durationem; Quia in vna hora possunt esse decem instantia discreta, & possunt esse tantum tria, vnde ex tempore non potest certo cognosci numerus talium instantium; Quamquam probabile est cognoscendum, si eodem semper conatu Angelus operetur; nam credibile est Angelum in vna hora non posse producere nisi tot operationes, si tali conatu, & tali modo operetur; quidquid tamen sit de hoc, tempus potius durationem mensurabit successionis discretæ, quam numerum; Quia numerus mensurari debet numero, vel vnitate.

Quare.

Dicendum tempus nobis posse esse mensuram motuum spiritualium, & successionum discretarum, quoad durationem, dummodo per aliquid sensibile a nobis sentiantur. Patet ex dictis, & Confirmatur; Quia vere per tempus sciremus intrinsecam ipsorum durationem, vt æquiualet tempori, quam aliter scire non possumus; sed mensura est illud, per quod nobis notum, venimus in cognitionem ignoti, ipsam illi applicando per quandam extrinsecam adaptationem, & adæquationem.

Ergo.

Dicendum secundo mensuram motuum spiritualium quoad durationem ex natura rei non posse esse tempus materiale, sed debere esse tempus spirituale, siue durationem motus alicuius spiritualis, quæ conspiciatur in supremo ente ex spiritualibus motuum capacibus. Patet etiam ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia Angelis potest esse aliquis motus notior saltem in comparatione ad motus non ipsius Angeli, sed cæterorum, quam sint alij motus; Ergo hic poterit ipsis esse mensura ad cognoscendam durationem cæterorum: Antecedens patet; neque enim si non ita perfecti sint, vel non ita regulares & perpetui, ac sit alius, qui magis vniuersalis sit in subiecto illustriori, æque ac ille noti erunt; Ergo si hoc magis noto vti velit Angelus tanquam extrinseca mensura ad cognoscendam durationem motuum minus notorum, vti poterit; sed illa est mensura ex natura rei, quæ cum sit homogenea notior est, vniuersalis, & perpetua; Ergo in motibus spiritualibus mensura ex natura rei non erit tempus materiale; sed tempus spirituale modo dicto.

Ad rationes vtriusque sententiæ patet ex dictis.

Oppones Vnusquisque angelus immediate videt suos motus, ipsique illi notiores sunt, quam ille, qui ponetur cæterorum mensura contra naturam mensuræ, quæ debet esse

bet esse notior; Ergo. Respondeo dicendum, quod etiamsi Angelo sui motus notiores sint motibus alienis; tamen inter alienos vnus illi notior esse potest alijs, qui habebit rationem mensura, sicut dictum est.

Art. 3. Vtrum tempus sit mensura quietis, & durationum permanentium Physicarum.

PRo parte affirmatiua, quod tempus sit mensura quietis est Aristoteles 4. Physicorum. Tex. 118. dicens. Quoniam autem tempus mensuratio motus est, erit & quietis motuum. Quod sit & permanentium corruptibilium significat texu praecedente: Quae sententia probatur his rationibus. Prima. negatiuum cognosci non potest nisi per positiuum; sed quies est quid negatiuum; ergo ipsius duratio perse cognosci non poterit; sed cognosci debebit per positiuum: hoc autem est duratio motus siue tempus; Ergo tempus est quietis mensura.

Secunda ratio. Quies & existentia etiam rerum permanentium plus vel minus durat; ergo admittunt quandam latitudinem, & quantitatem; sed omnis quātitas mensurari debet simili quantitate; quantitas autem durationis est tempus; ergo tempore mensurari debet quies, & existentia rerum permanentium; erit igitur tempus illorum mensura.

In contrarium pro parte negatiua est; Quod tempus non est ipsis homogeneum.

Secundo. res permanentes, & quietes durarent, si nullum esse tempus, vt si cęli quiescerent, non ergo habent pro mensura tempus.

Pro solutione.

Notandum, quod tempus aliquorū est mēsura per se, aliquorum vero est mensura per accidens, per se ex dictis mensura est successiuorum proprij generis; per accidēs vero mensura est quietis, & permanentium physicarum durationum. Nam Considerandum est, quod quies, si accipiatur pro priuatione motus, tanta, & tanta est per ordinem ad motum, & tantum durat per ordinem ad durationem motus, cuius est priuatio; duratio autem motus per se, vt dictum est, mensuratur à tempore, tempusque propria est ipsius mensura; vnde consequenter, & tempus mensura erit durationis quietis, seu mensura erit non esse temporis, ipsiusque durationis; Quandoquidem priuatiuum cognosci debet per positiuum; Verum si per quietem intelligamus permanentiam rerum in proprio, & natiuo statu, haec quidem proprie cognosci non poterit per tempus, vt per suum positiuum, cum nihil proprie negatiuē sit; tamen à nobis per tempus vt per mensuram cognoscetur, non quidem vt per propriam mensuram, sed vt per mensuram communem; Quandoquidem tempus vt nobis notius, & proprie quantum in ratione durationis, notificat nobis caetera omnia, siue quae durant diuisibiliter, siue quae durant indiuisibiliter, virtute tamen & aequiualenter diuisibiliter; mensura enim illud est; quod notius nobis cum sit, per adaequationem notificat nobis aliud; tale autem nobis est tempus, quo caetera omnia physica non solum successiua, sed permanentia, cognoscuntur à nobis tantum durasse; vnde est, vt in omnibus rebus imaginemur durationem quandam successiuam, per quam coexistant tempori, quae licet in re nō sit, non male tamen ea imaginatione cognoscitur, quod in re est, duratio scilicet in esse permanens virtualiter successiua, quae cum virtute successiua sit, quatenus successioni maiori, & minori potest coexistere, & non coexistere; si exprimatur successiua, id formaliter concipietur, quod solum est virtualiter, cum quadam tamen nostrae imaginationis satisfactione, quae capere commode non potest, quomodo eaedem omnino durationes permanentes entitatiue immutatae plus, & minus durent. Ex his est, vt stando in physicis, respectu nostri tempus sit quasi ex natura rei mensura omnium durationum, non solum diuisibilium, & successiuarum, sed etiam permanentium; & indiuisibilium; successiuarum quidem per se primario; permanentium secundario, quatenus aequiualent successiuis; tum etiam per accidens, quate-

quatenus, quæ permanenter durant, aliquius successionis motuum capacia sunt, cuius capacia non sunt nisi quatenus latitudinem quandam habent durandi, saltem virtualem, quam arguunt ipsorum motus; hac autem latitudo durandi à nobis melius cognosci non potest, quam per tempus, quo etiam cognoscitur quies, quæ est motus priuatio; Quia sicut in ratione tantæ entitatis negatiuæ cognoscitur oppositio motu; ita in ratione tantæ durationis negatiuæ cognoscitur tempore; erit ergo tempus tam rerum permanentium Physicarum, quam quietum nobis mensura: Vnde.

Dicendum proprie, & per se primo tempus non esse mensuram quietis, & durationum permanentium; secundario tamen esse, maxime nobis. patet ex dictis, & Confirmatur

Secunda pars; Quia huiusmodi res permanentes, sicut & quietes continentur tempore; vnde incipiunt cum tempore, & cum tempore desinunt, a quo etiam exedi, & corrumpi solent iuxta illud. Tempus edax rerum, tuque inuidiosa vetustas, ergo & a tempore mensurabuntur, eritq; tempus ipsarum mensura.

Ad rationes vtriusque sententiæ quatenus sunt in contrarium.

Ad primā primæ patet ex dictis; solum enim probat tempus quietis esse mensuram secundario.

Ad secundam respondeo dicendum illud plus, & minus non esse aliquid de nouo intrinsecum, sed solum dicere aliquid de nouo extrinsecum, & quoad terminationem; ex quo est, vt nobis tempus possit esse talium rerum mensura, sed quæ prius conueniat motibus, & successiuis; his vero non nisi in ordine ad nos, & secundario.

Ad rationes partis negatiuæ in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod si tempus ipsis homogeneum esset, non esset mensura ipsorum secundario, sed primario, & per se: Nunc autem cum non sit illis homogeneum, mensura quidem nobis est, sed quasi per accidens, & secundario.

Ad secundam respondeo dicendum, quod si nullum esse tempus nobis non constaret de durationibus permanentibus, & quietibus; præsertim quoad latitudinem durandi; sed solum sciremus res permanentes, & quietes durare dum è rerum natura non tolluntur; non sciremus autem tantum, vel tantum durare, etiam quoad æquiualentiam, nisi tempus verum, vel imaginarium pro mensura adhiberemus. Quare aliud est, quod res permanentes & quietes durarent sine tempore; aliud quod à nobis cognoscerentur tantum, vel tantum durare sine tempore; primum est verum; secundum est falsum; vnde est, vt nobis tempus etiam respectu rerum permanentium sit mensura: ex natura tamen rei non est mensura nisi secundario, & etiam per accidens ratione motuum, qui coniuncti esse possunt cum rebus permanenter durantibus.

Art. 4. Vtrum tempus sit mensura æuiternorum, & æui.

Pro parte affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. tempus est mensura rerum permanentium; Ergo & æuiternorum, & æui. Patet Antecedens ex dictis: Consequentia probatur; Quia æuum est duratio permanens, & æuiterna per æuum permanenter durant: Si ergo tempus est mensura durationum permanentium, erit necessario, & æui, atque æuiternorum.

Secunda ratio. æuiterna plus durarunt hodie, quam durauerint hesterno die; sed maior duratio in illis cognosci non potest nisi per tempus, vt manifestum est; ergo tempus erit ipsorum mensura quoad durationem, atque adeo mensurabit ipsorum æua.

In contrarium est sententia communis negatiua, cui fauet Aristoteles 4 phys. T. 117. dicens Quare manifestum est; Quia quæ sūt semper, secundum quod semper sunt, non sunt in tempore; non enim continentur sub tempore &c. Pro eadem sententia sunt hæ rationes. Aeuiterna non subijciuntur tempori; Ergo non cognoscunt tempus pro mensura; Antecedens certum est, cum æuiterna sint supra tempus; Consequentia patet; Quia illa tantum habent tempus pro men-

mensura, quæ sunt in tempore, vt ab illo contenta; mensura enim habet quandam rationem continentis.

Secunda ratio. Si æuiterna mensurarentur tempore, tempusque esset mensura durationis ipsorum, in æuiternis assignari deberent ætates, & anni, sicut in rebus materialibus, quæ tempore continentur; sed in æuiternis vna semper est ætas; Ergo æuiterna non mensurantur tempore, nec tempus est ipsorum mensura.

Pro solutione.

Notandum, quod tempus si assignari debet mensura æuiternorũ, necesse est, quod hanc rationem habeat, vel ex natura rei, vel certe respectu alicuius intellectus, cui inseruiat pro mensura; Ex natura rei tempus hoc habere non potest; Quia æuiterna tempori non subijciuntur, vt quæ durant duratione perfectiori; imperfectius autem qualis est tempus non potest esse ex natura rei mensura perfectioris; sed neq; tempus mẽsura esse potest æuiternorum respectu alicuius intellectus; Cum siquidem intellectus Angelicus, & multo magis diuinus non egeant tempore, vt cognoscant huiusmodi durationes, & obiectiue notiora sint tum ipsi Deo, tum Angelis æua, & durationes æuiternorum, quam sit notum tempus. Restabit intellectus humanus, cui tempus inseruire possit pro mensura, sed frustra quærimus cognoscere passionem, dum ignoramus subiectum; æuiterna autem, vt quę sensata non sunt, saltem per se, homini nõ sunt cognita, vt homo assumere possit tẽpus pro mensura ad cognoscenda ipsorum æua; tamen si quomodo æuiterna sub humanam cognitionem cadant, tunc non repugnabit tẽpus esse mensuram ipsorum respectu hominis; Quia homini vere notius est tempus, & per tempus quomodo cognoscet ipsorum latitudinem durandi, absoluta tamen.

Dicendum tempus non esse mensuram æuiternorum, & æui. Patet ex dictis, & Cõfirmatur; Quia ens materiale non potest esse mensura spiritualis, valde enim imperfectius est, & minus cognoscibile; sed ens spirituale potius materialis mensura est; sed æua, & æuiterna spiritualia sunt, tempus est materiale; Ergo tẽpus non potest esse ipsorum mensura.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod est diuersa ratio de rebus permanentibus materialibus, & de æuiternis; res permanẽtes materiales saltem generabiles, & corruptibiles tempore mẽsurari possunt; Quia tempore continentur, cum quo incipiunt, & desinunt, & habent motus temporaneos sensibiles, nec non patiuntque mutationem saltem in proprijs dispositionibus necessario requisitis ad conseruationem substantiæ, per quam censentur mutare ætates, & tempore, & tandem interire; nullum autem horum habent æuiterna. Præterea res materiales à nobis cognoscuntur, non æuiterna; vnde dispar ratio est de rebus permanentibus, materialibus, & de æuiternis.

Ad secundam respondeo dicẽdum, quod etiamsi æuiterna virtualiter durent successiuæ, quatenus coexistunt successiuæ durationi rerum, tamen quia, quatenus sic durant, ipsa suas durationes non cognoscunt per tempus, & nos neque per tẽpus illas cognoscere possumus, quibus nec ipsa æuiterna cognita sunt, idcirco tempus non potest esse ipsorum mensura, verũ quidem est, quod si æuiterna aliquo modo nobis essent nota, possemus vti aliquo pacto sicut dictum est, tempore pro mensura; vnde cognoscere possemus plus durasse hodie æuiterna, quam durauerint anno superiore, sed tamen quia nobis cognita nõ sũt, idcirco concesso quod hodie plus durauerint, quam externo die per coexistentiam ad maius tempus; negatur minor; nam talis maior duratio ab ipsis, cognoscitur sine tempore, saltem vt mensura, solumque per tẽpus cognosci potest, vt per terminum, cum quo ipsa cognoscitur; à nobis autẽ proprie non cognoscitur; Quia physicè procedẽdo, ne ipsa quidem durare æuiterna cognoscere possumus, nisi ad summum per motum cæli, vel alium talem effectum.

MEDIOLANI,

Apud Carolum Lantonum. M. DC. XXIX.

Superiorum Permissu.

Ad instantiam Io. Baptistæ Cerrij.

Errata Tractatus Primi.

P. significat principium columnæ. M. medium. F. finem. 1. primam. 2. secundam columnam.

Passione in subiecti, rationem subiecti. pag. 3.m.1.
Gratiabile, generabile. pag.4. m. 1.
Genna, Genua.pag.4.f.1.
sic ratio, fit ratio. pag.6.p.2.
Quid est, quod est. pag. 6. m. 2.
considerata, consideratæ. pag. 7.m.1.
est illa,& illa. pag. 13.p. 1.
Imperfectus, Imperfectius. pag. 22. m. 2.
Vos primo, Nos primo. pag. 26.f. 2.
explicat est, explicata est. pag. 38.f.2.
materiaribus. materialibus. pag. 39. p. 2.
habent statum,habentes statum.pag. 45.m.1.
ærem, aerem.pag.46.m.1.
ad cognosci ,id cognosci.pag.52.m.1.
causat formata, causat formam. pag. 56.m.2.
& in existentia, & de existentia. pag. 58. m.1.
extitatiuum,entitatiuum. pa. 62.p.2.
qua esset,quam esset.pag.62. m.2.
distincta,distinctæ. pag. 65.f.2.
materia sub,materiā sub. pag. 65. f.2.
relinquit, relinquent. pag.66.p.1.
vt est,& est. pag. 67.p.1.
extra sunt,entia sunt. pag.67.f.1.
si sit idem cum, si sit idem erit idem cum pag. 70. f.2.
cum alij, cum alijs. pag.71.f.2.
Qui ea esse,quæ in ea esse.pag.72.m.1.
separetur, separaretur. pag. 73. p.1.
Non possit, non posset.pag.73.p.1.
Quare, est qualis est. pag.75.f.1.
Quando ereari,quando quidem creari. pag.79.p.2
siuitatem, siccitatem.pag.81.f.2.
tam, tantum.pag.82.p.2.
præcur, præter. pag.84.f.
habeat,habet.pag.87.m.2.
non vllis, non nullis. pag. 88.m.2.
quidam qui,quosdam qui pag.91.p.1.
Ad primum, ad primam.pag.92.p.2.
a sepæ,|& sæpe.pag.92.m.2.
ille libuit, illi libuit. pag.93.f.1.
quod cum, quod vim. pag.95.m.1.
adhuc, adhunc.pag.97.m.1.
S.Thomas, S. Thomæ. pag. 99.m.1.
2.physicas,2.physicorum ibid.
Ad confirmatur, quod confirmatur. pag. 103. f.1.
illa videtur,vlla videtur.pag.112.m.2.
Non esse, non esset. pag.113.p.1.
sub forma æris, sub forma aeris.pag. 113. m.1.
diuersas conceptus, diuersos conceptus. pag.113.p.2.
vt consequenter, & consequenter. pag.113.f.2.
ica, ita pag.114.f.2.
pygagoræi, pithagoræi. pag. 115.p.2.
leuius, leuis. pag. 117.p.1.
Hæc vale:, nec valeat. pag. 117. m.1.
Maium,Malum. pag.119.p.1.
enquantis, entis. pag. 121. vbi male ponitur. 129.
Gratia,genera.pag.122.p.1.
dicat,dicatur.pag.122.f.1.
prioris, priorem. pag. 126.m.2.
Non, neque. pag.127.f.2.
non notet, con notet. pag. 128. m.2.
ab ente,ex parte entis. pag. 135.m.1.
dore dari. pag. 137.m.2.
de qua dicto est,vt de aqua dictū est, pag.140.m.1.
secun.1.sestio 1.pag.142.m.1.
Inducantur, Inducūtur.pag.150. p.1.

habere,

haaere, habere. pag.150.m.2.
physicæ,physicè. pag.151.f.2.
pro ne munt, proueniunt. pag. 152. m. 1.
formas substantialis, formæ substantiales. pag. 154.f.2.
contraductionem, contradictionem. pag. 155. f.1.
locum, totum.pag.157.p.1.
Aristotile Aristotele.pag. 157. m. 1.
causaret, e ausare. pag.157.f.2.
distinguuntur,distinguntur pag.158. p.1.
Aristotile, Aristotele. pag. 166. p.1.
secundo, secunda.ibi.
tertio, tertia. ibi.

Errata Tractatus Secundi.

ARistotelis, Aristoteles. pag. 2. m. 2.
phylosophi, philosophi. pag.3.p.1.
Aristotiles, Aristoteles. pag.3.p.2.
go, ergo. pag.3.f.2.
Vniuersali, vniuersalis. pag.4.p.1.
Aristotiles, Aristoteles. pag. 5.f.2.
Affirmatiuam, affirmatiua.ibi.
Accidendū, accedendum. pag.9.m.1.
partialem, particularem. ibi.
predicando, prædicando. pag.9.f.1.
dinitione, definitione. pag. 9.p.2.
consenso, consensu. ibi. f.2.
Instincta, Instictu. pag. 10. p. 2.
principiu, principium. pag. 11.p.2.
supernalem,supernaturalem. pag.15. f. 2.
Impulsam, Impulsum.pag.16.p.1.
Affirmatiua sententia, affirmatiuam sententiam. pag. 19. m.1.
Definitiua,definita,pag.20.m.2.
butimum, bitumem. pag.29.p.1.
prissis, priscis.pag.30.p.1.
sestam, sextam.ibi. m 1.
Actij, Alij. pag. 32. p. 1.
Aristotelis, Aristoteles. pag. 32. f. 2.
per motu,per motum. pag 33.f.2.
Quid est,quod est. pag. 37.m.1.
à dependentem, a se dependentem. pag. 42.p.1.
Aristotiles Aristoteles. pag. 42.p.1.
ab pro, ab eo. pag.44.p.1.
a quia, a qua. pag.44. p.2.
At, &c. pag.46.f.1.
immedicus,immediatius.pag.47.f.1.
Aristotilem, Aristotelē. pag. 47.m.2.
non causat non causet. pag.51.p.2.
nenlura rei, natura rei. pag. 53. m.1.
materiæ, materia. pag 53.p.2.
concurrat,concurret, pag 54.f.2.
dependeà, dependet a. pag.54.f.2.
amari, amare. pag.56. f.1.
quo, quod. pag. 56.f.2.
fi.fit.pag.63.p.2.
sanc. sonc. pag. 65.p.2.
foram, formam. pag.65.f.2.
vim esficientiam, veram efficiētiam. pag. 66. p. 1.
Quia, qua. pag.68.p.1.
possint, possit.pag.72.p.2.
& vase,& vas. pag. 72.m.2.
intentionē,intensionem. pag.74.m.2.
athens, atheus. pag.75.f.1.
illud, illum. pag. 77.f.2.
pastes, partes. pag. 82.p.2.
fidenter quo, fidēterque.pag.87.m.2.
ipse, ipsa. pag.88.m.1.
præuiè, præuiæ. pag. 89.m.2.
vt sic, vt sit. pag.92.m.2.
prætendere prætenderet.pag.93.p.2.
& absisterer, & obsisteret. ibi.
duebus, duobus. pag.94.f.1.
vel, ne pag. 94. f.1.
sub actionem, subtractionem. pag. 101.m.2.
effectiui, effectui. pag. 104.m.2.
conceruet, conseruat.pag.105.p.1.
diuersoquæ, diuersoque.pag.105.f.2.
est & scamnon,est scamnun. pag.107. m.2.

crea-

creatorem, creatorum. pag. 108.f.1.
passiua, passiua.pag.109.p.1.
rescreatas, res creatæ. pag. 111. p.1.
parte rei, a parte, rei. pag.112.f.1.
Aristotelis Aristoteles. pag.113.m.2.
Aristotiles aristoteles. pag. 115. f. 2.
caust, causet. 129.m.1.
dependant, dependeāt.pag.129.m.2.
ac vero at, at vero. pag.130.p.1.
causa causæ. 130.m.1.
Nizenus Nissenus. pag.132.f.1.
Fugæ, fuga. pag. 132.p.2.
si, sic. pag.133.p.2.
quām continet, quam cōtinent. pag. 134. m. 1.
st, est.pag.136.f.1.
auer. auarum.pag.136.m.2.
agant, agunt. pag.137.p.2.
apprænsio,apprehensio.pag.138.m.1.
debet, debeat. 138. m.2.
appræhonsam apprehensam. pag.
æedem eædem. pag. 142.m.2.
fines, finis.pag.142.m.2.
musculis, musculus. pag.144.f.2.
parte, parti. pag. 146. p. 2.
Aqctores, auctor est. pag.148.p.1.
Aristotiles, Aristoteles. pag. 153.p.1.
Auctoræ auctore. pag. 153. m.1.
Idem item. pag.156.f.2.
sere.sed. non necessitats non necessitata. pag. 159.f.2.
potiam, potentiam.pag.360.p.1.
aulpere,accipere. ibi.
actu prima,actu primo.pag.160.m.2.
phylosophi, philosophi. ibi. f.
præscitam, præscientiam. pag. 161. f. 2.
fortita, fortuita. ibi.
fundeatur tondeatur. pag. 162. f. 2.
peccatæ, peccata. pag. 162.p.2.
diuitatem,diuinitatem.pag.162.m.2.
continhant, contingant.pag.162.f.2.
abrius, ebrius. pag. 163.p.1.
caura, causa. pag.164.m.2.
proptas, propter. pag. 165.m.2.
necduet, influet. pag. 168.f.1.
repetitur, reperitur. pag.172.m.1.
alium se alium à se.172.m,2.
noueri, moueri. pag. 172.f.2.

Errata Tractatus Tertij.

ARs pars. pag.3.p.1.
vtique motum, vtique motu. pag.7. m. 2.
Actionem per actionem pag. 12. p.1.
motos, motus pag. 20.m.2.
dedet, debet. pag. 24.p.1.
Vnum censenti, Vnum censeri. pag. 29. f. 2.
munca, manca.pag.50.f.1.
Quo dicit, quod dicit. pag. 32.p.2.
distinctam sont, distincta sunt. pag. 49. f. 1.
S.Tomas S. Thomas. pag.50.m.2.
mensure mensuræ. ibi. f.
possint linea, possit linea. ibi.
plures vnitates, quod plures vnitates. pag.56.p.1.
Quantitauis,quātitatiuis.pa.57.m.1.
cōtinuatus, continuatas. pag. 63.f.2.
sequunt, sequntur.ibi.
continuatis, continuatiuis. pag. 64. m. 2.
indigeret, indigerent. ibi. f.
inadęquati,inadęquate.pag.65.m.2.
physice, physicæ. pag.66.p.1.
non impediatur, si non impediatur. pag. 66.f.2.
præmettit præmittit. pag. 68.m.1.
augmentiones augmentationes.pag. 76. m. 1.
Abeilardi Abailardi. pag. 78. f.2.
festa ratio, sexta ratio. pag. 80.f.1.
si seruo, si sermo. pag. 89.m.1.
& cerbiculum,& cubiculum. pag.92. p. 1.
præsequisitam,pręrequisitā.pa.92.f.1.
di-

discrimen tam ; discrimen tamen. p. 93.f.1.
sensum, sursum. pag.95. m.1.
æris, aeris. pag.95.f.1.
contingua, contigua. pag. 96.m.1.
prætera præterea. pag. 111. f. 1.
nandum nam dum. pag. 111.p.2.
consequentiam consequentia. pag. 112.f. 1.
falsitatis formalis. pag. 113. p. 2.
eodem parte qua eadem parte quam. pag. 113. f.2.
non repugnare non repugnant. pag. 115. f. 2.
nepetitionē repetitionē.pag.116.m.1.
procederetur procedetur. pag. 117. m. 1.
auctrum auctum. pag.117.p.2.
preciso præciso. pag. 121. m. 2.
Alij a lijs. pag. 122.p.1.
pro quod, per quod.ibi. f.1.
permtteret permitteret. ibi.
cant. 75. & com.75.pag.122.m.2.
preciso præciso.pag.123.f.1.
secundam secundum.ibi.
fit diuersa fit discreta. p. 1.
coexisti, coexistit. pag. 151.m.1.
coexistere coexisteret. ibid.
quomodo quodammodo. pag. 166. f. 1.
durent successiuæ successiue ibid. m.2.
Concessio concesso ibid. f. 2.
physicæ phisicé ibid.